

1981

5^a (c)

VI. D. 29
Vic - Santa Brígida








T R A C T A T V S
D E
A D O R A T I O N E

АДОЯДА ГАРМОНИИ

T R A C T A T V S
D E
A D O R A T I O N E
A V C T O R E

PATRE FRATRE BLASIO A PURIFICATIONE
Carmelita Excalceato Prouinciae Romanae.

Sumptibus Cæsaris Sacchi Romani eius Germani Fratri.



R O M A E,

Ex Typographia Iosephi Vannacciij. 1678.


S V P E R I O R V M L I C E N T I A.

СУТАТВА
ДЕ
АДОЯТИОНЕ
ВАГОРЭ

СУТАТВА БЛАГОУЧИТЕЛЬНОСТЬ

Самодержавного Правительства Российской Римской

Святейшего Сената и Государственного Совета



Я О М А Е

Ex Typographia Iosephi Vannuccii. 1658.

САНКТ-ПЕТЕРБУРГУМ ЛИСЕУМ



EMINENTISSIMO PRINCIPI
D E C I O
A Z Z O L I N O
SANCTAE ROMANAEC ECCLESIAE
Cardinali Amplissimo.



RIMÆ huic mearum lucubrationum soboli Purpuratam ingredi Aulam putabitur impar; quam enim Sacri Principis implet Maiestas, erectam in glorię Theatrum fatearis oporet. Nitent hic singula dignitatis Sanctitate decora, Virtutum splendore conspicua; cuncta hic videbis ad meriti summitem surgentia, ad venustæ molem granditatis micantia demiraberis: testantur hic vniuersitas mortalem posse Principatum natura aduersante, virgente ad ruinas caducitate, famæ immortalitate donari. At vnum est quod tantæ lucis tempe-

-
rat

rat pompam Gentilitia Purpurati DECII
AZZOLINI Principis humanitas, hæc vna
animauit calatum in tantæ celsitudinis attolli
fastigium. Icarus haud pauendæ ruinæ, ubi ful-
gor lenitur modestissimo velamento Micantis;
Huc ne ingrattum quid proferam, & blandiclus
potius, quam veridicus credar, imò piaculi reus
adiudicer, quasi superstitionis notam Adoratio-
ni, cui scripsi, inurens, cum intemperante la-
dibus indulgere existimer, ea de inclyta Tua
Prosapia, de Te profetam, EMINENTISSIME
PRINCEPS, quæ Summorum Pontificum fir-
mata calculo legendum mutandi facultatem ora-
culi granditate superabunt. Ad legerat Sixtus
Quintus prudentię maturitate, consiliorum
grauitate nemini secundus, ad Purpuratorum
Patrum Senatum Patruum Tuum DECIVM
AZZOLINV M, eique vna cum Purpura epi-
stolam candidissimis refertam laudibus mittens,
hæc inter alia calamus ille, Diluini conscriben-
dis assuetus, exarauit. *Tu ex ea Familia natus es, ex qua*
Ciacco-
nius ex
epistol.
Sixti v. *complures viri prodierunt belli, & pacis artibus clari, ac domi, forisque
honorati, inter quos insignis fuit annorum nostrorum memoria aleser
Cardinalis Azzolinus, Qui primum in Vestram Domum hanc amplissi-
mam dignitatem intulit, divini, & humani iuris scientia excellens.*
Hieronymi hic nomine insigniebatur, à quo ter-
tius DECIUS AZZOLINVS quē alloquimur,
ostri, quo fulget maiestatem, virtutum splendore
condecorat. Decurrit, ut reor, Auorum gloria san-
guinis claritati immixta, aureis nec interceptis
riuulis in hæredes. Firmatum quippè à Natura
habemus, regales Aquilas confueuisse nunquam

dege-

degeneri, gregariaquè auicularum sobole fœcundiari. Hieronymum, Decium habuisti, Princeps Amplissime, Tua in dignitate prædecessores, de quibus eiusdem Summi Pontificis Sixti Quinti Diaria, hęc habent. *Mouit Pontificis animum* (ad conferendam videlicet eidem Decio Purpuram,) Diar. Si-
xii v.
Azzolini acerrimum ingenium, summa in rebus gerendis dexteritas,
animi constantia, morum grauitas, ac denique Patriæ Firmi, Azzoli-
neque Domus dignitas, ac splendor, quæ cum præstantissimis in bello
paceque viris, Episcopis, ac Presulibus; tum altero Cardinali Hie-
ronymo Azzolino Iurisperitorum consultissimo illustris admodum, &
clarissima est. Hi profecto grandi alarum volatu cę-
lum lustrauere Romanum, Virtutum pennas
ostro coloratas sacro explicarunt; ne crederentur
vulgari Maiestate nitere, quę protendebantur
Regnatrice tinctura decoræ. Hinc optimè à Te
promeritum elogium, quod Summus Pontifex
Innocentius Decimus in Tui præconium euul-Ciacconi.
gauit, cum Aquilam dexteritate ingenio, pruden-
tia, perspicacitate pronunciauit. Aquila verè
grandis, & magnarum alarum varietate distin-
cta, Phylosophica enim, Theologica, ac Iuris
vtriusque laurea in eruditissima Patrię Tuę Vni-
uersitate, duodeviginti annos natus, vna eadem-
que die redimitus, triplici coronamento, vel ijs
ab annis visus es destinari: Taceo ditissimam
eruditionis pompam, excultissimam dicendi ve-
nustatem, incomparabilem gerendorum peri-
tiam, loquuntur etenim Principes, Magnates,
Reges, Dynaste, quibus, cum à Secretis Status
Summo Pontifici Clementi Nono esses, dedisti
epistolas: Hęc quot extant, tot supersunt eru-

ditissimi Tui elogia ingenij. Vnum tamen tacere non valeo, quod cum immensi preconij sit, innumeris, quæ addi possent, silentium indicit. Romanam adorauerat Sedem Suecorum Regina, regalem maiestatem sacros fregerat ad Pedes, & DECIVM elegit AZZOLINV M, ut haberet animi celsitudine sacrum Heroem, Quę nonnisi heroica maiestate grandiora moliri, imperare consuevit. Egregijs his dotibus, quibus Romana in Aula præfulges, qualecumque hoc obsequentissimi animi mei debebatur argumentum: Vnica siquidem in terris est, cui cultus exhibendus; Diuina Virtus.

E. V.

Addictissimus, & Humillimus Servus
Fr. Blasius a Purificatione
Carmelita Excalceatus,

FR;

FRATER VINCENTIUS MARIA
à Sancta Catharina Senensi Vicarius Gene-
ralis Fratrum Carmelitarum Discalcea-
torum Congregationis S. Eliæ,
Ordinis Beatissimæ Virginis
Mariæ de Monte Car-
melo.

CVM Librum, cuius titulus (De Adoratione) à R. Patre
Fratre Blasio à Purificatione eiusdem Nostræ Congregationis
Sacerdote Professo, compositum, duo è Nostris Theologi reco-
gnouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem (quantum
ad nos spectat) impercimur, ut typis mandetur. In quorum fidem
presentes dedimus, Sigillo Nostro munitas, ac propria manu subscri-
ptas, Rome in Conuentu Nostro Sancte Marie de Scala die 23.
Maij 1678.

**Fr. Vincentius Maria à S. Catharina Senensi
Vicarius Generalis,**

Deinde in nomine Sanctissimi Nominis Domini nostri Iesu Christi die 28.
Maij 1678.

F. P. 4. S. Andrea Carmelitanus
Dilectissimum Debetum Generali.

*Approbatio Reuerendi Admodum Patris Nostri Fratris PETRI A
SANCTO ANDREA Ordinis Carmelitarum Excalce-
torum Definitoris Generalis.*

NIL sanè antiquius, nil sanctius, nil Deo vñquam gratius, & accep-
tius fuit Adoratione. Èà quippè ipsemet Deus Optimus Maxi-
mus, tanquam primum, vnicumue rerum omnium Principium, fi-
nisque ultimus ac Supremus ipsarum, colitur. Èà Christus Dominus, uni-
genitus veluti Dei Filius, honoratur. Èà Sacratissima Virgo, ceu Inteme-
rata Christi Domini Parens; Angeli Beati, ceu Dei Ministri, Cœlestisque
Curiæ Aulici, ac Principes: Viri Sancti, ceu fidelissimi Sūmi Numinis Ser-
vi, Amici, atque; Domestici, debitam pro suo quisque merito, venerationē
accipiunt. Èà deum Sacra dirissimæ Saluatoris, Martyrumque Passionis
Instrumenta, efformatae Cœlituum Imagines, Relictæ nobis ipsorum exuuiæ
singularem à fidelibus honorem, ac cultum nanciscuntur. Hinc eam su-
perbo, ac scelesto planè a usu Apostatæ Angeli, illorumque sequaces Ido-
lolatræ impij, furiosi Iconoclastæ, Cæterique omnes, tam antiqui, quam
recentiores Etherodoxi aut recusantes, aut impugnantes, aut sibi arrogâ-
tes, aut in falsa numina transferentes, Deo, Saluatori, Deiparæ, Angelis
gloriosis, Sanctis Hominibus, siue iam in Cœlo regnantibus, siue adhuc in
Terra degentibus, & Orthodoxa Fide conspicuis inuisi, exosi euaserunt.
At enim eam nunc afflante Deo, nouumque Cæptum, ac singulare opus be-
nedicente, cæteris interea fauentibus Cœlitibus, tot aduersus intensissimos,
infestissimoque Aduersarios, egrégie restituit, luculenter perdocet, fortiter
propugnat, incōcussè asserit P.F. Blasius à Purificatione Religiosus Noster
Carmelita Discalceatus, Fausto vtique, Victoriamque; illi portendente au-
spicio, eruditus Sacræ Theologiæ in Collegio Nostro Romano S. Mariæ
de Victoria Lector, in hoc suo Tractatu *De Adoratione &c.* Hunc ego, exa-
mini meo subiectum, haud vulgari cura, ac diligentia perlegi, nec parua
animi voluptate perpendi. Nilque prorsùs in eo reperi, quod non Catho-
licam veritatem sapiat, quod Sanctorum Patrum Doctrinæ non adamus-
sim consonet, quod non ad profundam Angelici Doctoris mentem, genui-
numque sensum excogitatum, prolatum, explanatum esse videatur. Qua-
propter libenter illum, iterumque, atque iterum approbo; Et, qui ad Dei
gloriam, ad honorem Sanctorum, ad Atheistarum, & Hæreticorum pro-
fligationem, ad studiosorum omnium, & orthodoxorum lectorum profe-
ctum in lucem prodeat, dignum existimo, ac censeo.

Datum Romæ in Conuentu Nostro Sanctæ Mariæ de Scala Die 28.
Maij 1678.

*Fr. Petrus à S. Andrea Carmelitarum
Discalceatorum Definitor Generalis.*

Approba,

*Approbatio Reuerendi Patris HIERONYMI A.S. CAROLO
Carmelite Discalceati Sacre Theologie Praelectoris.*

Ex commissione Reuerend. Admodum Patris Nostri Fratris Vincen-
tij Mariæ à Sancta Catharina Senensi Vicarij Generalis luculentissi-
mum à R.P.F. Blasio à Purificatione doctissimo meo Collega simul,
ac Magistro exaratu emensus sum Opus, inscriptum *De Adoratione ac sum-
ma animi mei voluptate perlustratum*. Quapropter Librum hunc ut potè
candidatum ob illustrem stylī claritatem candido dignor calculo, inge-
niosèque huic lucubrationi, ut in lucem edatur, lubens suffragor; dubius
tamen, an illa exceptura potius an latura sit lucem. Prodeat itaque
auspicato Numine elaboratum Volumen *Adorationis votis refertuorum*,
votis omnium expetendum.

Romæ ex Conuentu Sanctæ Mariæ de Victoria hac die 1. Mensis
Junij 1678.

*Fr. Hieronymus à Sancto Carolo
Carmelita Excalceatus.*

1678.

*Fr. Hieronymus à Sancto Carolo
Carmelita Excalceatus.*

1678.

*Fr. Hieronymus à Sancto Carolo
Carmelita Excalceatus.*

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendissimo Patri Sacri Apostolici Palatij Ma-

gistro.

I. de Angelis Archiepisc opus Vrbin. Vicegr.



*Approbatio Reuerendi Adm. Patris Magistri Vvynans Ordinis Præ-
dicatorum olim Collegij S. Eustorgij Mediolani Regentis,
nunc Reuerendissimi Patris Generalis eiusdem
Ordinis Socij.*

EGO infra scriptus Tractatum hunc *De Adoratione ex mandato Re-*
uerendissimi P.F. Raymundi Capisucchij Sac. Pal. Apostolici Magi-
stri, non sine attentione, & voluptate perlegi, nihilque inueni aut ortho-
doxæ Fidei dissentaneum, aut probatis moribus dissonum, sed omnia so-
lida, & firma, Doctrina Angelici Doctoris D. Thomæ maximè confor-
mia, in quorum fidem. Datum in Conuentu Nostro Sanctæ Mariæ Super
Mineruam hac 17. Maij Anni 1678.

*Fr. Guinandus Vvynans Ord. Prædicat.
Sac. Theol. Magister.*



Imprimatur,

Fr. Raymundus Capisucchius Ord. Prædi-
catorum S. P. Apostolici Magister.

INDEX

Difficultatum, quæ in hoc Tractatu continentur.

DISPVVTATIO PRIMA.

De Adoratione Dei.

- D**VB.1. *Virum ciuilis Adoratio indispensabiliter actum externum requirat.* pag. 1.
§.1. *Premissis ijs quæ ad nomen Adorationis spectant, dubium deciditur ibid.*
§.2. *Soluuntur contraria Argumenta.* pag. 5.
Dub.2. *Vtrum Adoratio qua Deum veneramur essentialiter consumetur in actu interno.* pag. 10.
§.1. *Ponitur prima assertio, & probatur author. S. Thom: & Scrip.* pag. 11.
§.2. *Eiusdem prime assertioiis utraque pars ratione probatur: unde deducitur secunda assertio.* 14.
§.3. *Soluuntur Argumenta oppositæ Sententia.* pag. 19.
Dub.3. *Vtrum erga Deum detur unica tantum in specie Adoratio. & in quo sita sit.* pag. 22.
§.1. *Præmittuntur quedam ad dubij decisionem necessaria* ibid.
§.2. *Duplici assertione proposita difficultas deciditur.* pag. 24.
§.3. *Soluuntur argumenta contraria.* pag. 28.

DISPVVTATIO II.

De Adoratione Christi Domini.

- D**VB.1. *Vtrum Christus in quantum homo adorandus sit Adoratione latiae?* pag. 33.
§.1. *Aliquis premissis, prima assertione deciditur dubium.* ibid.
§.2. *Ponitur secunda conclusio, & probatur.* pag. 38.
§.3. *Soluuntur argumenta aduersus viramque assertionem.* pag. 40.
Dub.2. *Vtrum Humanitas Christi ut affecta unione hypostatica sit adorabilis alia adoratione ab ea, qua adoratur Christus?* pag. 44.
§.1. *Supponuntur aliqua, & unica assertione dubium deciditur.* ibid.
§.2. *Soluuntur argumenta contraria.* pag. 48.
Dub.3. *Qua Adoratione adoranda sit Christi Humanitas ut affecta unione hypostatica, & gratia sanctificante?* pag. 51.
§.1. *Præmittuntur aliqua ad dicendum intelligentiam.* ibid.
§.2. *Prima assertione deciditur dubium.* pag. 55.
§.3. *Ponitur secunda assertio, & probatur.* pag. 57.
§.4. *Ponitur tertia assertio, & ratione probatur.* pag. 63.
§.5. *Soluuntur Argumenta aduersus primam assertionem.* pag. 65.
§.6. *Soluuntur Argumenta opposita secunda nostræ assertioni.* 67.
§.7. *Soluuntur Argumenta Contra* †† 3 *tertiam*

DIFFICULTATVM.

*tertiam assertionem, & deciditur
quid dicendum de Adoratione Eu-
charistie, pag.* 71.

DISPUTATIO III.

*De Adoratione Sanctorum, & pecu-
liariter Sanctissimæ Virginis.*

DVB. 1. *Vtrum liceat Sanctis ho-
minibus cultum adorationis
exhibere?* pag. 75.

S.1. *Ponitur unica conclusio, &
uthoritate ac ratione probatur.* ibid.

S.2. *Fit satis cuidam incidenti dubia-
tioni.* pag. 80.

S.3. *Refertur oppositus error, & sol-
uuntur argumenta.* pag. 85.

Dub.2. *Vtrum Beatissima Virgo ab
initio Mundi semper fuerit adora-
ta, & qua adoratione?* pag. 92.

S.1. *Premittuntur aliqua ad dicen-
dorum notitiam necessaria.* ibid.

S.2. *Ponuntur due prime assertiones,
& ratione probantur.* pag. 94.

S.3. *Ponitur tertia conclusio, & ratio-
ne probatur.* pag. 98.

S.4. *Soluuntur aliqua que militant
aduersus hanc rationem.* 101.

S.5. *Referuntur oppositi modi dicendi,
& soluuntur eorum argumenta.
pag.* 105.

Dub.3. *Vtrum Beatissima Virgo ra-
tione Maternitatis præscendentis
a gratia sanctificante sit adorabilis
adoratione hyperdulia?* pag. 108.

S.1. *Ponitur prima assertio, & autho-
ritate Scripturae probatur.* 109.

S.2. *Ratio conclusionis, & impugna-
tio prime responsoris.* pag. 111.

S.3. *Adducuntur, & impugnantur
alii responsiones.* pag. 114.

S.4. *Ponuntur due aliae assertiones, &
probantur.* pag. 117.

S.5. *Soluuntur aliqua argumenta pri-
me assertioni contraria.* 120.

S.6. *Soluuntur alia argumenta eidem
prime assertioni contraria.* 124.

S.7. *Soluuntur argumenta contraria*

alijs assertionibus. pag. 132.
Dub.4. *Vtrum omnis supernaturalis
adoratio sit actus à Religione elici-
tus?* pag. 138.

S.1. *Duabus assertionibus expeditur
proposita difficultas.* ibid.

S.2. *Soluuntur argumenta aduersus
utramque assertionem pugnantia
pag.* 143.

DISPUTATIO IV.

De Vsu Imaginum.

DVB. 1. *An Statuae, & Imagines
in Veteri Testamento omnino
fuerint prohibita?* pag. 149.

S.1. *Premittuntur aliqua difficultas
decisioni necessaria.* ibid.

S.2. *Ponitur Conclusio, & authoritate
ac ratione probatur.* pag. 152.

S.3. *Adducuntur, & impugnantur
causiones aduersariorum pag.* 156.

S.4. *Adducitur secunda ratio, & ene-
titur aduersariorum responsio.* 162.

S.5. *Refertur opposita sententia, &
soluuntur eius argumenta.* pag. 165.

Dub.2. *Vtrum in lege gratia liceat
uti Sanctissima Trinitatis, & An-
gelorum imaginibus?* pag. 168.

S.1. *Prima assertio authoritate, ac ra-
tionibus probata.* pag. 169.

S.2. *Ponitur secunda assertio, & pro-
batur.* pag. 174.

S.3. *Referitur opposita sententia, &
soluuntur eius argumenta.* 177.

S.4. *Argumentum in secundam asser-
tionem, & corollarium pro vir-
gue.* pag. 183.

Dub.3. *Au usus imaginum Christi,
& Sanctorum in lege gratia nendum
licitus, sed expediens censendus sit?* pag. 185.

S.1. *Duplici assertione prima dubij
pars deciditur.* ibid.

S.2. *Secunda Dubij pars alia conclu-
sione deciditur.* pag. 188.

S.3. *Adducitur obiectio, ex cuius so-
lutione, que haec tenus diximus fu-
sus*

INDEX

- §.1. Sunt confirmantur, pag. 191.
 §.4. Expenduntur utilitatis ex secundo imaginum genere prouenientes pag. 194.
 §.5. Soluuntur argumenta contraria nostris assertiōnibus pag. 195.

DISPUTATIO V.

De Imaginum Adoratione.

- D**VB. 1. Verum Sacre Imagines licet exponantur in Templis, & adorentur? pag. 202.
 §.1. Duplici assertione daby nodus dis- soluitar, ibid.
 §.2. Alia pars secunda assertiois ra- tione conuincitur, pag. 206.
 §.3. Soluuntur argumenta prima asser- tioni contraria, pag. 210.
 §.4. Soluuntur argumenta secunda as- sertioni contraria, pag. 216.
 Dub.2. Vtrum imagines formalissime sumpta adorande sint eadem ado- ratione qua earum exemplaria? pag. 217.
 §.1. Unica conclusio proposita diffi- cultas deciditur, pag. 218.
 §.2. Soluuntur nonnulla aduersa opi- nionis argumenta, pag. 222.
 §.3. Soluuntur alia argumenta eidem assertioi opposita, pag. 225.
 Dub.3. Vtrum imago ut praescindens ab exemplari sit adorabilis: & qua adoratione? pag. 231.
 §.1. Ponitur prima assertio, & au- thoritate, ac ratione probatur, ibid.
 §.2. Impugnatur respoſio huic rationi, & confirmationi tradita, pag. 234.
 §.3. Ponitur secunda assertio, ac ra- tione probatur, pag. 237.
 §.4. Soluuntur argumenta contraria prima assertioi, pag. 240.
 §.5. Soluuntur argumenta secunda assertioi opposita, pag. 244.
 Dub.4. Vtrum liceat adorare appa- rentem Imaginem Christi sub qua Demon delitescit? pag. 247.
 §.1. Premittuntur aliqua notata di- gna, ibid.

- §.2. Due assertioes authoritate, & ratione probantur, pag. 249.
 §.3. Assertio tertia, & aliqua signa, ad distinguendas veras apparitio- nes, & falsis, pag. 255.
 §.4. Argumenta soluta, pag. 259.
 Dub.5. Vtrum Sacra Sanctorum No- mina, & presertim Iesus, & Ma- ria aliquam promercantur adoratio- nem? pag. 263.
 §.1. Ponitur Unica conclusio, & au- thoritate, ac ratione probatur, 264.
 §.2. Alia ratio propositam suadens as- sertionem, pag. 268.
 §.2. Soluuntur contraria argumenta, pag. 271.

DISPUTATIO VI.

De Crucis Christi, & Sanctorum Reliquiarum Adoratione.

- D**VB.1. Vtrum licet sit Sancta Crucis aliquam exhibere adora- tionem? pag. A T Y Q 216 274.
 §.1. Prima assertio authoritate, & ra- tione probata, pag. 275.
 §.2. Secunda conclusio authoritate, & ratione probata, pag. 277.
 §.3. Soluuntur hereticorum argumen- ta, pag. 280.
 §.4. Adducitur vera responſio, & soluitur ultimum argumentum, pag. 284.
 Dub.2. Quenam adoratio Sanctae Cru- ci sit exhibenda? pag. 287.
 §.1. Premittuntur aliqua circa Cru- ci usum scienda, ibid.
 §.2. Duplici assertione dubium decidi- tur, pag. 290.
 §.3. Respondetur contrarijs argumen- tis, pag. 292.
 Dub.3. Vtrum Sanctorum Reliquiae sint adoratione dignae? pag. 296.
 §.1. Conclusio authoritate, & prima ratione probata, ibid.
 §.2. Due alijs rationes propositam asser- tionem suadentes, pag. 300.
 §.3. Respondetur Hereticorum argu- mentis, ibid.

DIFFICULTATVM.

mentis. pag.	302.	pag.	333.
Dub. 4. Qnēnam Adoratio Sanctorum Reliquijs sit exhibenda?	306.	Dub. 2. Virum Canonizatio Sanctorum, & Seruorum Dei Beatificatio essentialiter differant?	335.
§. 1. Vnica conclusione præsens dubiū deciditur.	ibid.	§. 1. Quædam notatu digna præmittuntur.	ibid.
§. 2. Decisio aliquorum ex precedenti doctrina deducta. pag.	309.	§. 2. Vnica conclusio pro dubiū enodatione. pag.	338.
DISPV TATIO VII.			
De Adoratione Rerum ad naturalem ordinem pertinentium.			
D VB. Vnicum Vtrum res omnes, ut præcise spectantes ad naturalem ordinem, sint adorabiles?	314.		
§. 1. Duplex assertio ratione probatur.	315.		
§. 2. Ponitur tertia conclusio, & ratione probatur. pag.	319.		
§. 3. Respondetur contrarij argumentis pag.	321.		
DISPV TATIO VIII.			
De Sanctorum Beatificatione, & Canonizzazione.			
D VB. 1. Virum consuetudo canonizzandi Sanctos sit laudabilis? pag.	325.		
§. 1. Explicatur breuiter definitio quid nominis, & quid rei canonizzatioonis.	ibid.		
§. 2. Conclusio authoritate, & ratione probatur. pag.	328.		
§. 3. Probatur conclusio alia ratione, pag.	330.		
§. 4. Soluuntur contrarie obieciones.	332.		
Dub. 1. Num sanctorum Reliquias debet recipere ecclesia? pag.	332.	Dub. 5. Nonnullæ difficultates ad huius materie complementum breuiter enodantur. pag.	368.
§. 1. Expenditur Prima difficultas. ibid.		§. 1. Expenditur Secunda difficultas. pag.	370.
§. 2. Dirimitur secunda difficultas.		§. 3. Examinatur tertia difficultas. pag.	372.



PROOEIVM.



ATERIAM aggredimur, & Sanctitatis maiestate venerabilem, & objecti celsitudine præclarissimam, & difficultatum varietate iucundam. In Cœlo erimus, cum de Adoratione. & cultu Dei, Christi, & Sanctorum disputationes instituentur; quod enim adoratur, aut Deus, aut Deitate refertum, esse oportet: Quod colitur, aut Sanctorum Sanctus, aut Sanctitatis decore fulgidum creditur. In huius ergo Operis fronte, aureis insculpta caracteribus maximi, æquè ac *disertissimi* verba Leonis legantur. *Abigatur procul terrenarum caligo rationum: & ab illuminatæ Fidei oculo, mundanæ Sapientie fumus abscedat.* In decidendis dubijs, fugandisque atratis erroribus vtemur lucidissimis Fidei dogmatibus, Sanctorumque Patrum assertijs enim veluti præuijs quibusdam facibus, occultum satis veritatis calle, calamo, quasi pede, præmemus. Thomam dubio procul Luciferum habebimus, piaculum siquidem effet, vel latum vnguem ab eius mente in materia Adorationis abscedere, qui volumina à doctis adoranda ingenij, exarauit. Et sanè Thomistico dumtaxat calamo, in Catholicæ Religionis hostes scribendum: Doctorum enim Mauors Aquinas de calamo flagellum fecit, ut de Romanæ Templo Ecclesiæ ejeretur heterodoxos, qui totis alis conati sunt, in horrentem latronum commutare speluncam. Aduersus horum turmas in hoc opere potissimum struenda erit disputationum acies, in hos vespertilioes, splendidæ veritatis osores, exercenda lucis arma,

quæ

quæ Diuinæ Scripturæ, Sacrorum Conciliorum, Doctorumque
Patrum armamentaria ministrabunt. Ijs armis, si instructi suis-
sent, qui veritatem Catholicam tantò iniquius, quantò ferocius
impugnarunt, Sanctissimis vtique, grauissimisque legibus ma-
nus amicas, hostilia non terga dedissent. Pietatis eliquatur ad-
huc in lachrymas ferrea quamuis hæc ætas, cum occiduis in
oris cecidisse propemodum deplorat fidei molem, quæ celsissi-
mum caput vrgebat in astra. Vidistis vos iam gelidæ plagæ Lu-
thero, Caluino, Zuinglio furentibus expilati tempa, pessum-
dari Sacra, dilaniari imagines, execrari Sanctorum cultum,
reliquias, despectum quasi puluerem, proculcari, Illachryma-
tam super vos nedum Religionem, sed & naturam ipsam cre-
dimus. Putabat fortè populos, niues inter brumales educatos, à
pluentibus sæpenumero lilijs erudiendos fore, ad illibatum fidei
candorem seruandum. At vestra fragiliores facti glacie, effu-
si estis, vt aqua, ruistis in præceps, & caliginis errores sparen-
tes, factæ sunt viæ vestræ tenebræ, & lubricum; Ita vt Augustini
flebilibus sit vocibus vtendum. Horrenda via. Tenebras solum
quis non horreat? Lubricum solum quis non caueat? In tenebris, &
lubrico, qua is, ubi pedem figis? Nullibi profectò pedem figit
hæresis, cui ruinæ gressus, cui sternunt præcipitia semitam. Hoc
vnum ergò in votis habemus huius labore operis Romanæ ser-
uire fidei, in quam rabido tabescunt odio hæreseos assertores,
vtinam desiderio responderet ingenium, voluntatem intellectus
æquaret, ausibus pares essent & vires; Gloriæ metam nos atti-
gisse arbitramur, si eo mentis acumen pertingeret, qua famu-
landi cupiditas peruenit.

Psalms.
S. Augu.
S. Hilar.
Sapien.

Vrgemur enim, siuè vt loquamur melius, vrgeri saltem cupi-
mus ijsdem stimulis, quibus compulsus Diuus Hilarius Pictauien-
sis Episcopus aiebat. Ego vel hoc præcipuum vite meæ officium debere
me Deo conscius sum, vt eum omnis sermo meus, & sensus loquatur.
Terrent quidem exilitatem nostram doginatum Catholicæ Fi-
dei altitudo, Maiestas, & sacræ veritatis nitidissima facies ob-
scurus velata enigmatibus: at suauissimè mentem allicit scriben-
dorum iucunditas: stillant siquidem de occultis Diuinæ Sapien-
tiæ venis amabiles admodum dulcedinis riuuli: non enim habet
(Doctore Spiritu Sancto Sapientiæ octauo) Amaritudinem conuer-
satio illius, nec tedium conuictus illius, sed lætitiam, & gaudium. Hæc
propterea temperando inferuent horrori, quem truculentæ
hæreticorum frontes, pertinaci obstetricante errore parturient,
nam

nam operæ pretium erit ijs conspiciendis non semel studiosam contemplationem nostram esse addictam.

Plura nunc à Lectoribus enixè rogare deberemus, quia plura occurrit, quæ ij emendatione digna censemuntur: pauca nihilominus postulabimus, quia pro certo habemus ingenua eos humanitate, benignitate non exigua gaudere, qua nostræ compati tenuitati non mediocri gloriæ ducunt. Et sanè velle omnia rigida notare censura arbitramur fastosi nimium supercilij ingenio esse consentaneum. Hoc primum opus communi luci damus, sequitur notam incurret, qui vix enascenti, Scriptori severæ nimium castigationis vulnus infliget. Vagientem in his Typorum cunabulis *Theologum* molestis expungere notis, est velle exigere sanguinem quando suavitatis lac propinandum. Temerarium, dubio procul fuit exire in apertum *Theologici* pulueris campum, in quo tot egregij laudatissimæ sapientiæ heroes calamis non ensibus, bellum indixere erroribus. At fortassis parcendum, vel quia Thomam Sapientum eruditissimum verticem ducem habemus eiusque non leuiter fidimus patrocinio doctrine; vel quia de *Adoratione* scribi nus, de qua peculiarem exarasse tractatum, à cæteris omnino seiuscum, vel paucos admodum, vel neminem credimus. Addendè ergò benignitate legentium tenello adhuc calamo nostro vires; asperum equidem ultra mensuram esset principio examinare audentem. Parca tandem, præcamur erroribus Typographi, si qui incident, adlaborauimus non leuiter ut eos pro posse vitaremus. At humanæ diligentiæ studium, errando valde obnoxium est, quapropter, quod non nulli subrepserint, non vitio, sed congenitæ inaduertentiæ vertendum.


Dicendorum autem ordo in hoc opere seruandus, erit is, qui in tradendis scientijs aptissimus semper visus est, eo quod humano intellectui apprimè accommodatus; Porrò hic est ille, in quo proceditur methodo compositionis, cum videlicet ab vniuersalioribus sumendo exordium, ad minus vniuersalia descenditur, Hinc primo loco examinandum occurret, quid adoratio communiter sumpta importet, deinde quærenda erunt, quænam sint eius propria, secundum quod ad particularia fertur obiecta, Hæc autem sunt Deus, Christus Dominus, Beatissima Virgo, Sancti, Imagines, Reliquiæ, inter quas, & Sacratissimum Crucis Lignum connumeratur; Addemus postremò Disputationem de, Sanctorum Canonizzazione, quæ cum eoru gloriæ publico Fidelium

delium cultui adorandam exponat, non parum ad eam declara-
randam conductit, vnde & à nostra intentione non erit aliena-,
summoperè enim optamus Deo, eiusque Sanctis, nostro hoc
qualicumque labore, humillimum præstare obsequium, urgente
nos indigentia, ut de iniquo intellectus nostri mammona facia-
mus nobis amicos, qui in æterna nos sint recepturi tabernacula,
quod firmissimè speramus.

³³ De Adorationis materia tractat S. Thom. 2. 2. pluribus in-


S. Thom. locis , vt videri poterit in tabula aurea , verbo *Adoratio* ; sed 3.
p. q. 25. cum agit de Adoratione Christi , magis in particulari
de ea sermonem habet , vnde Theologi . qui Tractatus de Incar-
natione Verbi Diuini scripsere , fusè hanc materiam in com-
mentarijs super eandem quæstionem 25. pertractant , inter quos
P. Suar. P. Suarez, & P. Vasquez , hos enim principaliter vidimus ; Vi-
deri etiam potest P. Raphael Torres, Ordinis Prædicatorum in
sua Summa Theologica ad 2. 2. S. Thomæ , vbi latissimo cala-
mo spectantia ad præsens opus , diligentissimè versat .





DISPVTATIO PRIMA.

DE ADORATIONE DEI.



NSCRIBITVR prima hæc Disputatio de Adoratione Dei, non ideo tamen de ea dumtaxat erit sermo, cu[m] oporteat prius aliquid de Adoratione in communi inuestigare, imo etiam de quadam alia adoratione imperfecta, quæ solet *civilis* appellari, eo quia illius obiectum humanam solum, ac ciuilem exprimit excellentiam, quæ diuersa est à Diuina, seu per essentiam, quælis reperitur in Deo, & Christo Domino, seu per participationem, qua omnes alij Sancti gaudent. Per eam itaque inferioriter totaliter ordinis Adorationem, ad excellentiorem prorsus, quæ Deo exhibetur, gradum faciemus.

DVBIVM PRIMVM.

s. I.

Vtrum civilis Adoratio indispensabiliter actum externum requirat?

Premissis ijs, quæ ad nomen Adorationis spectant dubium deciditur.



OMMVNIS consuetudo Docentium est, propriam nominum significationem, eorumque ethimologiam prius exponere, vt inde ad tradendam rei significatæ notitiam deueniant. Et quidem id est peropportunum, ad equiuocationem, quæ errorum mater est, vitandam. Quapropter hoc ipsum nos in limine dubij præsentis præstabimus.

De Adoratione Dei.

i. **A**dorationis itaque nomen sumi primò potest, prout significat hoc, quod est, vehementer orare, iuxta quem sensum usurpauit hoc nomen Virgilius lib. 10. Aened: vbi longe post medium ait, *In rupes, in saxa volens vos Turnus Virgil.* adoro idest enixè deprecor, hoc tamen modo hic non sumitur adoratio, cum sic accepta coincidat cum essentia actus orationis, quem per

*A*eam

eam vehementiam modificat. Secundò, ea adoratio, de qua nunc est agendum, quoad nominis ethimologiam iuxta Priscianum, & Nonium, desumitur à quadam frumenti genere, quod *Ador* nuncupatur, & erat sacrificijs destinatum, *Nonius*, de quo citatus Nonius sic ait, *Ador Frumenti genus, quod epulis, & immolationibus Sacris pium putabatur;* unde, & *Adorare*. Hinc constat, quod adoratio ad Religionis virtutem pertineat tamquam illius actus, ut videre est apud N. Salman. in Arbore Generali Virtut: n. 64. vbi adorationem his verbis describunt. *Honor externo corporis gestu exhibitus;* Quæ definitio ex dicendis innotescet; solum pro nunc aduertimus, quod ly Honor ponitur loco generis, reliquæ particulæ loco differentiæ: Et propterea huic definitioni consonat, quod dixit S. Augus: contra Sermon. Arian: cap. 3. Aug. 23. nempe, quod. *Honorat omnis qui adorat, non autem adorat omnis qui honorat.* His etenim verbis aperte denotatur, honorem magis latepatere adoratione, & consequenter obtinere locum generis, sicut animal in definitione hominis. Et licet S. Tho: 3. p. q. 25. ar. 1. pro eodem sumat adorationem, & honorem, non ideo sentit contra predicta, nam alibi scilicet 2.2. q. 81. ar. 1. ad 1. & q. 84. ar. 2. propriam, ac specificam adorationis naturam, prout ab honore communiter dicto distinguitur, explicuerat, de quo infra.

Sciendum rursus quod sicut honor indifferenter sumitur pro eo, qui defertur seu Deo, seu hominibus, ita loquendo de illius specie, quæ est adoratio, hæc enim tantum defertur ijs, qui aliqua excellentia praediti sunt, quapropter, & dicit reuerentiam, ac submissionem adorantis respectu adorati, ut fusius dicetur: Et quia nedum Deus, verum

etiam homines possunt dominio, & excellentia respectu aliorum gaudere, idcirco adoratio non solum exhiberi potest Deo, verum etiam hominibus excellentia præditis. Hanc ergo adorationem, quam Ciuilem appellamus, eo quod hominibus humana excellentia gaudentibus defertur, inuestigamus, querentes, an indispensabiliter actum externum requirat. Hi autem actus externi vtique sunt, quos per corpus exercemus, & aliquam submissionis, seu humiliationis notam important, vti sunt genuflexio, demissio capitis, prostratio, deosculationis manus, aut pedis, & his similes, omnes enim enumerari vix possunt, cum satis incerti sint, & apud differentes nationes diuersi.

2. Dicendum est, adoracionem ciuilem, exhibitam hominibus humana excellentia præditis, indispensabiliter requirere actum externæ submissionis, in quo internus adorationis actus consummetur. Hanc assertionem tenentur sequi omnes, qui docent adoracionem Deo exhibitam exigere externum istum adorationis actum, quos dubio sequenti adducemus. Eam expresse tetigit P. Suar: tomo ^{P. Suar.} 1. in 3. p. disp. 51. sec: 3. in principio. Eandem expresse docuit S. Tho: 2. 2. q. 103. ar. 1. Vnde sequens ratio desumitur.

Omnis Adoratio excellentibus hominibus exhibita, debet esse indispensabiliter sensibilis, sed Adoratio indispensabiliter sensibilis haberi nequit, absque externo corporis gestu, submissionem denotante, ergo Adoratio hominibus exhibita, debet essentialiter consummari in aliquo actu externo, declarante animi submissionem. Maior suadetur ex verbis S. Tho: quæ habentur loco citato, nam ponens discrimen inter honorem, quem Deo exhibemus, & illum, quem hominibus

DISPVATATIO I. DVBIUM I.

3

Minor patet, nam humanum, quatale, non importat purum Spiritum, sed illum simul cum corpore.

3. Dices aduersus hanc rationem, eam non esse efficacem ad intentum. Tum, quia S. Tho: in verbis adductis afferit, quod honor quoad Deum, potest consistere in solo interiori motu cordis, dum scilicet aliquis recognitat, vel Dei excellentiam, vel etiam alterius hominis coram Deo; Cum enim dicat, vel etiam alterius hominis, videtur denotare etiam erga hominum excellentiam, versari posse interiore dumtaxat Adorationem. Rursus contra confirmationem dici potest, eam supponere aliquod falsum, non enim persona excellens est proprium obiectum quod, seu finis cuius gratia Adorationis, sed est dumtaxat cultus, praedicta autem Persona est solimodo obiectum, seu finis cui, hoc enim modo Religio per Adorationis actum respicit Deum, vnde ex hoc non est virtus Theologalis. Tum etiam, quia hoc gratis admissum, dari potest in uno homine, respectu alterius, excellentia purè spiritualis, qualis habetur per habitus scientificos, aut praticos intellectuales. Immo virtutes per se acquisitæ, & infusæ supernaturales (loquendo de ijs, quæ resident in appetitu sensitivo) non sunt purè spirituales, sed omnino corporeæ; & tamen vi huius excellentiæ, quæ pertinet ad Sanctitatem, possunt Sancti Adorari Adoratione purè interna, quæ habeat completam adorationis essentiam.

Sed primum horum facile refelitur, nam cum afferimus, Adorationem exhibitam hominibus eorum excellentiam, indispensabiliter requirere actum externum, non loquimur de ea, quæ hominibus coram Deo, de qua sermo est in adductis S. Tho: verbis, sed de ea,

s. Tho. nibus deferimus, in hunc modum loquitur. Homines, qui volunt honorari, testimonium sua excellentiae querunt, ut per Philosoph: patet in 8. Ethicorum; Testimonium autem redditur, vel coram Deo, vel coram hominibus, coram Deo quidem, qui inspectio est cordium testimonium conscientiæ sufficit; & ideo honor, quoad Deum, potest consistere in solo interiori motu cordis, dum scilicet aliquis recognitat, vel Dei excellentiam, vel etiam alterius hominis coram Deo. Sed quoad homines, aliquis non potest testimonium ferre, nisi per aliqua signa exteriora, vel verborum, puta, cum aliquis ore pronunciat excellentiam alicuius, vel factis scilicet inclinationibus, obuiationibus & alijs eiusmodi, vel exterioribus rebus, idest, in munere oblatione, imaginum institutione &c. Cum igitur honor sit Adorationis genus, utiq; idem de Adoratione hominibus exhibita, erit dicendum. Minor, & consequentia sunt ex se manifestæ.

Confirmatur Adoratio hominibus exhibita, est ciuilis quedam, & humana obseruantia, sed hæc debet essentialiter consummari in actu externo, ergo Adoratio hominibus exhibita consummatur essentialiter in externo aliquo submissionis signo. Maior suadetur, quia prædicta Adoratio exhibetur homini, ratione humanæ excellentiæ, non enim hic loquimur de excellentia, quæ per participacionem dicitur Diuina, qualis est ea, quæ habetur per gratiam Sanctificantem, & virtutes eam comitantes, de qua agetur, cum de Adoratione Sanctorum erit sermo: constat autem Adorationem debere esse commensuratam excellentiæ, quæ est ratio illam defereendi, ideo Adoratio humana erit sicut, & excellentia. Hinc eiusmodi Adoratio diuidi solet, iuxta diuersas excellentias ab Arist:9. Ethic: cap.2.enumeratas

De Adoratione Dei.

A 2 quæ

DE ADORATIONE DEI.

quæ hominibus , & coram hominibus præstatur, hæc enim propriè loquendo est adoratio ciuilis , & humana, hoc est , nedum ex parte principij, verum etiam ex parte termini, in quem actus proxime tendit, quoad hanc equidem omnino conuincit ratio adducta, vt clarius mox innotescet .

4. Ad secundi impugnationem , *compl.* notandum ex N. Complut. in Physicis disp. 4. n. 2. finem cui , & cuius gratia integrare vnicam , & adæquatam rationem finis: eo ferè modo, quo cum obiectum diuiditur in materiale , & formale, non est diuisione in duas adæquatas rationes obiecti , sed inadæquatas, ad vnius, & adæquatae rationis constitutionem concurrentes. Hinc est intentionem agentis non sistere in fine cui , separato à fine cuius gratia ; & similiter finis cuius gratia non amatur , nisi , vt aliquid eius cui diligitur . Idque constat exemplo volentis, hominem infirmum sanare : non enim intenditur sanitas, si non supponatur homo sanabilis , cui ametur sanitas , quæ habet rationem finis cuius gratia . Hoc posito asserimus , externum illum cultum, ab interiori actu procedentem, ac cum eo coniunctū sumi, vt facientem quid vnum cum Persona adorata, habente intrinsecè excellentiam. Quo sit, vt totum eiusmodi aggregatum sit finis adæquatus illius adorationis; vnde oportet, adorationem vnius hominis respectu alterius , consumandam essentialiter esse in externo illo submissionis signo , non verò essentialiter completem acceptam in aliquo actu interno : quia si in hoc præcisè siste-ret non commensuraretur cum aggregato illo , quod , vt paulo antea diximus , habet rationem finis adæquati , respectu adorationis vnius hominis erga aliud .

Similiter, vt id , quod tertio loco dicitur , diluamus , notandum, ex-

cellentiam residentem in homine adorato , posse sumi dupliciter, primò in esse entis : secundo in ratione modi faciendi hominem excellen-tem . Iuxta primam considerationem importat proprium esse entitatiū , quod est , aut purè spirituale, aut merè corporeum, aut mixtum ex utroque : & quidem omnis humana excellētia in statu coniunctionis ad corpus , ac pro præsenti vita , semper permiscetur cum aliqua ratione corporeitatis , siue , quia acquiritur dependenter à corporeis sensibus , aut quia non exercetur , nisi dependenter à corporeis phantasmatibus , ceterum quoad secundam acceptiōnem , de materiali se habet prædictum esse entitatiū , de formalī autem importatur finis , ad quem ex natura sua ordinatur : nam modus perficiendi , debet esse accommodatus fini , quem naturaliter respicit , cum finis sit regula eorum, quæ ad ipsum ordinantur , vt communiter dici solet .

5. Secundò nota , in homine esse duplex perfectionum genus . Primum est earum , quæ perficiunt hominem , vt partem humanæ , & ciuilis Reipublicæ , sub quo comprehenduntur omnes scientiæ, artes , & dignitates , nempè Duci , Principis , Regis , & huiusmodi . Secundum est earum , quæ hominem perfectum reddunt , in ordine gratiæ sanctificantis , adeoque secundum , quod est ciuis Sanctorum , & domesticus Dei ; & sub isto clauduntur virtutes omnes , seù per se acquisitæ , seù per se infusæ , in quacumque potentia residentes , ac demum virtutes Theologales , dona , gratia sanctificans , & quicquid ordinem supernaturalem moraliter perfectū , ac completum integrat . Ex quo sequitur , vt primum perfectionum genus perficiat hominem modo prorsus humano , cum finis illarum humanum conuictum , ac societa- tem

tem non excedat. Secundum verò modo quodam Diuino, cum illarum proprius finis sit Deus, prout est in se: licet enim virtutes per se acquisitæ nudè sumptæ ad id non pertingant: secundum modum tamen, quo subduntur, siue actuali, siue virtuali charitatis relationi, finē quoque supernaturalem moraliter sumptum attingunt. De quo in tractatibus, aut de merito, aut de Charitate: Maximè quia in homine ad supernaturalem finem eleuato, non datur virtus per se acquisita simpliciter talis, nisi substat formationi charitatis, ut docet S. Th. 2. 2. q. 23. art. 1. omnes igitur huius generis perfectiones, vel sint purè spirituales, vel merè corporeæ, vel ex utraque ratione permixtæ, modo Diuino hominem perficiunt; idest in ordine ad Deum finem supernaturalem moralem, quod addimus, ut distinguamus ipsum ab ordine physico, quo etiam modo, seu sine charitate, seu omnino præscindendo ab eius relatione, attingi potest.

His positis dicimus adorationem ciuilem, de qua nunc loquimur, respicere primū genus perfectionum, quæ cum ordinem humanum, ut tales non excedant, & hic in præsenti vita sit indispensabiliter sensibilis, utique oportet eiusmodi perfectiones, modo prorsus humano perficientes, adorari adoratione indispensabiliter sensibili, quicquid sit de earum esse entitati, ad quod non attenditur. At posterioris generis perfectiones, quantumuis in esse entis à prioribus non differant, quia tamen, ut explicuimus perficiunt hominem modo Diuino, id circa adoratio tendens in homines, ut his perfectionibus excellentes, potest essentialiter consummari in actu interno, sicut dicemus consummari eum, qui in Deum tendit.

s. Tbo. S. I I.
Soluuntur contraria Argumenta.

6. Pro opposita sententia nulla adducemus aliorum Authorum argumenta: nullus etenim, quem viderimus, dubium præsens ex professo ad examen vocavit: possumus nihilominus oppugnando nostram assertionem, in hunc modum argumentari. Omnis actus virtutis essentialiter consummatur in actu interno sed adoratio exhibita hominibus, humano modo præcellentibus, est actus virtutis, ergo essentialiter consummabitur in actu, vel affectu interiori. Maior probatur, nam cum virtus sit aliquid morale, & moralitas fundetur in libertate, utique omnis eius essentia consummabitur in actu interiori, qui dumtaxat intrinsecè est liber: Actus enim purè externi solum per extrinsecam denominationem sunt liberi. Minor suadetur, quia est actus virtutis, peculiaris obseruantiae videlicet; Hanc enim S. Aug. lib. octoginta trium questionum quest. 3. sic ex Tullio s. Aug. definit obseruantia est, per quam homines aliqua dignitate antecellentes, cultu quodam, & honore dignamur.

Ad huius argumenti solutionem notanda est doctrina, quam habet Angelicus Præceptor 2. 2. qu. 52. art. 1. ubi asserit, ad Virginitatem, secundum quod est virtus, tria concurrens scilicet integratatem membris corporalis, hoc est signaculi Virginalis, immunitatem à delectatione, quæ ex sensibili seminis resolutione percipitur, & propositum perpetuò abstinenti à tali delectatione. Horum autem primū per accidens se habet, quia tenet se præcisè ex parte corporis, quod per accidens se habet ad moralem actum, qui non consideratur per se, nisi secundū ea, quæ sunt animæ. Secundū verò materialiter per se requiritur, nam sensibiles passiones sunt

DE ADORATIONE DEI.

sunt materia moralium virtutum. Tertium demum se habet omnino completiuè, & formaliter, cum per se primo pertineat ad animam. Ex quo aperte colligitur, ad integrandum actum virtutis Virginitatis, duo indispensabiliter exigi, quorum unum materialiter concurrit, nempe sensibilis passio, in quam propositum perpetuo abstinendi à venerea delectatione, formam Virginitatis superinducit, & ex his duobus consurgit completus actus virtutis Virginitatis: sicuti ex materia prima, & anima rationali, tamquam ex partibus essentialibus, homo integratur; vt ostendunt N. Compluten. in Physicis disp. 6. nu. 4.

7. Nunc respondetur, negando maiorem vniuersaliter intellectam, vt constat ex modo dictis de Virginitate, hæc enim ita indispensabiliter dependet à prædicta materia, vt si hæc fuerit semel deperdita, nec per Diuinam Omnipotentiam sit possibilis, vt omnes afferunt: hoc ipsum etiam dici potest de actu ciuilis adorationis, elicto à virtute obseruantia. Neque id sufficienti caret fundamento, cum enim actus formaliter respiciat humanam excellentiam, quæ residet in homine, vt parte sensibili, & humanæ Republicæ, nil mirum, ad sui essentiam postulare sensibile aliquod, ac externum submissionis signum, tamquam partem materiale, in quam interni actus forma superinducatur, vt de Virginitate nuper dictum est.

Ad maioris vero probationem, dicendum, quod non ex hoc, quod actus externus est tantummodo extrinsecè liber, colligendum est, quod prout coniunctus cum actu interno, nequeat esse formaliter in se bonus: etenim, vt inquiunt N. Salm. tract. de vitijs, & pecc. disp. 5. non est seruanda omnimoda paritas, inter denominationem liberi, & peccati, & consequenter etiam virtuosi: nam in

probabili satis sententia, quæ assertit libertatem tantum esse quid extrinsecum, respectu actuum voluntatis, vtique non negatur, istos esse intrinsecè, seu bonos, seu malos. Et ratio huius est quia aliunde desumitur denominatio liberi, & denominatio boni, aut virtuosi: illa enim si fuerit intrinseca, habetur ex eo, quod aliquid sit sub potestate voluntatis, ita tamen, vt sit intrinsecè potens ad utrumlibet: & quia actus externi sunt taliter sub potestate voluntatis, vt membrum externum non sit aptum natum, operari cum indifferentia ad utrumlibet, idcirco solum extrinsecè liber denominatur. Ceterum denominatio virtuosi, etiam intrinseca, desumitur, per respectum ad legem præcipientem, & quia leges sensibilis, socialis, & humanæ Republicæ præcipiunt actus, tali Republicæ conformes, adeoque etiam sensibiles, & externos, ideo in istis datur intrinseca conformitas ad tales leges, & consequenter erunt intrinsecè, & formaliter virtuosi, etiè extrinsecè liberi.

Declaratur magis hoc ipsum. Posito, quod Sacraenta nouæ legis instituta sint, pro humana, ac sensibili Republica Christifidelium, quam oportuit sensibili modo conuenire in vnam Religionem, quam per eadem Sacraenta protestantur: opus fuit talia Sacraenta, essentialiter consistere in aliquo omnino sensibili; sunt enim Sacraenta sensibia signa causativa insensibilis Sanctitatis: ita cum oportuerit ad rectam, ordinatamque sensibilis, & humanæ Republicæ institutionem, homines prærogativa aliqua præcellentes honorari, conformes omnino sunt prædictæ institutioni, externi hi submissionis actus, & vi huius conformitatis intrinsecè boni, quantumuis extrinsecè liberi.

DISPV TATIO I. DVBIUM I.

7

Notandum tamen, quod cum virtus principaliter in anima sedem habeat, idcirco ex interno ciuilis adorationis affectu, & externo actu, non ita consurgit unus adæquatus actus, vt ambo ex æquo concurrant; nam principalius, & tamquam dans speciem, concurrit actus internus, externus verò, vt recipiens. Quod constat tum ex adducto Virginitatis exemplo: tum ex compositis materialibus, in quibus, & si vtraque pars essentialiter requiratur, primum tamen locum obtinet forma, quæ trahit ad suam speciem materiam. Ut in physicis dici solet,

8. Secundum argumentum, per quod etiam tradita nunc doctrina, impugnatur. Plures sunt virtutes, quæ habent pro materia res externas, & tamen deficiente omni externo, nedum essentialiter, verum, & perfectè sunt virtutes, ergo quamvis materia ciuilis adorationis sint actus externi, adhuc his deficiente bus, haberi poterit essentialis, ac completus actus talis virtutis. Antecedens, quod dumtaxat probationem desiderat, docuit expressè S. Tho. 2. 2. qu. 152. art. 3. ad 2. his verbis Dicendum, quod connexio virtutum accipitur secundum illud, quod est formale in virtutibus, id est secundum Charitatem, vel secundum prudentiam: non autem secundum id, quod est materiale. Nihil enim prohibet alicui virtuoso, suppetere materiam unius virtutis, non autem materiam alterius. Sicut pauper habet materiam temperantiae, non autem materiam magnificantiae: & hoc modo alicui habenti alias virtutes deest materia Virginitatis, id est integritas carnis: tamen potest id, quod formale in Virginitate, habere, ut scilicet habeat in præparatione mentis, prædictæ integritatis seruanda propositum, si hoc sibi competere. Ex his autem verbis, primò probatum relinquitur antecedens, & rursus videmur supposuisse aliquid

S. Tho.

menti D. Tho: contrarium, cum asseruimus, Virginitatem virtutem, non posse in solo mentis proposito consummari, nam contrarium huius aperte docet hic S. Tho: loquens de Virginitate perfecta, cum sermonem habeat de virtutibus, vt dicentibus ad inuicem connexionem, quam dumtaxat dicunt in statu perfecto, vt suo loco ostensum est.

Vrgetur etiam paritas, inter magnificentiam, & ciuilem obseruantiam: Ideo enim ista essentialiter consummatur in actu externo, quia est virtus humanæ, ac sensibilis Reipublicæ bonum concernens, vt explicatum est. Hoc ipsum autem reperitur in magnificentia, cum magnifici sumptus, qui sunt illius materia, ad eiusdem sensibilis, & humanæ Reipublicæ bonum, apprimè conducant, vt ad alendas artes, ad iuuandos pauperes, & similia, cum igitur, hoc non obstante, non postulet essentialiter consummari in actu externo, idem asserendum videtur de ciuili obseruantia.

9. Respondetur distinguendo suppositum antecedentis, quod in prima illius parte continet, & si in eo fuerit sermo de materia omnino per se, negatur, non omnino per se, sed aliquo modo per accidens, conceditur; deinde concessa secunda antecedentis parte, negatur absolute consequentia. Et ratio huius est, quoniam externi illi actus sunt materia omnino per se, respectu obseruantiarum, eo quia hæc respicit cultum omnino sensibilem eorum, qui in humana, ac sensibili Republica præcellunt. Quod adeo verum est, vt D. Tho: 2. 2. qu. 103. art. 1. ad 1. dixerit, eiusmodi honorem exhiberi hominibus præcellentibus, vt etiam ab alijs honorentur, ex quo appareat, externa ea signa esse omnino propriam, ac per se materiam obseruantiarum. Tum etiam quia eiusmodi virtus, quæ consuevit etiam

S. Tho.

Viba-

Vrbanitas appellari, est ordinata ad perficiendum habentem, non prout est in se tantum, sed prout est pars sensibilis humanæ Reipublicæ, cuiusque societatis, & coniunctus; adeoque oportet ut ipsum perficiat etiam quatenus sensibilem, & consequenter etiam quoad externos corporis actus, ratione quorum est formaliter sensibilis.

10. Verum si loquamur de alijs quibusdam virtutibus, quæ habent pro materia res sensibiles, non omnino per se id illis competit, ex eo quod, eiusmodi virtutes sunt simpliciter ordinatae ad perficiendum habentem in se ipso, atque adeo simpliciter, & essentialiter consummantur in actu interno, quamvis ad eorum etiam accidentalem, & extensuam, omninoque secundariam perfectionem conducat hoc, quod est prorumpere in actus externos: & de harum numero est magnificentia, & aliæ ei similes, in quibus non militant, quæ de Vrbanitate diximus, ut satis ex se constat. Per quod pater ad probationem antecedentis, ex verbis D. Tho. desumptam. Ad id, quod assertur de Virginitate dicimus, S. Doctorem loco adducto aperte loqui de Virginitate, prout reperiri potest in conjugatis, quæ non est virtus peculiari modo à castitate distincta. Nos autem loquuti sumus de Virginitate strictè sumpta, quo modo illi respondet aureola Virginibus debita, & secundum hanc rationem est peculiari modo virtus, à communi castitate distincta, exigens immunitatem à sensibili delectatione, per voluntariam feminis resolutionem habita, hæc etenim sensibilis passio est propria omnino materia talis virtutis: sicut externa tormentorum perpetuo est propria materia actus fortitudinis Martyris, promerentis martyrij aureolam. De quo, suo loco dictum est. Ad ultimum dicendum, vtilitates

illas, consecutas ad externum magnificientia actum, solummodo per se respici à magnificencia, vt accidentaliter, non verò, vt essentialiter perfecta, quia prout sic sistit in habente illam. Et sanè, ex omnibus virtutum actibus externis sequuntur in humana Republica, vtilitates, ac sensibilia commoda; non inde tamen sit, actus externos essentialiter pertinere ad omnes virtutes.

Adde, & explicabitur magis hoc ipsum à contrario. Nam externa, ac sensibilis prorsus materia, adeoque & actus, duplice posse esse, vel omnino per se, quando videlicet est repugnantia ex naturæ rei inter suppositum, & materiam illam sensibilem, ut inter Angelum, & materiam Castitatis, & tunc apertere colligimus essentiam talis virtutis non esse in tali supposito. Ita è conuerso, cum inter Vrbanitatem, & externos, ac sensibiles totaliter actus submissionis, sit omnino peculiari connexio, ut demonstrauimus, optimè inde infertur, talem virtutem essentialiter non dari, nisi se extenderit ad materiam, & actus sensibiles, & externos, cum quibus ex sui natura connectitur.

11. Tertiò arguitur si ad eiusmodi obseruantiae, seu Vrbanitatis virtutis essentiale consummationem requireretur externus, ac sensibilis actus, tamquam illius necessaria materia, hæc virtus ponî, non posset in Angelis, atqui hoc, non videtur dicendum, ergo non exigetur praedictus actus. Sequela maioris constat, quia Angelis ex eorum insensibili prorsus natura repugnat actus sensibilis, adeoque, sicuti ob consimilem defectum materiae Virginitatis, hanc in Angelis non ponimus, ita nec in eisdem esset ponenda Vrbanitas. Minor suadetur, quia cum in Angelis seruetur decentissimus idem ordo, utique oportet, ciuilem eorum Rempublicam, in qua

in qua dantur distinctæ Hierarchiæ infimæ , mediæ , & supremæ , non oportet hanc virtutem illis dengare .

Confirmatur ; Eiusmodi virtus , non quidem sub conceptu virtutis , sed dumtaxat quoad entitatem , admittenda videtur in dæmonibus , ergo sub conceptu virtutis in bonis Angelis , omnino videtur ponenda , in quibus tamen , nequit sensibilis , ac externus actus propriè loquendo reperiri . Antecedens probatur , quia eiusmodi virtus respicit superiores , seu præcellentes : ut autem docet Angelicus Doctor i. p. quest. 109. art. 2. in dæmonibus reuera admittenda est prælatio , ita ut natura superiores præsideant inferioribus , vnde in ijs datur propria ratio formalis illius actus , quæ est excellentia : dabitur ergo in illis talis virtus , quoad entitatem , nam sub hoc munere non amiserunt virtutes ordinis naturalis , sicut retinent etiam amorem Dei naturalem , quoad entitatem acceptum . De quo alibi . Consequentia videtur omnino certa .

Respondetur ad argumentum , negando sequelam maioris , si fuerit in ea sermo de vrbaniitate excellentiori , quæ nullatenus neganda est Angelis : neque est simile quod affertur de Castitate , quia hæc residet in appetitu sensitiuo , cuius Angelii sunt incapaces : at Vrbanitas residet in voluntate , est enim pars potentialis Religionis pertinentis ad ordinem naturalem , qualis esset in ijs , quibus Deus author naturalis tantummodo reuelatus esset ; adeoque Angelis habentibus voluntatem , ex hoc capite non repugnat : aliunde etiam datur ratio formalis ex parte obiecti , quæ est superioritas , aut excellentia . Denique , etsi desit illis actus externus sensibilis ; non tamen actus externus insensibilis , seu spiritualis . Pro quo nota ex S. Tho. i. p. q. 107. art. 1. vnum Angelum allo-

De Adoratione Dei .

qui alterum , Ex hoc , quod concepens mentis Angelicæ ordinatur ad mani- s. Tho. festandum alteri per voluntatem ipsius Angelii , conceptus mentis unius Angelii innotescit alteri : & sic loquitur unus Angelus alteri . Ex quo fit , per istam ordinationem , dirigenter conceptum Angelii loquentis ad alterum , dari materiam externam , spiritualem tamen , adorationis Vrbanitatis . Quare , et si ex actu interno , & materia hæc externa spirituali consurgat virtus vrbaniatis excellentior , quam ea , quæ inter homines reperitur : adhuc tamen simpliciter concedenda est Angelis talis virtus , proportionata tamen , eorum Reipublicæ , quæ est humana longe excellentior . Et videtur dicendum , hanc diuersitatem , quoad materiā , inducere distinctionem specificam essentiale : etiam sequendo probabilem opinionem , quam docuerunt N. Complut . in lib. de Compt . Anima disp. 17. num. 11. nempe intellectum Angelicum , & humanum , & consequenter etiam voluntatem specie essentiali conuenire . Nam materia diuersi ordinis à sensibili , simul cum forma constituunt diuersam speciem , cum ad hanc diuersificandam sufficiat quæcumque inferioritas in materia vrbaniatis humanae , & superioritas in Angelica : tum etiam quia excellentia , qua unus Angelus alteri præminet , est specie distincta ab ea , qua unus homo alteri præponitur .

12. Per quod patet ad confirmationem , concedimus enim in prauis Angelis eiusmodi virtutem , quoad entitatem acceptam . Cuius non leue argumentum est , quod , ut omnes concedunt , dæmones superiores alligant inferiores aliquibus corporibus , & locis , & detinent illos , ne inde moueantur : quod fit per hoc , quod Angelii mali inferiores , per liberam , & immobilem , prorsus electionem adheserunt Lu-

B cifero,

cifero, tanquam supremo Domino, eique ut Tyranno obtemperare in omnibus ad hominum perniciem statuerunt obstinatissima prorsus voluntate: inde enim aperte colligitur inferiores dæmones obsequi superioribus, eosque colere, tanquam principes, ac Reges. Vide N. Salmant. tract. de Vitijs, & pecc. disp. 18. num. 50.

Salman.

Sed dices contra hoc, si inferiores dæmones seruiunt superioribus, hosque proinde ciuiliter adorant, vel hoc pertinet ad eorum naturam, vel culpam, vel penam; Non primum, quia seruitus non est ex natura, sed ex peccato consecuta: Nec pertinet ad culpam, siue penam, quia sic superiores dæmones, qui magis peccauerunt, inferioribus subderentur. Huic argumento, quod est S. Tho. 1. par. quæst. 109. art. 2. citato, respondet idem S. Doctor his verbis. *Dicendum, quod dæmones non sunt aequales secundum naturam. Unde in eis est naturalis prelatio: quod in hominibus non contingit, qui natura sunt pares. Quod autem inferiores superioribus subdantur, non est ad bonum superiorum, sed magis ad malum eorum: quia cum mala facere, maxime ad miseriam pertineat, praesse in malis, est esse magis miserum.*

S. Tho.

S. Tho.
13 Obicies tamen aduersus primam huius solutionis partem, quod ut docet Angelicus idem Præceptor 1. par. quæst. 96. art. 3. homines in statu Innocentiae non fuissent aequales, imo inæquales, quoad sexum, quoad iustitiam, quoad scientiam, quoad corpus: & loquitur de naturali inæqualitate, nam ad 3. ait Etiam ex parte naturæ poterat disparitas causari, non igitur vera est disparitas, quam assignat S. Tho. inter homines, & Angelos, aut sibi ipsis est contrarius.

Respondetur quod duplex est inæqualitas naturæ, alia simpliciter talis, & hæc habetur per distinctio-

nem specificam in illa: alia est secundum quid talis, & hæc habetur per magis, & minus intra eandem speciem. Prima ergo reperitur inter Angelos, siue bonos, siue malos.

Secunda inter homines, etiam pertinentes ad statum Innocentiae, neque ista importat imperfectionem aliquam, quæ sit pena peccati, ut citata quæst. 96. probat S. Tho. Ex quo fit, quod in statu Innocentiae, unus homo non dominatus fuisset alteri, tanquam seruo; sed tanquam libero, quatenus, ut explicat S. Tho: eadem quæst. art. sequenti superior homo inferiorem direxisset, sed ad bonum proprium eius, qui dirigitur, vel ad bonum commune. Nulla igitur est contradicatio in verbis S. Tho. quia Dæmones natura inferiores sunt propriè loquendo servi superiorum, & hæc seruitus est fundata in eorum naturis, quarum una est simpliciter inferior, unde posito peccato, utique datur. Non vero in Angelis bonis, in quibus cum naturæ inferioritate peccatum non datur. Ex quo colliges etiam, in statu Innocentiae si perdurasset, concedendam fore virtutem urbanitatis, respectu superiorum hominum, qui modo dicto, alijs inferioribus dominati fuissent.

S. Tho.

D V B I V M II.

Vtrum adoratio qua Deum veneramur essentialiter consummetur in actu interno?

A Ciuali urbanitate expediti, ad sacram, ac supernaturalem adorationem gradum facimus, huius enim proprium munus est cultum Deo supernaturali authori exhibere; ex huius etiam decisione difficultatis constabit, quid dicendum sit de adoratione, quæ rebus alijs sanctitate aliqua supernatura-

li præcellentibus defertur; nam vt ex dubij processu innotescet, est ferè eadem ratio.

§. I.

Ponitur prima assertio, & probatur author. S. Tho. & Script.

14. **D**icendum est primò, adorationem, qua Deum colimus, essentialiter consummari in actu interno: licet ad eius complementum accidentale requiratur etiam externus, ac sensibilis actus. Primam huius assertionis partem, clarè docuit S. Tho. 2. 2. quæst. 84. art. 2. his verbis: *Quia ex dupli natura compositi sumus, intellectuali scilicet & sensibili, duplicem adoracionem Deo offerimus, spiritualem, que consistit in interiori mentis denotione: & corporalem, que consistit in exteriori corporis humiliatione;* Et quia in omnibus artibus Latræ, id, quod est exterius, refertur ad id, quod est interiorius, sicut ad principalius, ideo ipsa exterior adoratio sit propter interiorē; ut videlicet per signa humilitatis quæ corporaliter exhibemus, excite tur noster affectus ad subiiciendum se Deo, quia connaturale est nobis, ut per sensibilia, ad intelligibilia procedamus. Vt mir ergo, iuxta hæc S. Tho. verba, exteriori adoratione, tanquam medio ordinato ad finem interioris adorationis, & tanquam instrumento ad eandem interiorum adoracionem excitandam, nemo autem non videt, medium, & instrumentum esse omnino secundaria, adeoque non pertinere ad essentiam rei: cum primum, quod in unaquaque re inuenitur, sit eius essentia. Quapropter in responsione ad secundum, hoc ipsum clarius expressit S. Doctor, cum ait *Dicendum, quod sicut oratio, primordialiter est quidem in mente, secundariò autem verbis exprimitur, ut supra dictum est.* (nempè quæst. 83.

De Adoratione Dei.

S. Tho.

præcedenti art. 12. vbi expressè asserit, orationem factam à singulari persona non exigere necessariò extēnum, ac sensibilem actum) Ita etiam adoratio, principaliter quidem in interiori Dei reverentia consistit, secundariò autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis, sicut genuflectimus nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum. Prosternimus autem nos, quasi profentes nos, nihil esse ex nobis. Manifestè igitur apparet, S. Doctorem excludere ab essentia adorationis actus externos, quos asserit secundariò spectare ad illam: & rursus, ex comparatione ad orationem, de cuius essentia asseruit non esse actum extēnum. Videatur etiam 2.2. quæst. 81. art. 7.

15. Sed dicit P. Vasq. disp. 93. cap. 3. num. 31. Quod forsan S. Tho. interiorum adorationem appellat voluntatem exterius adorandi, vel exhibendi Deo notam exteriorem, submissi animi. Verum hoc, aperte contradicit verbis S. Doctoris. Et ratio est manifesta, nam si nomine adorationis intelligeret S. Tho. voluntatem exhibendi Deo notam exteriorem, vtique hæc esset illius obiectum, ergo iam exterior actus non pertineret ad secundariā rationē adorationis, sed primariā, cum obiectū alicuius actus, primariò, tanquā specificatiuum inspiciatur, vt patet in voluntate exercendi extēnam, deambulationem, si ergo exterior actus, (vt inquit S. Doctor) est secundariò spectans ad adorationem, nequit, iuxta mentem ipsius, nomine adorationis, intelligi voluntas exhibendi exteriorem notam submissi animi.

Deinde, cum in citata solutionē, ad secundum dicat S. Tho. adorationem similem esse orationi, de qua, loco citato, dixerat essentialiter consummari posse in actu interno, vtique oportet, quod idem de

B 2 adora-

Adoratione sentiat. Videri etiam potest S. Doctor 2.2. quæst. 103. ar. 1. vbi ponit hoc discrimen inter honorem delatum Deo, & illum, qui defertur hominibus; scilicet quod quia Deus intuetur cor, ideo s. Tho. honor, quoad Deum potest consistere in solo interiori motu cordis, quo nihil clarius dici poterat pro nostra assertione, & ad excludendam P. Vasquez responsonem.

p. Vasq. Adhuc tamen responderet Vasq:, honorem latius patere, quam late patet Adoratio, defertur enim Deo, oratione, laude, gratiarum actione, & votis, quæ omnia sine exteriori opere possunt consummari, licet Adoratio non possit. Tum etiam, quia ibi solum assignat honorem erga Deum in apprehensione excellentiæ, hæc autem sola sine affectu non est peculiaris actus honoris. Hactenus Vasq:

Hæc tamen duo, omnino contraria apparent menti S. Tho: nam ibi aperte loquitur de honore, prout includitur in Adoratione, quæ est honoris species, subdit enim honorem delatum hominibus, requirere externa signa obuiationis, inclinationis, & similia, in quibus utique etiam, iuxta Vasq: Adoratio externa consistit, adeoque est affectus internæ Adorationis, cum igitur honorem, qui defertur hominibus, contradistinguat ab eo, qui Deo tribuitur, planum est ipsum loqui de honore delato Deo, vt clauso in specie Adorationis. Amplius, cum excellentia personæ adoratæ sit ratio deferendi illi honorem Adorationis, hoc ipso, quod S. Tho: loquatur de honore, qui tribuitur Deo ratione suæ excellentiæ (vt fatetur Vasqu;) euidens est, ipsum loqui de honore etiam vt clauso in Adoratione, quamuis etiam verum sit, ipsum loqui de honore, prout ad alia se extendit, quod utique non obstat. Ad secun-

di impugnationem, oportet solum legere textum S. Doctoris, (sic enim ait) honor, quoad Deum, solum potest consistere in interiori motu cordis: Quis autem non videat, nomine interioris motus cordis non venire solam apprehensionem, sed hanc simul cum affectu voluntatis, imo maximè affectum voluntatis, cui magis quadrat metaphora cordis, hoc enim propria sedes est amoris. Sed nimium in re satis clara immorati sumus. S. Tho. sequuntur Raphael de la Torre disp. 3. in 2.2. ad quæst. 84. ar. 2. & plures alij, quos adducit, & sequitur P. P. Suar. Suar. tomo 1. in 3 p. disp. 5 1. sec. 2. non longe à principio.

16. Probatur nunc eadem prima pars authoritate Scripturæ nam Psal. 96. sic habetur; *Adorate eum omnes Angeli eius.* Quo loco sermonem esse de Adoratione propriè dicta, & consequenter de illa, secundum quod est peculiaris Religionis actus, manifestè colligitur ex eo, quod Propheta præmiserit. *Confundantur omnes,* qui adorant sculptilia, & qui glorianter in simulacris suis. Quasi velit falso, ac superstitione Adorationis actui, quo Gentes simulacra colebant, verum ac proprium Adorationis Religionis actum, quo Angeli Deum Adorant, contraponere, explicans in hoc sui cordis affectum, quo optabat, per veram Angelorum Adorationem compensari iniuriam illam, quam tolerabat Deus à Gentibus, inania simulacra adorantibus. Vnde S. Aug: hunc versiculum exponens, ait *Discant Pagani adorare Deum.* *Angelos volunt adorare, Angelos imitantur, & illum adorent, qui ab Angelis adoratur.* Secundò, satisque expressa auctoritas habetur Ioa: 4. cum Christus alloquens Samaritanam, ait. *Veni adoratores Adorant Patrem in Spiritu, & veritate Nam, & Pater tales*

s. Tho.

Psal.

s. Aug.

s. Ioannis

11.4.

sales querit, qui adorent eum. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum in Spiritu, & veritate, oportet adorare.* Datur ergo, iuxta Christi Domini sententiam, vera, omninoque propria adoratio spiritualis, quæ utique in actu interiori essentialiter consummatur: Imo hæc est ea, quæ propriè Deo summè spirituali congruit, vt ex his verbis (sole clarius) apparet imò, & ratione probatur, quatenus ostenditur, debere esse correspondentiam inter actum Adorationis, & Personæ quæ Adoratur, excellentiam; Quod & nos, dubio præcedenti, loquentes de Adoratione ciuili, expendimus.

17. Ad primam tamen ex his *e. Vasq.* authoritatibus respondere non renuit P. Vasq. disp. 93. cap. 5. n. 57 vel posse locum illum Psalmi exponi de Adoratione metaphorica, qua expositione, non semel vtuntur author's circa alias authoritates, sè absque metaphora, intelligi posse de Adoratione communiter dicti, non strictè sumpta, eo ferè modo quo, omne peccatum hoc ipso quod est transgressio legis, dici solet inobedientia. Quam posteriorem expositionem cap. 2. num. 27. accomodauerat etiam secundæ authoritati, circa quam plura dicit quæ referre, & examinare superuacaneum esset.

Verum enim uero non est difficile hæc omnia reiucere. Tum quia verba Sacré Scripturæ sunt in proprio sensu intelligenda, quando nullum inde sequitur absurdum; Quis autem reputet absurdum, Angelos elicere verè proprium Adorationis actum, cum in illis nemo neget Religionem per se infusam, si enim hæc in illis datur, quodnam inconueniens erit, imo quonammodo conuenientissimum non erit, ipsos propriè, ac rigorosè Adorationis actum elicere? Deinde, si infusæ Angelorum Religioni negatur

proprius Adorationis actus, vtique negatur illi excellentissimus eiusdem virtutis proprius actus, à quo vtique omnes alij originantur, adoratio enim, vt dicetur dub. seq; defertur Deo, vt excellentissimo rerum omnium principio, adeoque est nobilissimus eiusdem virtutis actus, per quem etiam omnia nostra Deo subicimus; quis autem dicat nobilissimam Religionem in Angelis existentem, carere suo perfectissimo actu, à quo externi pendent. Nec valet, quod secundò loco asseritur; etenim omnino voluntariè exponuntur talia loca de Adoratione communiter dicta, nec habetur huius expositionis ex verbis citatis, vel leue fundamentum; imo, vt diximus, habetur oppositum! Quapropter melius de his responsionibus usurpare possemus, quod dixit Vasq: n. 57. de arguento ex his authoritatibus de sumpto, idest, quod *nullius momenti censeri debent*. Quoad Santos Patres, videri potest D. Ioa: Damasc: lib. 4. Orthod: Fid: in princip: cap: 13. vbi, vt refertur à S. Tho: 2.2. q. 84. ar. 2. distinguit duplarem adorationem spiritualem scilicet, & sensibilem, adeoque censet adorationem spiritualem, quæ utique in actu interno consummatur, esse essentialiter Adorationem. Videatur etiam P. Suarez, qui quamplures alias authoritates, loco citato adducit; sed quæ ha-
ctenus diximus, sufficiunt.



S. I I.

*Eiusdem prime assertionis utraque pars ratione probatur :
Vnde deducitur secunda assertio .*

S. Thos: 18. **R** Elicitis aliorum rationibus , quibus eandem , primam assertionis partem probare possemus , vt emur ea , quæ desumitur ex doctrina , quam tradidit Angelicus Præceptor 1. 2. q. 56. ar. 5. vbi , vt ostendat dari quidem posse aliquos quasi habitus in sensibus internis , hos tamen nunquam posse ad essentiam virtutum pertingere ; sic ait *Si qui sunt habitus in talibus viribus , virtutes dici non possunt ; Virtus enim est habitus perfectus , quo non contingit , nisi bonum operari : Vnde oportet , quod virtus sit in illa potentia , quæ est consummatio bona operis .* Ex quo fit , in eantum potentia essentialiter consummari actum virtutis , in qua essentia eiusdem virtutis residet : Hæc enim duo mutuam inter se dicunt connexionem .

S. Theb: Notandum etiam ex eodem Sancto Doctore , quæst. de Virtutibus ar. 4. membra corporis non posse esse subiectum virtutis , cuius rationem assignans , inquit , virtutem propriè dictam versari circa actus humanos , vt tales sunt , non vero , vt vtcumque exercitos per hominem , cum enim homo habeat aliquos actus essentialiter similes actibus brutorum , & plantarum , si virtus propriè dicta versaretur circa omnes , & quoscumque actus ab homine elicitos , possemus vtique , & in brutis , & in plantis virtutes propriè dictas ponere , quod nemo dixit . Porro actus humanus vt talis ille censetur cuius homo habet dominium , quia in dominio , & li-

bertate reliquas creaturas inferiores homo præcellit : Actus autem membrorum externorum non sunt sub dominio principij proximi à quo eliciuntur , & in quo consummantur , cum manus , pes , brachium obedient animæ ad nutum , eique absque potestate repugnandi , adeoque rigorosa seruitute subiciantur . Hæc omnia ibi Angelicus Præceptor . His positis efformatur ratio pro prima assertionis parte in hunc modum .

19. Nullus habitus virtutis , propriè dictæ subiectari potest in externis corporis membris , sed solum in potentijs internis ; sed vbi est habitus virtutis propriè dictæ , ibi debet esse consummatio actus talis virtutis , ergo actus adoracionis essentialiter consummatur in interiori actu . Maior constat ex secundo notabili . Minor suadetur ex primo notando , nam si de essentia virtutis est opus perfectum , ac consummatum reddere , vtique hoc ipso quod in membris externis non detur habitus virtutis , euidens est in illis non consummari essentialiter actum virtutis , sed dumtaxat in ea potentia , in qua essentia eiusmodi habitus datur . Conseq: constat ex præmissis .

Confirmatur , Religio essentialiter sumpta residet solūmodo in voluntate ; ergo etiam Adoratio essentialiter sumpta consummabitur in sola voluntate . Antecedens constat . Tum ex modo dictis , Tum quia cum sit modo infra dicendo , quoad suam specificam rationem virtutum moralium nobilissima , vt docet S. Thos: 2.2. q. 81. ar. 6. de quo nos dicemus , disp. vlt. dub. 4. virtutum autem nobilissima , sedem , debet habere solummodo in potentia interiori animæ quæ est propria hominis , secundum quod reliquis alijs inferioribus creaturis præeminet , adeoque in sola voluntate erit collo-

collocanda . Consequentia habetur ex adductis notabilibus , & rursus quia Adoratio erga Deum , nempe Latria , de qua nunc loquimur , essentialiter sumpta à Religione immediatè elicitor , unde & Religio solet etiam absolute Latra appellari ; sicut , quia primus actus voluntatis , quia ab illa immediatè elicitor , solet etiam volitio nuncupari . Diximus autem , adoratio essentialiter sumpta , quia ut accidentaliter completa , requiritur etiam , quod sit in membris externis , ut ex dicendis constabit .

20. Nihilominus contra hanc nostram rationem dici posset , eius doctrinam nullatenus coherere cum ea , quam dubio præcedenti tradidimus ; siquidem ciuilis adoratio , seu vrbana , etiam est vera virtus , & tamen illius actus essentialiter in externa corporis humiliatiōe consummatur , vt ibidem diximus : non est igitur vniuersaliter verum , aut non dari in membris externis habitus virtutum , aut eorum actus , essentialiter consummati in potentia interiori , in qua virtutum habitus sedem habent .

Ad huius enodationem , & clariorem adductæ rationis intelligentiam , notandum ; actus externos posse dupliciter considerari , primò in ratione actuum , seu quatenus exercitia eorumdem externorum membrorum . Secundò quatenus obiecta actuum internorum , externum enim homicidium est obiectū interioris actus occidendi , & secundum hanc rationem , externi actus præcedunt interiores in genere cause formalis obiectuā : sicut quoad priorem illam rationem subsequuntur , tanquam effectus interiorum actuum .

Sciendum rursus , quod lex externa , secundum quod mediante lumine rationis informato per prudentiam (ex his enim omnibus ha-

betur adæquata mensura , & regula humanarum actionum) præcipit , siue prohibet humanas actiones , non se extendit ad actus externos , secundum quod in ratione actuum considerantur , alias in actibus externis daretur malitia , & bonitas formalis omnino intrinseca , quod iuxta Thomistarum sentētiā est falsum : illos igitur solūmodo prohibet , aut præcipit , tanquam obiecta actuum internorum , unde gaudent tantummodo bonitate intrinseca obiectua , vel etiam malitia ; sed bonitatem , aut malitiam formalem , quae sunt propriæ actuum , ut talium , solum extrinsecè habent , ita ut bonitas , & malitia formalis , quæ intrinsecè denominat actus voluntatis eadem extrinsecè denominant actus externos . Videri potest , quoad hoc notandum Angelicus Doctor 1. 2. S. Tho. art. 1. & 2. vbi sic ait . In exteriori actu potest considerari duplex bonitas , vel malitia . Una secundum debitam materiam , & circumstantias . Alia , secundum ordinem ad finem . Et ista quidem , que est secundum ordinem ad finem , tota dependet ex voluntate . Ecce bonitatem formalem à fine desumptam , & extrinsecè positam in actibus externis , cum finis unde desumitur sit omnino extra obiectum membrorum externorum , ac actionum , quæ ab illis eliciuntur . Illa autem , que est ex debita materia , vel circumstantijs dependet ex ratione , & ex hac dependet bonitas voluntatis , secundum quod in ipsam fertur . Ecce bonitatem , vel malitiam obiectuā actus exterioris ; cum obiectum sit illud , in quod fertur potentia , eiusque actus . Fusè hanc explicant doctrinam N. Salm , tomo de Vitijs , & Salman . pecc. disp. 10. dub. 1. num. 34. & sequentibus .

21. Tandem animaduertimus dari leges aliquas humanas , quibus prohiberi , seu præcipi possunt actus merè externi , nedum quatenus obie-

cta ,

cta , verum etiam quatenus actus , & exercitia externorum membrorum , ita tamen ut non præcipiantur , aut prohibeantur separati ab actibus internis , sed prout ex internis subsequuntur ; adeoque coniuncti cum illis . Ratio huius videtur nobis manifesta , nam lex Ecclesiastica prohibens occisionem clerici sub pena excommunicationis , vtique , non prohibet eiusmodi occisionem externam precisè ut obiectum , nam si hoc modo illam prohiberet , certè incurreretur excommunicatio , ex hoc præcisè , quod voluntas per actum internum ferretur in clericidium , sicuti trasgreditur legem Diuinam prohibentem occisionem hominis , voluntas quæ per internum actum eam vult , quod non alia ratione contingit , quia per legem Diuinam vetatur homicidium externum , ut obiectum . Est autem omnium sententia Theologorum , prædictam excommunicationem non incurrere , nisi ponentem exterum actum occisionis clericis , quod habetur ex Glossa in caput *Mulieres de sententia excommunicationis* .

Demum , quia cum humanus legislator , saltem per se primo , non habeat facultatem in actus internos , sed in actus externos , poterit istos , secundum quod sunt actus externi prohibere , aut præcipere , ex eo quod , ut externè exerciti , ac independenter etiam ab actibus internis , ad seruandum decorem , & debitum ordinem in humana Republica requisitum conducant : oportet enim sensibiliter innotescere honorem delatum his , qui in eadem Republica , siue dignitate , siue aliqua prerogativa alios excedunt , siue demum aliorum gubernationi incumbunt .

22. Neque obstat , quod eiusmodi actus externi non sint intrinsecè liberi , & consequenter nec ex propria natura formaliter morales :

lex enim humana , quantum est ex se præcipit , vel prohibet illos ut ortos ex interiori affectu , adeoque ut procedentes ab intrinseca virtute , secundum quam rationem participant saltem extrinsecam libertatem , & moralitatem formalem , quæ sufficit ad hoc ut præcipi , aut prohiberi possint , tanquam actus , & exercitia ab ea lege , quæ solum directè habet potestatem in actus externos , adeoque dici potest lex quædam externa , nedum ea communi ratione , qua lex omnis est externa respectu rei præceptæ , sed ex peculiari ea materia actuum externorum , circa quos versatur .

Ex quibus omnibus deducitur , nullam esse contradictionem inter doctrinam huius , & præcedentis dubij : in hoc enim est sermo de adoratione , quæ præcipitur per legem æternam , ut participatam in lumine rationis rectificato per Religionem , & prudentiam , quæ cum versentur per se primo , circa actus internos , quos solummodo dirigunt , mirum non est , externam adorationem non esse de ratione consummationis essentialis illius , quia lex interna sufficienter quoad essentialia adimpletur per actum internum . At dubio præcedenti erat sermo de adoratione præcepta per legem merè ciuilem , & humanam cuius propria , ac primaria potestas est in actus externos , ac proinde quoad eius essentialia insufficienter adimpleretur , nisi ponerentur actus externi , vnde hi pertinent ad essentialem consummationem adorationis ciuilis , quæ per eiusmodi ciuilem legem præcipitur . Nec mirum est respectu legis , modo dicto externæ , etiam actus externos esse essentialiter virtuosos , dummodo coniungantur cum internis , qui sunt principaliores partes virtuosæ , & ciuilis adorationis , ut diximus dubio præcedenti num. 7. circa finem .

23. Probatur nunc secunda pars, ratione desumpta ex S. Tho: 2.2. qu. 8.1. art. 1. ad 3. quæ sub hac forma proponi potest. Adoratio defertur Deo, ut supremo Dominu, ac tanquam rerum omnium Authori, sed ad hoc præstandum requiritur, nedum interna, verum etiā externa adoratio, tāquā illius accidentale cōplementum, ergo externa corporis adoratio Deo exhibita, se habet, ut accidentale cōplementum, non verò, ut essentialis consummatio adorationis erga Deum. Maior communiter docetur à Theologis. Minor suadetur, quia Deus, nedum est primus Author interioris, verum etiam exterioris hominis: cum hoc tamen discrimine, ut exterior homo ad interiorē, tanquam ad finem proximum, & principalem ordinetur: eo ferè modo quo irrationalib[us] voluit propter hominem, cui inseruiunt: ex quo sequitur, quod etiā ad completam omnino adorationem exigatur exterior actus, non tamen, ut quid propter se intentum, sed ut intentum propter interiorē: ut diximus de irrationalibus: & explicari posset, etiam exemplo accidentium, quæ propter substantiam intenduntur: qua propter, sicut essentiæ, seu rationalium, seu substantiæ, absque irrationalibus, & absque accidentibus, essentialiter perseverant completæ ita, & de interna adoratione censendum: & rursus, sicut nec rationalia, ne substantia essent accidentaliter completa absque irrationalibus, & absque accidentibus: ita loquendo de adoratione interna, absque externa. Consequentia liquet.

24. Oportet tamen hanc eandem partem diligentius explicare; vndè sciendum, quod triplex potest esse accidentale cōplementum. Primum, quod prouenit ab acci-

De Adoratione Dei.

dentibus merè communibus, vti est esse album, respectu hominum, nam nec omni, nec soli, nec semper homini competit habere albedinem, vndè nullo modo est illius accidens proprium, sed merè commune. Secundum habetur ab accidentibus, quæ soli, semper, & omni competit homini, ut est risibilitas, & quæ sic competit, sunt rigorosæ proprietates de potentia ordinaria inseparabiles. Tertium, medio modo se habet, ita, ut licet omni, & soli, non tamen semper competat, ut videre est in calore sumo, respectu ignis, qui omni, & soli igni competit, non tamen semper, adeoque etiam de potentia ordinaria datur essentia ignis absque summo prorsus calore, quod videre est etiam in alijs elementis, quibus aliqua qualitas in summo competit, non enim semper conuenit; vndè eiusmodi accidentia non sunt rigorosæ proprietates, nec mera accidentia communia, sed medio modo se habent, & de utroque extremo aliquid participant.

Scitò rursus, quod cum S. Tho: loco nunc citato, ex 2.2.ad 2. adorationem comparauit orationi: id circò de adoratione, cum proportione ad orationem est ratiocinandum. De oratione autem loquens S. Doctor 2.2.qu.8.3. art. 12. sic ait. *Dicendum, quod duplex est oratio com. s. Tho.* munis, & singularis. Communis quidem oratio est, quæ per ministros Ecclesie, in persona totius fidelis populi Deo offertur, & ideo oportet, quod talis oratio innotescat toti populo, pro quo profertur, quod non posset fieri, nisi esset vocalis, & ideo rationabiliter institutum est, ut ministri Ecclesie huiusmodi orationes, etiam alta voce pronuncient, ut ad notitiam omnium possint peruenire. Secus dicit de oratione, quæ Deo funditur à singulari persona, siue pro se, siue pro alijs,

nam sufficit pro hac interior motus, nec per se, vox externa requiritur, quamvis triplici etiam ratione, adiungatur illi vox externa, de quo ibi S. D.

25. Non dissimiliter ergo de adoratione dicendum, si enim communiter fiat, & ad protestandum, cultum, quem Deo offerimus, dicendum nobis videtur externa adorationis signa, animi submissionem indicantia, de necessitate requiri, adeoque esse quidem complementum accidentale internæ adoratio-*nis*, sed per modum rigorosæ proprietatis, quæ proinde sit à sua es-*senti*a inseparabilis; vt de oratione communi dixit S. Thomas, afferens, oportere eam esse sensibili, externaque voce expressam, vt alijs innotescat; fit enim, talis adoratio ad offerendum Deo cultum, humano prorsus, & sensibili modo, & con-sequenter, quatenus in eo fideles omnes ad eandem Ecclesiam pertinentes conueniunt, vndē de necessitate oportet esse sensibilem, alias omnes non possent in illa, humano modo conuenire, homines enim so-*lum*, quæ exterius apparent, cognoscunt. Ceterum si loquamur de adoratione, prout à singulari persona elicita, exiguntur quidem externa signa, non tamen de necessitate, sed ad hoc, vt per illa prouocetur ani-*mus* ad internam adorationis sub-*missionem*, quatenus connaturale est homini per sensibilia, manu-*duci* ad insensibilia; non tamen de necessitate, imo aliquando utilius erit, eiusmodi exterioribus signis non vti, cum videlicet per illam di-*strahitur* mens ab interna attentio-*ne*, vt dixit S. Tho. de Oratione, his verbis. *In singulari oratione tan-tum est, vocibus, & huiusmodi signis utendum, quantum proficit ad excitandum interius mentem. Si vero mens per hoc di-*strabatur*, vel qualitercum-*

que impediatur, est à talibus cessa-dum. Quod præcipue contingit in his, quorum mens, sine huiusmodi signis est sufficienter ad devotionem parata. Quamvis ergo ratione prædictæ connaturalitatis, aliquo modo, ea externa signa dici possint comple-mentum accidentale proprium, non tamen inseparabile. Amplius, vt ibidem dicit S. Doctor, sicut ex-terna vox additur interne orationi s. Tho. ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione, secun-dum illud Psal. 15. Letatum est cor meum, & exultauit lingua mea. Si-mili modo, & in interno adoratio-nis affectu continget: manifestum, est autem, quod id, quod est ex re-dundantia, vtique non est ex nece-sitate, sed solum conueniet ex qua-dam naturali sequela adorationi in-ternæ, prout pertingit quodāmodo ad summum suæ perfectionis, quod tamen vtique est ab essentia adora-tionis separabile, vt inducione pa-tet in alijs.

26. Ex quibus deducitur, di-cendum esse secundò, adorationem Sanctis exhibitam, essentialiter con-summari in actu interno, & acci-dentaliter, modo dicto, in externis sub-*missionis corporis signis*. Hæc apertè sequitur ex dictis, nam sicut Deus inspecto*r* est cordium; ita, & Sancti, qui in Diuina essentia clare visa, motus cordium adorantium, illos intuentur. Denique quia eorum excellentia est supra huma-nam, cum eos, supernaturali ac Diuino modo perficiat, adeoque militat in illis, proportione seruata, quod dixit Christus Samaritanæ. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant illum in spiritu, & veritate oportet adorare;* sunt enim ratione sanctita-tis per participationem Dij, ac filij excelsi omnes, adeoque quamvis adoratio, qua illos veneramur, de-beat esse inferioris conditionis, ac spe-

speciei, quoad hoc tamen debet, per omnia assimilari Latriæ, qua Deum colimus. Eo vel maximè, quia quantumvis hæc adoratio proximè respiciat Sanctos, ultimatè tandem fertur in Deum, à cuius excellentia omnis Sanctorum excellentia penderet, ut melius infrà, agentes de Sanctorum adoratione, dicimus; erit igitur, quoad hanc essentiale consummationem non dissimilis ab ea, qua Deum adoramus. Et quia res videtur manifesta, amplius in ea immorari, superuacuum esset.

g. III.

Soluuntur Argumenta oppositæ Sententiae.

P. Vasq. 27. **S**ententiam afferentem, ad adorationis essentiam constitutandam, requiri externa submissionis signa per corporis membra exercita, docuit P. Vasq: disp. 93. in tertiam partem capit. 4. qui aliquos adducit, ut D. Bonauenturam in 3. dist. 9. art. 2. quæst. 3. & 4. (de quo tamen dubitat P. Suar. in eandem 3. par. disp. 51. sec. 2. in principio, an docuerint sententiam Vasquezij) Almainum Maiorem, & Marsilium, ut videri potest apud ipsum. Probari autem primo potest hic dicendi modus, auctoritate S. Tho. qui 22. quæst. 84. agens de exterioribus actibus Religionis, numerat inter illos adorationem, de qua primo loco disputat: & hoc satis clarè expressit in proemio eiusdem quæstionis, cum ait, *Considerandum est de exterioribus actibus latræ, & primo de adoratione, per quam aliquid suum corpus ad Deum venerandum exhibet.* Si igitur adoratio versatur circa corpus, tanquam circa propriam omnino materiam, manifestum est, iuxta mentem San-

S. Bonauent.
Almain.
Maior.
Marsil.
S. Tho.

De Adoratione Dei.

Eti Thomæ adorationem, essentialiter sumptam, in externis submissio- nis signis consummari.

Respondeatur, verum quidem, esse, Angelicum Præceptorem in citata quæstione agere de externo adorationis actu: inde tamen non infertur, exteriora ea corporis signa spectare ad essentiam adorationis, sed solum secundario ad illam pertinere, tanquam illius accidentale complementum, modo supra numero 24. & 25. exposito: peculiariter ergo S. Doctor mouet eam, quæstionem pro ijs, quæ accidentaliter spectant ad adorationem. Quæ propter sicut male quis inferret, ad essentiale fidei Theologalis complementum pertinere actum externe confessionis, eo quia S. Tho: quæstionem 3. eiusdem 2. 2. pro externo actu fidei instituit: ita quoad præsens. Maximè quia, ut explicuimus numeris mox cit: exteriora hæc corporis signa peculiariter connectuntur cum adoratione essentialiter sumpta, siue eliciatur in communi, siue à singulari persona. Eo vel maximè, quia S. Tho: iam quæst. 81. explicauerat internam, & essentiale adorationem: imo in hac eadem quæstione, artic. 2. expressè distinguit duplicem adorationem nempe spiritualem, quam principaliorem appellat, & externam, quam afferit ordinari ad illam, & consequenter esse secundariam, & extra essentiam propriam adorationis, ut iam explicuimus.

28. Sed contra hanc solutionem vrgetur. Ex hoc, quod oratio solūmodo accidentaliter, externum actum requirat, S. Tho: enumerauit illam inter internos Religionis actus, nec peculiarem quæstionem pro eius actibus externis excitauit, ergò cum adorationem inter externos enumerauerit Religionis actus, & peculiarem pro istis quæstionem scripsérit, satis aperte indicauit,

C 2 exter-

externa adorationis signa spectare ad essentiam adorationis: non enim appareat alia ratio huius discriminis, vt consideranti notum fiet. Respondetur, rationem huius diuersitatis esse, quia adoratio sub hoc nomine, magis appropriatur actibus externis corporis, quam interno, quo essentialiter Deo cultum latriæ exhibemus. Et huius ratio desumitur ex ipsomet nomine adorationis, videtur enim componi ex præpositione *Ad*, & *orare*, & consequenter illud denotat, quod præuiè se habet ad orationem, seu petitionem; quatenus videlicet, eo mediante præparamur, ac disponimur ad petitionem: quod facimus, corpus reuerenter componendo, genuflectendo, caput detegendo, inclinando, &c. iuxta illud Marth.

S. Matt. 20. Accessit ad eum Mater Filiorum Zebedei, adorans, & petens aliquid ab eo. Quod vtique in oratione non contingit, vndē mirum non est, hanc inter internos; illam verò, inter externos Latriæ actus potuisse enumerare. Deinde arguit Vasq. ex authoritate S. Ioan. Damasceni, sed cum constet ex relatione S. Thomæ quæst. 84. cit. art. 2. ipsum apertè concedere adorationem spiritualem in interno actu essentialiter consummatam, dicendum, quod si quando definiuit adorationem per externos corporis actus, solum voluit eam describere, & explicare per notiora nobis: cum internus adorationis actus sit satis occultus, vt ex statim dicendis constabit.

29. Secundò in hunc modum argumentamur. Ex doctrina Sancti Thomæ 2. 2. quæst. 81. artic. 1. ad 3. & ad 4. & alijs in locis, adorationem exhibemus Deo, tanquam primo principio creationis, & gubernationis, ergo essentialis, & adæquata ratio adorationis non saluatur in actu interno, sed omnino

actum externum exiget. Antecedens constat, tum ex D. Tho. tum ex communi Theologorum sensu; Consequentia suadetur, quia Deus nendum est principium creationis, & gubernationis animæ, verum etiam corporum, vt igitur per adorationem adæquatam tanquam primum principium recognoscatur, opus erit adæquata adorationis essentiam, nendum in interno, verum etiam in externo corporis gestu constituere; sic enim erit adæquata correspondentia, inter essentiam adorationis, & rationem adorandi, quæ est esse primum principium, tam animæ, quam corporis.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequiam, & ratio negationis est, quia non ex eo, quod adorationis actus essentialiter consummetur in interno, ideo solum interior homo Deo, tanquam primo principio creationis, & gubernationis subicitur, verum etiam per eundem actum subditur, & corpus: quantumuis enim externa corporis submissio excitet ad actum internum eliciendum, non tamen propterea sine illa haberi nequit etiam corporis subiectio ad Deum vt ad primum, & animæ, & corporis principium. Hinc falsum credimus, quod dixit Raphael de la Torre in artic. 2. quæst. 84. 2. 2. *De la Torre.* S. Tho: disp. 3. ad 3. cum implicitè tangens hanc difficultatem, dixit *Adoratio interna in exercitio saltem, offert Deo mentem, externa verò corpus adorantis, quo fit, ut unaqueque per se necessaria sit adimplenda munia adorationis.* Per hæc enim verba iam denotatur adæquata adorationis essentiam non saluari in solo actu interno. Maximè quia ad hoc, vt Deo tanquam primo principio offeratur corpus adorantis, nullatenus est per se necessaria externa corporis adoratio, sed interna omnino

nino sufficit, cum anima gaudeat despoticō principatu in corpus, vnde illud independenter à quacumque eius actione, Deo subdere potest, absque eo quod detur in membris externis resistendi facultas.

30. Tertiò arguitur si ob aliquā rationem, adoratio erga Deum non consumaretur essentialiter in externis corporis signis, id maximè esset quia omnis virtutis actus erga Deū essentialiter consummatur in potentijs internis, sed hoc in aliquibus virtutibus est falsum, ergo re vera adorationis actus, in mēbris externis poterit essentialiter consummari. Maior constat ex dictis pro nostra assertione. Minor suadetur, tum quia, vt nos ipsi diximus, actus virtutis virginitatis consummatur essentialiter in corpore: Tum quia actus fortitudinis martyrij, quoad essentiam non habetur, nisi detur extera tolerantia cruciatuum, qui ex se sint mortis illatiui; adeoque in tractatu de beatitudine dictum est, aureolas Virginitatis, & martyrij, quæ non sunt præmia, nisi actuum virtutis non conferri, nisi ijs, qui cum mentis proposito coniungunt, & externam carnis integritatem, & cruciatus mortis illatiuos in corpore sustinent.

Respondeatur cōcedendo maiore, & negando minorem, ad cuius probationem, vt respondeamus, sciendū aureolam non deberi cuicunque virtutis actui; sed excellentissimo, vnde definitur à D.Tho: in 4. dist. 49. q. 5. art. 5. Priuilegium præmium priuilegiata victoria respondens. Sicut autem priuilegium est supra communes leges, ita priuilegiata victoria per actum relata, est supra communem excellentiam virtuosæ operationis. Hinc fit aureolam non deberi cuicunque castitatis, aut fortitudinis actui, sed excellentissimo in ijs generibus. Ex quo habetur, Castitatis, ac fortitudinis actus, so-

lum consummari in corpore, quatenus sunt excellentissimi, non verò si secundum eorum essentiam sumantur, quo modo nunc de adorationis actu loquimur: qua propter, cum dubio præcedenti vi sumus paritate virginitatis, ad explicandam ciuilem adorationem, debet ea paritas, iuxta modo dicta intellegi, cum in exemplis omnimoda, paritas non exigatur. Hinc Virginitas, quæ non est voto firmata, solum accidentaliter, ratione videlicet maioris excellentiae, intra eandem speciem ab essentia virtutis castitatis distinguitur. Eò vel maximè, quia Virginitati vt excellenti, adeoque, vt peculiari modo à castitate distinctæ, non respondet aurea, scù gloria essentialis, sed aureola, hoc est coronula, quæ ad accidentalem gloriam spectat, indè enim non obscurè colligitur peculiarem eam Virginitatis excellentiam, quæ communi castitati præeminet, non spectare ad essentiam actus virtuosi.

Adderurus, quod sicut oratio vt supra num. 25. dicebamus ex vehementi affectu cordis redundat in corpus: ita & adoratio potest sumi, secundum quod ex vehementi affectu interno erga Deum redundat in corpus, quod per externa humilitatis signa Deo subicit: in quo assimilari potest Virginitati, secundum quod addit excellentiam peculiarem, supra communem castitatem, adeoque ex' proposito mentis redundat etiam in corpus, quod ab omni venerea delectatione seruat immune, siue ea licita fuerit, siue illicita. Supereft aliud argumentum, quo nituntur aduersarij probare assignari non posse internum aliquem actum, in quo sita sit essentia adorationis, vt à reliquis distincta, sed de hoc dubio sequenti agendum, in quo, etiam unitas specifica, & formalis eiusdem actus vocabitur ad examen.

D V B I V M III:

Vtrum erga Deum detur vnicatantum in specie Adoratio, & in quo sita sit?

Constituimus dubio præcedenti essentiam adorationis erga Deum in actu interno, sed adhuc non examinauimus in quonam actu propriè loquendo, eadem essentia consistat, quare hoc inuestigandum aggredimur in præsentiarum: Et quia essentia cuiuslibet respectiui, cuius generis est actus adorationis, à sua ratione formaliter inspecta maxime pendet, idcirco primo loco quærenda hæc erit: Et cum ab ista immediatè habeatur vñitas specifica actus, propterea in prima dubij parte, quod circa illam occurrit, erit decidendum, deinde in secunda proprium illius distinctiuum aperiemus, quantumuis enim constitutiuum, & distinctiuum realiter loquendo sint idem, formaliter tamen, prius est rem aliquam esse indiuisam in se, deinde diuisam esse à qualibet alia.

§. I.

Premittuntur quedam ad dubij decisionem necessaria.

31. **A**d clariorem dicendorum notitiam, sciendum Dei Adorationem sumi posse primo, pro quocumq; cultu, quem Deo exhibemus per omnes virtutum actus: Cum enim cultum Deo exhibere, sit proprium Religionis, & hæc virtutibus omnibus imperet, vtique virtutum omnium actus ad Dei cultum ex imperio Religionis, ac prout illi substant, referuntur. Hæc est

doctrina D. Tho: quest. 87. ar. 1. ad 1. vbi illius rationem optimam assignat, cum ait. *Alios autem actus habebat (Religio videlicet) quos producit medianibus virtutibus, quibus imperat; ordinans eos ad Divinam reverentiam, quia scilicet virtus, ad quam pertinet finis, imperat virtutibus ad quas pertinent ea, quæ sunt ad finem.* In his verbis asserit Angelicus Doctor, in actibus omnium virtutum moralium, ex imperio Religionis, reperiri cultum Dei, non tamen loquitur de virtutibus Theologalibus, quæ Religioni omnino præminent. Indubitatum tamen est, actus Theologalium virtutum, hoc ipsum habere, apertissimè id docuit S. Augustin: in Enchir: cap. 3. & 6. & 12. de Trinit. cap. 14. & 10. de Civit. Dei cap. 9. cum asseruit. *Christianam Religionem maximè colere Deum Fide, Spe, & Charitate.* Et hoc habere possunt eiusmodi virtutes, eorumque actus, etiam ex imperio Religionis, quod optime aduertit P. Suar. tomo 1. in 3. par. disp. 51. sec. 2. §. *Vltimo ex dictis intelligitur &c.* quia non in conuenit, Religionem, per actum imperatum attingere immediate Deum, non enim ex hoc euadit virtus Theologalis, quia vt talis esset, oporteret illam per actum elicitum, sic Deum attingere: Et propterea etiam pænitentia imperat actum amoris Dei super omnia. Sic ille. Adhuc tamen supereffet explicare, qua ratione virtus inferior possit simpliciter superiori imperare, cum imperans videatur superioritatem habere, respectu eius, cui imperat, sicut mouens est superior mobili.

Et quamvis hoc diligentius inuestigare, non sit omnino proprium præsentis instituti, breuiter tamen dici potest quod etiam si virtus Religionis, nudè sumpta non sit superior ijs virtutibus, suppositum tamen

S. Tho:

S. Aug.

Suar.

men constitutum in gratia potest per Religionem , tanquam per instrumentum , seu per principium , quò virtutibus Theologalibus imperare , adeoque causa principalis , & principium quod eiusdem imperii est tale suppositum , quod ratione gratiæ prexeminet omnibus prædictis virtutibus , nec effectus commensuratur cum instrumento , & principio quo , sed maxime cum causa principali , & principio quod Amplius , ex parte etiam virtutis Theologalis non est inconueniens , eam exequi eiusmodi imperium . Nam primò fit potens , illum executioni mandare , ratione eius , quod virtus imperans , in virtute cui imperat imprimet : Non enim virtutes , quantumuis superiores possunt proprios fines inferiorum virtutum attingere , alias yna Charitas pro omnibus actibus virtuosis eliciendis sufficeret . Secundò eiusmodi executio non est superiori virtuti indecens , cum per eam non tollatur , quod superior virtus per se primo versetur circa suum proprium obiectum , nec ordinatur ad prædictam executionem , tanquam ad finem primarium , & cuius gratia , sed tanquam ad quid secundarium , habens rationem finis effecti . Eo modo quo Diuini Verbi Incarnatio ad humani generis salutem , tanquam ad finem secundarium , & effectum , absque ullo inconuenienti , & indecentia , ordinata fuit .

32. Hæc est igitur generalis quædam Adoratio , ac cultus Dei , qui habetur ex hoc , quod omnium virtutum exerciti actus in Dei honorem , & gloriam cedunt iuxta illud Apostoli 1. ad Chorinth: 10. *Apoll.* *Omnia in Gloriam Dei facite* , Id est , vt exponit Angelicus Doctor lec. 7. *s. Tho:* in principio *Cum inuocatione Creatoris ea intentione* , *ut Deus laudetur* ,

& glorificetur . *Math: 5.* sic luceat lux vestra coram hominibus , &c. ad Coloss: 3. omne quodcumque facitis , in verbo , aut in opere , omnia in gloriam Dei facite *August: Hac si rectè fuent laudes* , *Dei sunt* . Non ergo solum vox tua sonet laudes , sed etiam opera tua concordent cum voce tua . *Cum enim Deus laudatur de bono ope re* , *Deum laudas* , &c. Hæc tamen non est peculiaris ea Adoratio , quam inuestigamus , vnde ea omis sa , eam querimus , quæ ab omnibus his prædictis est distincta .

Ad proprium hunc ergo Adorationis actum reperiendum , præsupponendum rursus est , Adorationem propriè dictam esse actum à Religionis virtute elicatum , vt manifeste docuit S. Tho: 2.2. quæst. 84. & alibi , id quod etiam ex infra dicendiis innotescet : Religio autem Adorationis elicitiua residet in voluntate , tanquam in proprio subiecto , vt docuit idem Angelicus Præceptor 2.2. quæst. 83. art. 3. ad 1. cum ait , *Religio , quæ est in volun tate , ordinat actus aliorum potentiarum ad Dei reverentiam* . Hinc adoratio erit actus à voluntate , per virtutem Religionis elauata , elicitus , quamuis enim non omnes actus Religionis , quoad entitatem , à voluntate per hanc virtutem eleuata , eliantur , vt constat in actu orationis , quæ quantum ad substantiam est loquutio quædam ; quoad Adorationem tamen nulla adest ratio , ob quam sit ponenda , quantum ad sui entitatem actus in altera potentia ab ea , in qua residet Religio , vt ex se manifestum appetat , imò exigitur oppositum , vt notum fiet ex natura illius actus , in quo Adorationem propriè dictam constitue mus . Adhuc tamen cum hoc optimè coheret , vt Adoratio propriè dicta actum intellectus prærequirat , à quo dirigatur : *Hic autem actus* *vtique*

vtique erit cognitio, seu existimatio de excellentia eius, cui adoratio defertur, non enim adoramus aliquem, nisi ratione excellentiae, quam in persona adorata reperiri cognoscimus. Non inde tamen deducendum, vtrumque hunc intellectus, & voluntatis actum ad essentiam adorationis pertinere, immo potius oppositum omnino continget: nam adorationis actus est unum per se, non vero unum per accidens, vti esset, posito quod ex utroque actu essentia eius consurgeret; actus enim intellectus, & voluntatis sunt entia completa, ex quibus unum per se non consurgit. De quo apud Theologos nulla est controvicia; quare solummodo actus intellectus directius concurret, ostendendo motuum, propter quod obiectum adoratione dignum censemur.

§. II.

Duplici assertione proposita difficultas deciditur.

Dicendum est primò, actum adorationis erga Deum esse unum unitate specifica, & athoma. Ita aperte docuit S. Tho. ut constabit ex ratione, quam infra ex ipsius doctrina desumemus. S. Doctorum sequitur P. Suar. tomo i. in 3. par. disp. 51. sect. 4. vbi afferit, hanc esse communem Theologorum sententiam. Probatur ratione S. Tho. ex 2. 2. quæst. 81. art. 3. ad 1. & quæst. 84. art. 1. ad 2. Adorationis actus respicit Deum sub una eademque ratione formalis eiusdem, prorsus athomæ speciei, sed actus habent unitatem specificam à ratione formalis, sub qua obiecta respiciunt, ergo actus adorationis, quo respicitur Deus est unus prorsus in specie athoma. Maior, in cuius probatio-

ne sita est omnis difficultas suadetur, nam adoratio respicit Deum sub ratione primi principij creationis, & gubernationis omnium creaturarum, adeoque supremi prorsus Domini earundem creaturarum: ad hanc autem primi principij rationem constituendam concurrunt omnes excellentiae, omnesque Diuinæ perfectiones: immo & omnes tres Diuinæ Personæ: omnia enim hæc excellentiam Diuinam integrant, ita ut quolibet eorum deficiente, suprema prorsus vniuersalissimi, primique principij supereminencia omnino deficeret, quod non obscurè expressit Angelicus præceptor 2.2. quæst. 81. S. Tho. citata, cum ait *Diuerse autem rationes attributorum, concurrunt ad rationem primi principij: quia Deus producit omnia, & gubernat, sapientia, voluntate, & potentia bonitatis sue.* Diuersitas ergo Diuinorum perfectionum pro materiali se habet ad formalem unius primi principij rationem, id enim denotatur per illud verbum *concurrunt*, quæ enim concurrunt ad aliquid constituendum simul sumpta illud constituunt, & consequenter in omnibus est una ratio formalis constituendi. Minor constat ex communi Metaphysicorum asserto circa specificationem potentiarum, habituum, & actuum. Consequens liquet ex præmissis.

Confirmatur: Religionis virtus, secundum quod fertur in Deum, est una virtus in specie athoma, at qui hoc ipsum dicendum de adoratione, ab illa erga Deum elicita, ergo adoratio prout fertur in Deum est unus actus in specie athoma. Maior suadetur ex doctrina, quam habet S. Doctor 2. 2. quæst. 101. art. 3. ad 2. & quæst. 103. art. 3. ad 1. vbi afferit, virtutem Religionis sub eminentiori ratione respicere in Deo omnes illius excellentias, secundum quod sunt cultu dignæ, sicuti enim Deus est

est eminenter Pater noster, ita solum à nobis colitur pietate eminentiali, quæ omnino cum Religione coincidit; & sicut pariter est eminenter Dominus, ita per eminentiam Duliam, quæ à Religione non distinguitur ipsum veneramur, idemque asserendum de Obseruantiae actu, qui Deum ut Regem, supremumque principem respicit, ac de alijs rationibus, si quæ fuerint aliæ. Quare etiamsi eiusmodi actus respectu creatarum excellentiarum specie distinguuntur, secus respectu Dei. Et hoc forte propter maximam colligationem, quam habent eiusmodi rationes ad constituendum vnam, eandemque indiuisibilem rationem primi principij, quarum si desit aliqua, deficiat oportet formalis ratio primi principij: secus in persona creata, in qua ob illarum limitationem potest vna separata ab altera reperiri, non enim ratio Patris, cum ratione Regis est indispensabiliter colligata, nec è conuerso, vt ex se patet.

34. Minor suadetur, ex eo quod vt dicetur assertione sequenti, adorationis latræ actus est primus, qui à Religionis virtute elicetur, in primo autem actu omnino splendens, debet id quod fuerit proprium sui eliciti principij: quod eleganter docuit S. Doctor quæst. 16. de malo art. 4. ad 4. cum in hunc modum loquitur *Dicendum quod operatio, quam habet res in principio sui esse, congruit naturæ ipsius.* Ex qua propositione deducit Angelum non posuisse habere primum actum malum, quia in illo debuisset splendere propria natura à qua immediatè procedit, adeoque colligeretur inde naturam ex se malam esse, quod est inconueniens. Eo vel maximè, quia principium operatiuum habet peculiarem omnino inclinationem ad primum actum eliciendum; cum

De Adoratione: Dei.

enim in causa, & effectu natura exordium sumat à perfectioribus, vt dixit idem S. Doctor 1. par. qu. 82. art. 3. ad 2. & constat in omnibus proprietatibus, quæ primò, & immediatè ab aliqua natura procedunt: fit inde dari prædictam peculiarem inclinationem ad primum actum, sicut in illo est peculiaris perfectio, quæ est magnes vrgentioris inclinationis. Hæc autem particularis inclinatio vtique imprimet maiorem omnino similitudinem, cum suo principio elicitu, nam omnis inclinatio causæ est ad assimilandum sibi effectum, vnde maior inclinatio erit magis assimilativa; eadem igitur vnitatem quam habet Religio, Deum respiciens, habebit, & actus adorationis erga eundem Deum, hoc ipso quod sit primus actus ab ea elicitus.

Tum etiam quia nullibi S. Doctor egit de essentiali adorationis actu, quam cum egit de Religione, pro vno eodemque reputans actum Religionis, & adorationis essentialiter sumptæ: idque etiam non obscurè ostenditur, ex eo quod nomen Latræ est commune tum habitui Religionis, vt legenti S. Doctorem erit manifestum, & actui illi, quo Deo soli cultum exhibemus, nam hic communiter à Theologis latræ appellatur. Et quia nomen ad rei essentiali significandam imponitur, signum est in virtute Religionis, & adorationis actu eandem ponendam esse specificam vnitatem, quæ cum essentia coincidit.

35. Dicendum est secundo actum internum quo Deum adoramus, esse actum voluntatis, quo mentem nostram Deo ut supremo Domino subiçimus, qui cum superaddito modo facilitatis omnino est idem, ac Deuotio. Ut præfens assertio quoad vtramque partem innotescat, sciendum virtutem ali-

D

quam

quam determinata sumi posse primum, ut dicit tendentiam ad proprium obiectum sibi à ratione, & prudenter prefixum, & hoc modo dicit quid commune habitui, dispositio- ni, & actui, in hac enim tendentia, omnis virtus particularis sub quo- cumque, trium prædictorum statu nullam dicit diuersitatem, tempe- rantia enim exempli causa, siue ha- beat statum habitus, id est sit diffi- cile mobilis à subiecto, siue statum dispositionis, hoc est sit facile mo- bilis, siue statum actus, videlicet per modum transeuntis, semper re- spicit hoc quod est temperatè co- medere: quare distinctio specifica, si quæ est inter habitum, & disposi- tionem strictè dictam de materiali omnino se habet, quod videtur apud omnes certum.

Secundò sumi potest virtus sub proprio statu virtatis, adeoque ut est habitus, cum enim virtus propriè dicta sonet quid perfectum, disposi- tio vtpotè imperfecta; vix dici potest virtus. Hoc autem modo sumpta su- raddit & esse difficile mobilis à subie- cto, & promptitudinem in ordine ad eliciendos actus virtutis. Hæc au- tem duo loquendo de virtute super- naturali, & per se infusa dupliciter illi possunt conuenire, nempe intrin- secè, & extrinsecè. Intrinsecè omnis virtus supernaturalis est difficile mobilis, quatenus dicit colligatio- nem cum gratia sanctificante, quæ vt docet Angelicus Doctor quæst.
 27. de Veritate art. 2. ad 7. ponitur in prima specie qualitatis, & est re- uera habitus: vnde hoc ipsum ha- bent virtutes morales per se infusa, cum illa indispensabiliter connexæ. Facilitas etiam, seu promptitudo conuenit eisdem habitibus intrinsecè, quia quantum est ex se sunt per- fectæ virtutes, & quamuis habitus dumtaxat virtutibus per se infusa non cesset difficultas, hæc non ori-

tur ex intrinseco defectu habitus virtutis per se infusa, sed ex impedi- mentis extrinsecis, quæ per exerci- tium virtutum per se acquisitarum, amota non sunt. Ita S. Doctor 1. 2. quæst. 65. art. 3. ad 2. his verbis ^{s. Tho.}
Habitus moralium virtutum infusa- rum patiuntur interdum difficultatem propter aliquas dispositiones contra- rias, ex precedentibus actibus relitas. Quæ quidem difficultas, non ita accidit in virtutibus moralibus acquisitis, quia per exercitium actus, quo acquiruntur, tolluntur etiam contraria dispositiones. Ex quo fit quod extrinsecè virtus supernaturalis sit difficile mobilis, & tribuat promptitudinem, quatenus connotat motionem talium impedimentorum, consistentem in ijs contrarijs dispositionibus, quæ im- pellunt ad peccandum, adeoque in- ferunt gratiæ, & virtutum corrup- tionem, & impediunt ne virtus promptè in actus suos prorumpat.

36. In conclusione itaque asser- imus, quod actus subiendi se Deo per cultum adorationis, adeoque actus, quo Deum, ut supremum Do- minum colimus, elicitor à Religio- ne secundum quod est virtus infusa, dicens tendentiam in cultum Deo, ut supremo Domino, & ultimo fini offerendum, & consequenter ut di- cens immobilitatem, & facilitatem, seu promptitudinem intrinsecas, & essentiales, qui actus dicitur, & est deuotio, secundum quod connotat remotionem impedimentorum, adeoque ut dicit immobilitatem, & facilitatem, seu promptitudinem extrinsecas, hoc est prouenientes ex remotione extrinsecorum impedi- mentorum. Quæ mox probabimus, ex D. Tho. quem in eo quod abso- lutè asserit, deuotionem esse actum proprium Religionis sequuntur Caiet. 2. 2. quæst. 82. art. 1. & 2. Raphael dela Torre in eundem lo- cum disp. vnica, & alij.

Pro-

^{Caiet.}
 Raphael dela Torre

Probatur nunc ratione quoad primam partem. Adoratio respicit Deum sub ratione supremi Domini, sed actus quo respicitur Dominus est subiectio, ergo adoratio est actus, quo mentem nostram Deo subicimus. Maior constat, cum enim adoratio sit actus Religionis, quo respicitur Deus sub ratione primi principij creationis, & gubernationis, & ratione creationis, & gubernationis Deus sit formaliter supremus creaturarum Dominus, vtique adoratio respicit Deum sub ratione supremi Domini. Minor constat, quia correlatum Domini est subditus, seu seruus, vnde S. Tho. 2. 2. quæst. 82. art. 2. afferit, quod operari quæ pertinent ad Diuinum cultum, seu famulatum, pertinet propriè ad Religionem. Consequentia liquet ex præmissis. Circa quam nota nos consulto dixisse mentem nostram quia loquimur de adoratione vt præcisè est actus internus Religionis, nam prout se extendit ad externa, per adorationem subicitur etiā corpus.

37. Probatur quoad secundam partem. Deuotio importat totalem subiectionem mentis ad Deum, vt ad supremum Dominum, sed totalis subiectio mentis ad Deum, vt ad supremum dominum dicit facilitatem illam extrinsecam, ergo deuotio ponit proprietate adorationis internæ actus, quatenus supra primarium Religionis actum addit prædictam facilitatem extrinsecam, iam explicatam. Maior constat ex D. Tho. 2. 2. quæst. 82. art. 1. dicente. Deuotio dicitur à deuouendo, vnde deuoti dicuntur qui seipso quodammodo Deo deuouent, vt ei se totaliter subdant. Et post pauca subdit Deuotio nihil aliud esse videtur, quam voluntas quedam promptè tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum; constat autem, quod vbi est promptitudo ad famu-

De Adoratione Dei.

landum, est etiam totalis subiectio, si enim totalis non esset, vtique esset aliqua retardatio, adeoque non promptitudo. Minor constat, totalis enim subiectio supponit nullum esse siue intrinsecum, siue extrinsecum eam impediens, vnde cumque enim haberetur difficultas, vtique tolleretur totalis subiectio. Consequentia probatur, nam Religio, vt pote virtus per se infusa, ex sui natura non tribuit promptitudinem, propriè dictam, cum habens virtutes per se infusas patiatur non leues difficultates, vt igitur actus primus religionis colentis Deum fiat, propriè loquendo, promptus, & facilis, oportet connotari remotionem impedimentorum, haberique facilitatem illam extrinsecam, dato enim tali connotato actus ille subiectonis ad Deum, fit totalis subiectio, & consequenter fit deuotio.

Diximus promptitudinem propriè dictam, quia promptitudo coincidit cum facilitate, hæc autem dicit remotionem difficultatum, quæ supposita infusione habitus Religionis, vtique sunt extrinsecæ. Hinc constat quod dixit Caiet. in art. 1. quæst. 82. citatæ quod promptitudo non est nudè modus, sed modus in actu voluntatis, elicto videlicet ab hac potentia per virtutem Religionis perfecta, & eleuata. Quod explicat exemplo similitatis, quæ non est absolutè curitas, sed curitas in determinata parte corporis, naso videlicet. Quod & nos afferimus, cum dicimus in actu subiectionis mentis nostræ ad Deum, vt ad supremum Dominum resultare promptitudinem fierique actum deuotionis, connotata remotione impedimentorum.

Confirmatur ex doctrina quam tradunt N. Salman. in arbore generali virtutum num. 62. vbi in hunc modum deuotionem describunt:

D 2 Deuo-

Deuotio est actus primarius Religionis in toto rigore elicitus, & veluti fons, à quo emanat quicquid in alijs est reuerentie, & Religionis; & post pauca, Tribuitur specialiter deuotioni promptitudo, quia cum munus eius primarium sit hominem offerre, & subicere ad Deo famulandum per omnes actus bonos, non modo dat facilitatem ad proprium actum (quod commune est alijs virtutibus) sed reddit hominem promptum, & paratum ad omnes, quatenus in Dei seruitium, & famulatum cedunt. Ipsaque deuotio est quidam fervor affectus, expellens omnia impedientia, omnemque tergiuersationem voluntatis, ut nihil sit retardans à Dei seruitio & famulatu. In quibus verbis aperte continetur doctrina quam tradidimus: nam sicut etiam Charitatis actus tunc feruidus dicitur, quando etiam extrinseca impedientia per virtutum per se acquisitarum exercitium sunt remota. Non dissimiliter loquendo de feruido Religionis actu, quem deuotionem esse asserimus.

§. III.

Soluuntur argumenta contraria.

38. **A** Duversus primam assertiones, quibus oportet responsum præbere. Prima desumitur ex S. Aug. quæst. 94. in Exod. dicente Deo, vt Deo latriam, vt Domino verò duliam deberi, sed Latria, & dulia vt dicetur sunt duæ adorationes specie distinctæ, ergo non est vniqa tantum adorationis species erga Deum. Maximè quia S. Io: Damasc. orat. 3. de imaginibus fol. 5. enumerat quinque titulos, ratione quorum Deus est adoratione dignus. Tertiò quia S. Tho. 1. 2. quæst. 102. art. 3. ad 8. assignat triplicem Sacrificio-

rum speciem erga Deum, nempè holocaustum, quod offerebatur Deo in reuerentiam maiestatis eius; hostiam pro peccato, & demum hostiam pacificam, quæ offerebatur in gratiarum actionem, vel pro salute, & prosperitate offerentium, cur ergo non dabitur multiplex adoracionis species erga eundem Deum, cum possimus plures titulos æquè benè respectu adorationis, ac respectu aliorum actuum, etiam in materia Religionis distinguere?

Ad primum respondet S. Tho. 2. 2. quæst. 103. art. 3. ad 1. his verbis. *Dicendum quod Religio, sicut per excellentiam dicitur pietas, in quantum S. Tho. Deus est per excellentiam pater: ita & latria per excellentiam dicitur dulia: in quantum Deus excellenter est Dominus. Non autem creatura participat potentiam creandi, ratione cuius Deo debetur latria, Et ideo Glossa illa (nempè in Psal. 7.) attribuens latriam Deo secundum creationem, qua creaturæ non communicatur: duliam verò secundum dominium, quod creaturæ communicatur. Vna itaque eademque formalis latria secundum expressum munus latriæ tendit in Deum, vt Deus est; secundum aliud munus eminentialis duliae respicit Deum vt Dominum, Deus autem vt Dominus superaddit Deo, vt tali denominationem extrinsecam desumptam à relatione seruitutis, quæ realiter intrinsecè existit in creaturis.*

39. Ingerit tamen hæc responso aliquam difficultatem, cum in ea asseritur creationem non communicari creaturæ: communicari verò dominium: nam vel est sermo de communicatione vniuoca, & sic neutrum communicatur: vel de æquiuoca, & videtur quod hoc modo vtrumque communicetur, nam virtus productiva, qua vna creatura aliam producit, videtur esse æqui-

S. Aug.

S. Io: Da
masc.

S. Tho.

uoca participatio creationis : sicut Dominum, quo vna creatura dominatur alteri est deficiens quædam participatio dominij Diuini . Respondet optimum esse discrimen à S. Tho. adductum : ad eius impugnationem dicitur , idcirco virtutem creandi dici incomunicabilem creaturis , quia Deus creans nullo modo vtitur , nec vti potest creatura , etiam vt instrumento ad creandum , quod probatum est in Metaphysica . Non ita quoad rationem dominandi , verè enim vna creatura , homo videlicet dominatur alijs : iuxta illud Gen. 1. *Domini nisi pescibus maris , & volatilibus celi .* Ex quo etiam oritur , quod Deus creaturas superiores inferiorum rectrices , & gubernatrices constitutat , adeoque dignas veneratione duliae . Ratio autem huius discriminationis desumitur , ex eo , quod creatio producat primum omnino esse , cum faciat rem ex nihilo , vnde solius primæ cause creatio est propria , nec vlla creatura aut omnino , aut participatiè potest aliquid ex puro nihilo producere . At dominari supponit esse productum , vnde sicut creaturæ communicatur productio ex præsupposito subiecto , ita & dominium supponens primum esse producendum .

Ad aliud ex S. Io: Damas. dicitur plures illos titulos esse inadæquatos respectu rationis primi principij , quam formalissimè respicit adoratio erga Deum , quomodo autem sint inadæquati constat ex dictis nu. 33. Ad illud ex D. Tho. dicendum quod si in ijs tribus Sacrificijs consideretur ratio communis Diuini cultus , secundum quam rationem respondent virtuti Religionis formaliter , sunt eiusdem speciei , quamvis materialiter differant : eo ferè modo , quo omnes intellectiones quantumvis ex peculiaribus obie-

ctis specie distinguantur , adhuc tamen in ratione intellectiois sunt eiusdem speciei , quia prout sic sumuntur in ratione termini habitudinis potentie , in qua omnes conueniunt . Vide quoad hanc doctrinam N. Salm: tract. de vlt. fine disp. *Salman.* 1. num. 98.

40. Secundò arguitur secundum diuersas rationes formales , in Deo repertas distinguuntur tres species virtutum Theologalium , ergo etiam iuxta diuersos titulos , ratione quorum Deus est adoratione dignus , distinguendæ erunt erga eundem Deum plures adorationum species . Antecedens probatione non indiget . Consequentia suadetur , tum ex paritate rationis : tum ex maiori excellentia Theologalium virtutum , quæ intra eundem ordinem supernaturem omnino præminent , vndè non apparet , quomodo Religio per vnum adorationis actum possit omnes prædictos titulos attingere .

Respondet P. Suar. disp. 51. in 3. par. sect. 4. Diuersitatem eorum titulorum , aut attributorum , quæ in Deo reperitur tunc sufficere ad diuersificantia specie actus , quando ex parte nostra datur diuersus modus operandi , vt contingit in cognitione , & amore : aut etiam quando ex parte attributorum datur diuersa in genere honestas , vt apparet in Charitate , & Spe , quarum prior ad amorem amicitiae , posterior ad amorem concupiscentiae spectat : que in præsenti non est inuenire . Adde ad maiorem solutionem secundæ probationis consequentiae ; Religionem vtpotè imperfectiori modo attingentem Deum per adorationis actum , quam attingant virtutes Theologales ; idcirco solum attingere Deum formaliter sub communione primi principij , respectu cuius de materiali se habet esse Partem ,

P. Suar.

trem, Dominum, benefactorem, & similia. At virtutes Theologales perfectioni, ac intimiori modo Deū attingunt, vndē mirum non est respicere illum secundum peculiares illius rationes, quia perfectius est sic attingere obiectum, quam illud respicere dumtaxat quoad rationem communem: vndē intellectus noster, qui in cognoscendo incipit ab imperfectionibus, exorditur etiam ab vniuersalioribus. Quare ex illa probatione oppositum convincitur.

41. Contra secundam assertiōnem adduci possent omnes ij, qui existimant ad essentiam adorationis erga Deum requiri actus externos, per quos actio interna contrahatur, sēū ut melius dicamus determinet adesse actus adorationis, putant enim isti nullum dari actum interius consummatum, cui essentia adorationis conueniat. Ita Vasq. & alij, quos dubio secundo citauimus. In eandem ergo assertionem possumus sic argumentari. Illa mentis nostræ submissio ad Deum non videtur actus distinctus ab omnibus alijs virtutum actibus, ergo in illo non est constituenda essentia adorationis. Antecedens probatur: tum quia illa submissio videtur esse actus Charitatis, hæc enim attingit Deum, vt vltimum finem, cuius est dominari perfectè voluntati amanti ipsū, vt ex dictis à N. Salm. tract. de ultimo fine pluribus in locis est manifestum, vndē deducunt impossibile esse voluntatem amare etiam habitualiter plures ultimos fines, quia unus ultimus finis totaliter sibi subordinat voluntatem, adeoque, & omnino mentem subdit. Tum etiam quia talis submissio videtur esse propria humilitatis, cuius est omnem nostram excellentiam Deo supremo excellenti submittere. Tum demum, quia eadem submissio specta-

re videtur ad obedientiam, obedientis est enim perfectè subicere voluntatem, & mentem superiori. Consequentia liquet ex antecedenti, nam distinctuum, & constitutuum coincidunt, vndē si talis actus non distinguit, nec constituet.

Respondet negando ante-

dens: ad cuius primam probationē

S. Tho.

respondet Ang. Doctor 2.2. q. 82.

art. 2. ad 1. his verbis. Ad Charitatem

pertinet immediatè, quod homo tradat

se ipsum Deo, adhærendo ei per quan-

dum spiritus unionem, sed quod homo

tradat seipsū Deo ad aliqua opera Di-

uini cultus, hoc immediatè pertinet ad

Religionem: mediatè autē ad Charita-

tem, que est Religionis principium.

Pro huius solutionis intelligentia

sciendum, quod duplex in volunta-

te creata reperiri potest subiectio ad

Deum, vel tanquam amantis ad

amatum, huius enim est dominari

amanti; vel tanquam serui ad Do-

minum. Prima subiectio habetur

per Charitatem, secunda habetur

per Religionem, eliciente adora-

tionis, sēū deuotionis actum, quam-

uis etiam hæc posterior haberi pos-

fit mediatè per charitatem, quate-

nus hæc imperat Religioni, imò &

prior haberi potest per Religionem

eidem Charitati imperantem; sed

de hac imperata subiectione nunc

non loquimur, sed de elicita. Hinc

Caietanus exponens hanc Diui

Thomæ responsonem optimè dixit

Quod Charitas per seipsum unit men-

tem Deo per unionem spiritus, hoc est

voluntatis, ita quod habentis Charita-

tem, & Dei sit unum velle uno vi-

tali impulsu, quem significat spiritus.

Eodem squidem vitali impulsu moue-

tur habens charitatem, ut sic (idest ut

illam habens) quo voluntas Dei amici

se mouet: Vnde scriptum est, qui ad-

heret Deo unus spiritus est cum eo.

Hoc autem non habet adorationis

actus, qui cum respiciat Deum, ut

supe-

Salm.

Caiet.

superiorem, ac Dominum pertinet ad rationem seruitutis, per quam non habetur unio cum Deo talis, quod per illam fiat unus spiritus cum ipso, non enim potest in Deo reperiri motus seruitutis, qui sit unus impulsus cum motu voluntatis creatæ, ut de se patet.

42. Sed utrigenibus uno, quam ponit Charitas inter voluntatem creatam, & Deum est uno filij cum Patre, nam Charitas fundatur in gratia, per quam sumus filii adoptiui Dei, sed uno etiam, quam ponit adoratio, seu deuotio voluntatis creatæ cum Deo, est etiam uno filij cum Patre, nam Religio, eiusque actus respiciunt etiam Deum ut Patrem, ut diximus, ergo duas haec uniones, seu subiectiones coincidunt. Respondetur quod etiamsi utraque subiectio, tam per charitatem, quam per Religionem, eiusque adoratio actum respiciant Deum, ut Patrem, aliter tamen in una contingit, quam in alia, subiectio enim per Charitatem respicit Deum, ut Patrem formaliter, sed subiectio per adoracionem, ut diximus respicit Deum, ut Patrem eminenter. Inter duas autem has Patris rationes hoc est discriben quod ratio Patris formaliter habet, ut sui correlatiuum filium, ut filium formaliter, adeoque sunt correlatiua eiusdem ordini. Ceterum ratio Patris eminenter talis, idem est, ac ratio, Patris æquiuocè talis, & hoc ideo, quia ratio Patris à Religione per adoracionem inspecta clauditur in ipsam ratione primi principij creationis, & gubernationis, unde non inspicitur sub formali ratione Patris, sicuti à Charitate inspicitur. Ex quo melius etiam innoteat, cur respectu Patris creati detur peculiaris actus à reliquis specie distinctus, qui est pietas secus respectu Patris increati, id enim contingit quia

filius, & Pater creatus sunt eiusdem prorsus ordinis, sed voluntas creata ut perfecta per Religionis virtutem, eiusque adorationis actum, non respicit Deum formaliter ut Patrem, sed solum sub ratione primi principij, in qua eminenter, seu æquiuocè clauditur ratio Patris. Patet rursus, quomodo etsi Charitas omnino subiectat voluntatem Deo, ut formaliter Patri, adhuc relinquat locum Religioni, eiusque actui adoracionis, seu deuotionis, ut tandem subiectant Deo ut primo principio, & ut Patri, sed non sub ratione formaliter Patris, ut explicatum est: unde subiectio, qua filius creatus respicit Patrem creatum, respondet subiectio, qua voluntas creata per charitatem respicit Deum Patrem, & subiectio, qua seruus creatus respicit superiorem, & Dominum, respondet subiectio adoracionis erga Deum primum principium, & Patrem æquiuocè talem.

43. Diximus autem per charitatem respici Deum, ut Patrem formaliter, non quia à Charitate habeatur filiatio adoptiua ad Deum, habetur enim per gratiam sanctificantem à Charitate realiter distinctam, sed quia charitas omnino immediatè connectitur cum eadem gratia sanctificante, & quia per illam habetur solummodo amor filialis erga Deum, unde ut habetur 1.Io:4. *Timor non est in Charitate*; *timor* S. Ioannis enim seruorum est. Neque obstat: Religionem eiusque actus esse conexos cum gratia, nam talis connexio non est nisi mediante Charitate, adeoque solum mediate modo dicto Deum Patrem respiciet. Adde, & magis explicabitur solutione S. Thomæ subiectiōem per Charitatem ad Deum esse immediatam, quatenus inter Deum amatum, & voluntatem amantem, mediet dumtaxat actualis amor ut uno,

vnio, & vinculum vtriusque. At inter voluntatem subiectentem se Deo adorato, nedum mediet actus adorationis, verum etiam cultus creatus, adeoque Deus, prout in se ipso immediatè non respiciatur: ex quo fit; duas has subiectiones esse specie omnino distinctas: sicut quāuis electio, & intentio respiciant eundem finem, quia tamen intentio immediatè, & electio mediata illum respiciunt, idcirco sunt duo actus. specie differentes: ita quoad præsens proportione seruata, & tanto magis, quanto Deus ab adoratione non respicitur, nisi vt obiectum, seu finis *cui*, non *cuius gratia*, nam talis modus respiciendi est inferior illo, quo respicitur aliquid vt finis *cuius gratia* etiam mediata, nam hic respiciendi modus non tollit mediata, & radicalem specificacionem, secus ille prior; & ideo Religio non specificatur aliquo modo à Deo prout est in se ipso, alias esset virtus Theologalis, quod communiter negant Theologi.

44. Ad secundam argumenti probationem dicitur, quod cum humilitatis proprium sit, vt docuit S. Tho: 2. 2. quæst. 160. art. 1. re-
franare animum nū immoderatè tendat in excelsa, idcirco per humilitatis actum subicimus mentem nostram, eiusque excellentiam, excellentiæ Diuinæ, vt famulam suæ dominæ, adeoque facimus excellentiam omnem nostram famulari excellentiæ Diuinæ; vt formalissimè regulanti: at per adorationem submittimus mentem nostram excellentiæ, Diuinæ, ij autem, vt constat sunt diuersi formaliter respectus, quamvis ex adoratione oriri possit humilitas: nam posito, omnem excellentiam mentis nostræ

esse subiectam excellentiæ Diuinæ, vt dominanti sequitur excellentiam nostram regulandam esse per Diuinam, saltem tanquam per regulam primam, quia ex suppositione, quod seruus sit Domino subiectus, Dominus est regula actionum serui. Per quod etiam patet ad ultimam, nam subiectio obedientiæ ad Deum formaliter est ad ipsum, vt præcipientem, quæ ratio pariter supponit subiectiō adorationis, seu deuotionis, non substat enim præcepto alicuius, nisi deuotus, seu addictus, hoc est totaliter subditus superiori præcipienti. Contra secundam assertionis partem aliqua adducit argumenta citatus Raphael de la Torre, sed iuxta nostram explicationem non habent difficultatem, vnde ea omittimus.

Dubitari in fine huius disputatio-
nis posset, quod cum dixerimus externos corporis se submittentis actus, vt genuflexiones, prostrations, & similes, aliquo modo per-
tinere ad adorationem erga Deum. An detur peculiaris actus externus soli Deo exhibendus, ita vt crea-
turæ exhiberi non possit? Et respon-
detur negatiuè cum citato Raphae-
le in 2. 2. quæst. 84. art. 2. disp. 4.
cum enim actus hi externi accipiant determinationem ab interno, cuius sunt accidentia, idcirco regulandi erunt ex interno adorationis affe-
ctu, eiusque directione. Adhuc tamen videtur dicendum: quod si in adoratione Deo exhibenda com-
muniter, instituta sint peculiaria, aliqua signa, per quæ latræ, seu supremæ adorationis actus desi-
gnentur, ea publicè non erunt nisi soli Deo exhibenda. Videatur ibi citatus author.

S. Tho.

Raphael
de la T.

DISPUTATIO II.

DE ADORATIONE CHRISTI DOMINI.



VAMVIS Christus Dominus sit verus omnino Deus, adeoque potuissemus de eius Adoratione in præcedenti Disputatione habere sermonem: quia tamen non est purus Deus, sed dicit duas naturas, humanam videlicet, & Diuinam per eandem Verbi Personalitatem subsistentes, oportuit peculiarem pro ipso instituere disputationem, cum vi vnionis hypostaticæ, & ipsa humana natura reddit a sit adorabilis, modo in cursu disputationis exponendo.

DVBIVM PRIMVM.

§. I.

Vtrum Christus in quantum homo adorandus sit Adoratione latræ.



ACTENVS de Adoratione debita Deo, prout est in seipso sermonem habuimus, nūc de Adoratione Christo Domino debita agendum, post Deum enim in seipso sumptum, immediate sequitur Deus, ut humanæ naturæ coniunctus: quia tamen dubij titulus expositione aliqua indiget, ratione illius reduplicationis, in quantum, propterea sit.



De Adorat. Christi Dom.

Aliibus præmissis, Prima assertione deciditur Dvbiu.

1. C Ertissimum est, non esse in præsenti sermonem de Christo Domino, vt dicente Personam Verbi, cui extra controuersiæ est deberi eandem prorsus Adorationem supremæ latræ, quæ Deo prout est in seipso debetur; Loquimur ergo de Christo, vt dicente compositum, seu quasi compositum ex humana, & Diuina natura, quia tamè hoc diuersimodè sumi potest: ideo sciendum, quod ly in quantum, primò sumitur specificatiuè, id est secundū quod dicit ea substancialia, quæ Christus Dominus adæquatè sumptus importat, & hæc sunt natura humana, natura Diuina, & subsistentia Verbi Diuini, in qua utramque illa natura, tanquam in una persona conuenit: Secundò ea particula in quantum reduplicare potest

E test

test naturam humanam, quæ est forma totalis huius concreti substantialis homo; & hoc dupliciter: primò omnino secundum se acceptam, quo modo est eiusdem rationis, ac humana natura cuiuslibet alterius hominis: rursus prout cōnotat subsistentiam Verbi Diuini, à qua terminatur, ita ut natura humana sumatur in recto, & Persona Verbi in obliquo; & quidem de natura humana secundum se, præscidente à Persona Verbi nullo modo hic loquimur, quia prout sic est pura creatura, nec dicit aliquā excellentiam Adoratione dignam: quare solummodo loquimur de eadem natura humana, prout connotante personam Verbi à qua terminatur. Consultò autem mentionem non facimus de modo substantiali hypostaticæ vñionis, se tenentis ex parte humanitatis, quia de hoc dubio sequenti.

S. Thom. Notandum rursus cum Angelico 3. p. q. 25 a. 1. in eo, qui adoratur aliud quid esse id, cui adoratio exhibetur; aliud uero rationem adorandi. V. G. Persona Regis, ea est, cui exhibetur adoratio, ratio uero, seu causa adorandi est Regia dignitas, seu excellentia, qua reliquis præeminet, & propter quam est adoratione digna. Demum ut notauit P. Suar: tomo 1. in 3. par. disp. 53. sec: 2. hæc ratio adorandi aliquando est intrinseca rei adoratiæ, & tunc est pars, seu quasi pars rei adoratiæ, & idcirco etiam ipsa adoratur, nempe ut quo, & quod inadæquatè: aliquando vero est extrinseca, & tunc non oportet rationem adorandi adorari, seu esse obiectum quod adorationis, etiam inadæquatum. His positis.

2. Dicendum est primò: totum coniunctum importans humanam, & Diuinam naturam, ac Personam Verbi adorari eadem suprema ado-

ratione latræ, qua adoratur Deus in seipso. Ita S. Thom. quest. cit. *S. Thom.* art. 1. quem sequitur P. Suar. disp. 53. sect. 1. vbi assert; eam esse de Fide; hanc etiam communiter omnes Theologi docent. Probatur primo auctoritate Sacrae Scripturæ: nam Iohann: 5. habetur: *Pater omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificant Filium, sicut honorificant Patrem, qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Vbi apertissimè est sermo de Persona Filii, ut vñita humanitati, seu de Christo, nam huic tradita est à Deo iudicaria potestas, nec missus est nisi ad suscipiendam naturam humanaam. Secundò probatur ex illo ad Rom. 14. vbi Doctor Gentium exponit de Christo Domino illud Isaiae 45. *Mibi curuabitur omne genitum.* Quo loco S. Thom. lect. 1. circa finem in hunc modum loquitur. *In quo designatur perfecta subiectio rationalis creature ad Christum. Solent enim homines in signum subiectio- nis maioribus flectere genua. Vnde Philippi. 2. dicitur. In nomine Iesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Videtur autem manifestum, perfectam subiectiōnem creaturæ rationalis ad Christum Dominum, dicere subiectiōnem propriam adorationis latræ, hæc enim est suprema, cui proinde competit perfectè subiçere adorantem personæ adoratiæ, adeoque nihil non subiectum relinquere. Vide alias auctoritates apud citatum Suarez, cuius etiam ratione vñemur, quia adeſt contra illam obiectio solutione digna.*

3. Probatur ergo ratione. Filius Dei in seipso est suprema latræ adoratione dignus, sed assumendo naturam humanam non se sua dignitate priuauit, ergo etiam Christo Domino, modo dicto cōsiderato, eadem prorsus suprema latræ adora-

adoratio debetur, ac prout est Deus in seipso. Maior est omnino de Fide aduersus Arianos, contra quos disputant SS. Patres. Minor pariter supponitur, ut omnino certa ex eadē Fide Catholica, quæ loquens de Verbo Incarnato in quadam Antiphona Officij Circūcisionis ad Benedictus sic canit: *Mirabile mysterium declaratur hodie, innouatur natura, Deus homo factus est, id quod fuit permanit, quod non erat assumptus non commixtionem passus, neque diuisionem.* Si ergo quod fuit permanit, nullum passa est Persona Diuina detrimentum in sui perfectissima dignitate, ac infinita excellentia, vi cuius est suprema adoratione digna. Consequentia liquet ex premissis.

Confirmatur per vniōnē Personæ Verbi ad humanam naturam, mutatio solummodo facta est ex parte humanitatis, nullatenus ex parte Personæ Verbi, ergo illud quod ex tali vniōne consurgit eadem adoratione est adorandum, ac adoretur Persona Verbi in seipso. Antecedens constat ex summa Personæ Diuinæ immutabilitate. Consequentia liquet, si enim perseverauit adhuc post vniōnem, eadem prorsus excellentia, non est cur non perseveret eadem prorsus adoratio, quæ ratione excellentiæ debetur. Maximè, quia ut melius ex dicēdis constabit; Persona est illa, quæ per se primo adoratur, atque adeo ad eius excellentiam potissimè attendendum

4. Verum in hanc rationem, eiusque confirmationem obijcimus illud, quo habet Apost: ad Philipp: 2. vbi agens de Incarnatione Verbi Diuini, hęc scripsit: *Semetipsum exinanuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus &c.* Si igitur seipsum exinanuit, à fortiori videtur, aliquo saltem modo excel-

De Adorat. Christi Domini.

lentiam, ac dignitatem suam deposuisse; siquidem exinanuit, idem est, ac euacuavit, seu inanem seipsum reddidit.

Mouit hanc eandem difficultatem Angelicus Præceptor aduersus citata verba adductæ Antiphonæ, lect. 2. exponens verba Apostoli. Sed quia (inquit) erat plenus Divinitate, nunquid ergo euacuavit se Divinitate? Occurrit autem adductæ difficultati in hunc modum. Hoc est intelligendum secundum assumptionem eius, quod non habuit. Sicut enim descendit de cælo, non quia desineret esse in cælo: sed quia incepit esse novo modo in terris, sic etiam se exinanuit, non deserendo naturam Diuinam, sed assumendo naturam humanam. Pulchre autem dicit exinanuit. Inane enim opponitur pleno. Natura autem Diuina sat plena est; quia ibi est omnis bonitatis perfectio. Exodi 33. ostendam tibi omne bonum; natura aurem humana non est plena, sed in potentia ad plenitudinem, quia est facta, quasi tabula rasa. Est ergo natura humana inanis. Dicit ergo exinanuit, quia naturam humanam assumpst.

Angelicam hanc S. Doctoris solutionem minus bonam censuit P. Velasquez ex Societate Iesu, nam suis in commentarijs, et adnotacionibus in Epist: ad Philip. cap:2. ver: su 7. in hunc modum de ea loquitur. Scitè quidem, sed quod difficultati non plenè satisficit. Esto enim humana natura iuxta S. Tho: inanis; iuxta Cornelium (retulerat responcionem Cornelij à Lapide, coincidentem cum ea quam tradiderat S. Tho:) non ens dici possit, quod non immerito in dubiu quis vertat, unius enim ab altero dependentia obesse non potest; quo minus id quod dependet verum, & reale ens dici debeat, adhuc tamen Dei Filius exinanitus, siue euacuatus dici non possit, qui ut dicebat Aug. quod babebat, non depositus, sed

s. Tbd.

Philipp.

c. 2.

P. Velazquez.

36 DE ADORAT. CHRISTI DOMINI.

in eo habitauit omnis plenitudo Dinitatis corporaliter. Hactenus citatus Author, vbi prolixè satis hunc locum pertractat.

5. Verum enim verò non possum non valdè mirari disertissimi & què, ac doctissimi huius authoris incuriam, qui referens S. Tho: responsionem bis mutilauit in principio, videlicet, & in fine, & hoc taliiter vt omiserit ea verba, in quibus omnis vis responsionis sita erat, solumque retulerit illa, in quibus continetur elegans ea ponderatio ad illud Apostoli verbum, *Exinanuit.* Incæpit enim eam referre ab illis verbis. *Inane enim opponitur pleno,* & finem eiusdem solutionis, quæ eius principio respondebat omisit. Quare & nos in ipsum dicere possumus. Minus scitè quidem, eo quod solutionem Sancti Thomæ non plenè retulerit, imò ferè nihil de ea attulerit. Et fortè si integrum dedisset, optimam, vt credimus, censuisset. Sed age: hæc omissimus & obiectis aduersus responsionem S. Tho: responsum præbeamus.

Et ad primum cum asserit posse non immerito dubitari, naturam humanam esse inanem, aut non ens, facile diluitur ex ijs, quæ in Lógica dicta sunt, cum egimus de analogia entis respectu Dei, & creaturarum: nam etiamsi ens, prout analogum analogia proportionalitatis propriæ respectu Dei, & creaturarum intrinsecè reperiatur in utroque analogato; secus si fuerit sermo de eodem ente, vt analogo analogia attributionis, nam formaliter prout sic intrinsecè est tantummodo in principali analogato, in alijs verò extrinsecè. Ex quo fit, vt quælibet creatura, prout huic substantia analogia, intrinsecè sit inanis, intrinsecè sit non ens, & solum per denominationem extrinsecam plena, & ens, quantumuis secundum aliam analogiam creatura sit intrinsecè ens, &

suo modo plena. Hoc autem cum sit in Schola S. Tho: indubitatum, dubitationi non relinquit locum, saltem secundum eius doctrinam, quod omnino satis erat ad veritatem eius, quod S. Tho: asseruit, quicquid sit secundum aliorum principia.

Deindè sciendum S. Tho: aper-
tissimè ibidem comparare naturam
humanam ad infinitam plenitudinē
perfectionis Diuinæ; Porro hac
comparatione facta, iure merito
appellari inanem nemo ibit inficias,
nam hoc modo loquendi usus est
Isaias, cap.40. cum ait. *Omnes gentes
quasi non sint, sic sunt coram eo, &
quasi nihilum, & inane reputata sunt
ei.* Videat Velasq. an liceat non
immerito dubitare, an natura hu-
mana in comparatione ad infinitam
plenitudinē perfectionis Diuinæ vo-
cari possit inanis? Deindè quicquid
sit de eo, quod dixit Cornelius à
Lapide; certè S. Tho: non dixit
naturam esse inanem, quia non sit
ens reale, quod ei obijcit Velasquez,
sed dixit esse inanem perfectionis,
quatenus creatur tanquam tabula-
rafa; vndè naturam humanam vo-
cauit vacuam perfectionis, ad quam
dixit esse in potentia; nemo autem
ignorat, aliquid posse esse intrinsecè
ens reale, & ratione eius poten-
tialitatis iure optimo appellari ina-
nem. Amplius: quod dicitur, nem-
pè non obstat dependentiam, quam
aliquid habet à Deo, huic quod est
esse intrinsecè ens reale: dicimus,
quod saltem iuxta principia Tho-
mistica, id aperte obstat, vt enim
in Logica agentes de analogia di-
ctum est, analogia attributionis fun-
datur in dependentia minus princi-
palis analogati ab analogato prin-
cipaliori, & tamen minus principe
analogatum, vt substans huic
analogia, est extrinsecè ens, vt ibi
probatum est.

6. Vt

6. Ut demum occurramus vltimo ei quod afferit ex adducta responsione non haberi posse, dici Verbum Diuinum exinanitum; notandum responsonem S. Doctoris sitam esse, in hoc videlicet, quod Verbum Diuinum dicitur se exinanisse ex eo, quod assumpserit rem inanem, nempe humanam naturam, & hanc optimè ostendit esse inanem, tum in comparatione ad omnis bonitatis plenitudinem; tum ex eo, quod creetur carens perfectione, & cum sola potentia ad illam. Pro cuius luce nota ex Angelico Praeceptore par. i. quest. 5. art. 1. ad. 1. *Quod bonum dicit rationem perfecti, quod est appetibile, & per consequens dicit rationem ultimi: unde id, quod est ultimo perfectum, dicitur bonum simpliciter, quod autem non habet ultimam perfectionem, quam debet habere, quamvis habeat aliquam perfectionem in quantum est actu, non tamen dicitur perfectum simpliciter, nec bonum simpliciter, sed secundum quid.* Sic ergo secundum primum esse, quod est substantiale, dicitur a liquid ens simpliciter, & bonum secundum quid: id est in quantum est ens; secundum verò ultimum actum, dicitur aliiquid ens secundum quid, & bonum simpliciter.

Nota rursus: vltimum in ratione supremi esse gradum intellectuum, qui cæteris alijs omnino præminent: in hoc autem triplex est genus entium: Diuinum quod essentialiter est in actu secundo intelligendi: Angelicum, quod habet ut sui proprietatem semper esse in aliquo actu secundo intelligendi, quatenus omni soli, ac semper Angelo competit intelligere se ipsum, & in se ipso Deum authorem naturæ, nam per hanc cognitionem constituitur in actu primo ad cognoscendum, quodcumque aliud obiectum. De

Salman. quo vide N. Salman. tract. de An-

gel. disp. 9. num. 57. Humanum, demum quod cum in hoc ordine infimum locum teneat, creatur cum potentia ad species intelligibiles, & ad omnem actum intelligendi, & hoc est, quod dixit S. Tho: naturam humanam, factam esse tanquam tabulam rasam. Ex quibus aperte constat, quomodo natura humana dicitur inanis perfectione, quia cum careat vltimo, hoc est sit in pura potentia ad intelligendum, & intelligere sit quid ultimum in ordine supremo, vtique eti sit ens, & substantia, habeatque reliquos gradus, adhuc tamen optimè dicitur inanis in genere perfectionis.

7. Hoc posito, afferit S. Doctor Verbum exinanisse semetipsum, quatenus assumpsit inanem hanc naturam humanam. Quod clarè expressit exemplo adducto, descēdit enim de celo in terram, quia nouo modo, id est hypostaticè, vnitum est naturæ existenti in terris. Clarissime idipsum significauit, cum afferuit. *Hoc (supple exinanuit) intelligentum secundum assumptionem eius, quod non habuit:* hoc autem, quod non habuit, est inanis natura humana. Sicut cum dicitur in Evangelio S. Ioannis *Verbum caro factum est*, sensus non est verbum transubstantiatum esse in carnem, sed dum taxat carnem assumpisse: ita cum dixit Apostolus, Verbum semetipsum exinanuit, non est sensus, quod eius infinita perfectio transierit, ut sic dicamus, in inanitatem, sed tantum quod rem inanem sibi per hypostaticam unionē copulauerit. Quod vtique nullo modo pugnat, imo optimè coheret cum dicto Sancti Augustini, & cum veritate, quam quilibet, vel leuiter in Theologia versatus perspiciet.

Addimus & nos; *Quod eti Apol-*
stolus potuisset dicere, Vnitum est
Verbum rei inani, sc̄i humana nature
inani,

inani, melius tamen dixit semetipsū exinanuit: cum enim humana, Diuinaque natura in vnam personam conueniant, adeoque sit inter humānam naturam, & Personam Verbi substantialis vnio, & per consequens simpliciter talis idcirco ad hoc designandum prædicatum illud *inane* proprium naturæ humanæ, per idiomatum communicationem optimè attribuitur Verbo; sicut absolutè dicimus Deus est mortuus, ex hoc quod nulla suspicio laboriri possit, quod esse mortuum non conueniat Deo ratione sui, cum cūdens sit, solum ratione naturæ humanæ posse illi conuenire, vt docuit idem S. Doctor 3. par. quæst. 16. art. 8. Ita ergo quoad exinanitionem, quæ vacuitatem, & maximam explicat imperfectionem, Verbo repugnantem.

§. I I.

Ponitur secunda conclusio, & probatur.

Dicendum est secundo naturam humanam Christi, prout coniunctam eius Diuino supposito coadorari adoratione latriæ ad adorationem eiusdem Christi Domini. Ita S. Tho: 3. par. quæst. 25. art. 2. cuius rationem mox explicabimus, quem sequitur P. Suar. disp. 53. in eandem tertiam partem sec. 2. & credimus communem Theologorum sensum. Probatur primo ex S. Ioanne Damasceno lib. 3. cap. 8. & lib. 4. cap. 3. dicente de adoratione versante circa carnem, à Verbo Dei assumptam. *Non enim carnem nudam adoramus, sed carnem Dei*, idest *Incarnatum Verbum*, quasi dicat non adorari à nobis carnem Christi, vt præscendentem à Verbo, sed vt illi unitam, quod autem sic

adoratur, vtique coadoratur ad adorationem Verbi Incarnati, vt clarius ex nostra, sēnū vt melius dicamus S. Thomæ ratione, fiet manifestum. Expressius hoc ipsum docuit S. Epiph. in Ancorato circa medium, ^{S. Epiph.} cum asserit humanitatem *coadorari Verbo Dei*; qui plura quoad S. S. Patres voluerit, consulat citatum Patrem Suar:

Probatur ratione desumpta ex doctrina Angelici Præceptoris. Illud coadoratur per supremum latriæ actum, quod adoratur ad adorationem alterius, per eandem latriam adorati, sed humanitas Christi Domini vt coniuncta Verbo Diuino, hoc modo est adoranda, ergo humanitas Christi, vt Verbo Diuino coniuncta coadoratur adoratione latriæ, qua Christus Dominus adoratur. Maior videtur manifesta: nam coadorari idē est, ac simul cum alio adorari, itaut eadem adoratio sit rei adoratæ, & eius quod coadoratur. Minor probatur, quia vt dixit Ang. Doctor qu. 25. cit. ar. 1. adorationis honor propriè exhibetur toti rei subsistenti, non enim dicimus, quod manus hominis honoretur, sed quod homo honoretur: cū igitur humanitas, vt coniuncta Verbo solū ratione istius subsistat, vtique adorationis honor non exhibetur ipsi per se primo, sed toti, & consequenter partes non per se, sed ratione totius adorantur, adeoque ad huius adorationem coadorantur, & per eandem prorsus adorationem, quæ per se terminatur ad totum, & vi huius conterminatur ad partes, cum in parte, vt tali sit eadem ratio adorandi, ac est in toto.

9. Confirmatur, & explicatur; forma V. G. ignis, vt illius pars non producitur propriè loquendo, sed ad productionem totius ignis comproducitur, ergo humanitas, vt coniuncta personæ Verbi propriè loquen-

S. Tho.

P. Suar.

S. Ioan.
Dam.

loquendo per se non adorabitur, sed coadorebitur ad adorationem totius, & consequenter per eundem latræ actum, quo adoratur totum. Antecedens constat: quia cum illius sit fieri, cuius est esse, eo quia fieri est via ad esse, utique illius est confieri, cuius est coesse, forma autem ignis hoc ipso, quod pars non existit, sed coexistit ad existentiam totius, adeoque comproducitur ad totius productionem. Prima consequentia patet: quia humanitas prout sic non habet rationem totius, sed partis; Secunda consequentia liquet etiam ex adducta paritate, nam eadem prorsus productio, quæ terminatur ad totum, utique conterminatur ad partes.

At dices ex hac ratione sequi, quod natura Diuina Christi Domini coadoretur ad adorationem Christi, sed hoc videtur falsum, ergo nulla, imo falsa erit ratio adducta. Sequela suadetur, quia Christus Dominus adæquatè sumptus dicit humanam, & Diuinam naturam, tanquam quasi partes: ut enim inquit in suo Symbolo S. Athan:
Sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus, & homo unus est Christus: vnde fiet; ut Deitas, & humana natura coadorentur ad totius adorationem, vt diximus de productione compositi. Minor ex se appetet manifesta; cum natura Diuina sit omnino per se primo adorabilis.

10. Respondetur negando sequelam maioris; ad cuius probationem dicitur, quod dupliciter aliqua concurrere possunt ad integrandum aliquid totum; primò ita vt totum ipsum sit adæquata ratio, vi cuius partes terminant aliquam actionem; secundò è conuersò, ita vt unum ex illis quod concurrit ad illud integrandum sit tota ratio, vi cuius totum terminet talem actionem. Si igitur hoc posterius con-

tingat, utique concurrens ad sic integrandum, non cohabet, ut sic loquamus talem rationem, ad habitu-
 nem totius, sed è contra. Quod manifestè appetit in terminatione, subsistentiæ, & existentiæ, quæ datur in humano composito. Nam quia ratio habendi subsistentiam, & existentiam est sola anima rationalis, ideo anima rationalis non consubsistit, aut coexistit ad subsistentiam, & existentiam totius; sed totum, subsistit, & existit ad subsistentiam, & existentiam animæ rationalis, & ideo recedente anima à corpore definit existere, & subsistere totus homo, nullatenus anima. Non dissimiliter quoad præsens cum tota, & adæquata ratio adorandi Christum sit natura Diuina in co-
 reperta.

Et nota: ita naturam Diuinam in Christo repertam esse adæquatam rationem adorandi, ut etiam loquendo de Persona Verbi, secundum quod exprimit esse Ad, non habeat rationem terminandi adorationem, nisi quatenus imbibit totam perfectionem Diuinæ essentiæ, ac exigit existere in Deo: & hoc non alia ratione, nisi quia prædictum esse Ad, ex sua formalissima ratione non dicit aliquam perfectionem, sibi ex formalissima linea relativa conuenientem. De quo plura apud N. Salmant: tract. de Trinit. disput. 6. dub. 2. Salman.



g. III.

*Soluuntur argumenta aduersus
utramque assertionem.*

11. **A**duersus primam assertio-
nem , supposita Christi
Diuinitate nulla potest referri Ca-
tholicorum sententia ; in illam ta-
men possumus in hunc modum ar-
gumentari Christus Dominus , se-
cundum quod est aliquod totum, ne-
dum Diuinam , verum etiam & hu-
manam in se claudit naturam , ergo
non est adorabilis suprema adora-
tione latræ . Antecedens probatio-
ne non indiget . Consequentia sua-
detur, quia hoc , quod est termina-
re supremam latræ adorationem,
dicit aliquid omnino perfectum , si-
quidem affert hoc , quod est in ge-
nere adorationis , terminare optimū
illius actum : non enim datur aliqua
superior adoratio : constat autem
ex communi axiomate , quod bo-
num , & maximè quod fuerit perfe-
ctum , non consurgit nisi ex integra
causa : adeoque si ex aliquo capite
dicat defectum , nec bonum , nec per-
fectum censeri poterit: quamuis igitur
Christus Dominus ratione Diuina
naturæ maximam dicat perfe-
ctionem : secus ratione humanæ , in
qua plures physicæ imperfectiones
inueniuntur : quapropter ratione il-
lius non dabitur integra causa eius
maximæ excellentiæ , quæ perfectissi-
mam latræ exigit adorationem.

Confirmatur , & explicatur . Quâ-
uis perfectiones in ordine superna-
turali supremæ , ut lumen gloriæ , se-
cundum quod præscindit ab imper-
fectionibus creaturæ , accidentis , &
similibus sit formaliter in Deo , eius-
que proprietas , atque adeo ad Deū
ipsum , prout est in se educatur ; se-
cus tamen prout prædictis imperfe-

ctionibus est inuolutum , ergo quâ-
uis Verbum Diuinum secundum se ,
ac in se ipso sit dignum supra-
adoratione latræ , secus autem vide-
tur dicendum de illo , prout sibi hu-
manæ naturæ imperfectiones per In-
carnationem vniuit . Antecedens
totum desumptum est ex doctrina
Nos. Salmant. tract. de Visione Dei
disp. 3. num. 39. Consequentia pro-
batur ex paritate rationis: nam sicut
lumen gloriæ , ut dicit totum coniunctum
ex rationibus accidentis , crea-
turæ , & ex sua ratione essentiali cum
præcisione sumpta , est omnino mi-
noris excellentiæ , quam ut præscin-
dit à prædictis imperfectionibus: ita
Christus Dominus , prout dicit to-
tum illud coniunctum ex imperfe-
cta , & perfectissima natura Diuina
dicet minorem excellentiam , quam
dicet natura Diuina in se ipsa consi-
derata , ac separata ab humanæ na-
turæ imperfectione , quantumuis in
istam non mutetur , & consequenter
suprema ea adoratio non erit debita
toti illi coniuncto , sicuti omnino de-
bita est Deo , in se ipso considerato .

12. Responderetur ad argumen-
tum concedendo antecedens , & ne-
gando consequentiam : ad cuius
probationem dicitur , quod etiam si
humanitas sit aliquid in se dicens
imperfectiones proprias naturæ hu-
manæ creaturæ , quia tamen prout di-
cit tales imperfectiones omnino de
materiali se habent , idcirco ex hoc
non habetur , totum illud coniunctū
non debere terminare perfectissimū
adorationis actum : siquidem atten-
dendum est ad rationem formalem
terminandi , quæ cum sit aliquid in-
creatū , ac suprema prorsus adora-
tione dignum , est causa formalis
adæquata , cur illud totum terminet
supremum adorationis actum . De-
clarari autem hoc ipsum potest exé-
plo externæ actionis comedendi ,
nam hæc est vtique in ordine natu-
rali

DISPVATATIO II.

rati satis infima, & tamen prout dicit mensuram, sibi præfixam à prudentia per se infusa, terminat supernaturalem prorsus temperantiae, per se infusæ actum: idemque contingit in alijs obiectis, quæ quoad entitatem sunt merè naturalia, ut pécunia, & similia, & tamen ut regulata per eandem prudentiam terminant actus omnino supernaturales: huius autem nulla alia aptior ratio reddi potest, nisi ea, quam tetigimus; nempe illud esse naturale omnino de materiali se habere, & actus terminari ad obiecta, prout dicunt eam proximam, & formalem rationem terminandi, non verò in esse entis considerata, adeoque id, quod de materiali se habet, ita ibi esse, ac si non esset.

Sed vrgabis quod iuxta hanc doctrinam saluari posset, non esse malum furari in ordine ad dandam eleemosinam, nam qui hoc modo furatur, solum de materiali respicit furtum, cum ratio terminandi ad ipsum sit bonitas eleemosinæ. Respondetur tamen esse apertam disparitatem, nam eiusmodi finis hoc ipso quod acquisibilis per tale medium, iam non amplius est formaliter bonus, quia bonum, ut formaliter tale, non est acquisibile per malum medium. De quo plura in tractatu de bonitate & malitia. Constat autem in præsenti; id nullatenus contingere, vnde non est simile.

13. Ad confirmationem; conceditur antecedens, & negatur consequentia; nam est aperta disparitas: illæ enim imperfectiones transcendunt perfectiones supernaturales, adeoque fiunt de earum linea, sicut ens transcendens accidens, fit accidens, & transcendens substantiam, fit substantia; secus in præsenti contingit, cum ex vnione ad imperfectam naturam humanam nulla redundauerit imperfectio in summam

De Adorat. Christi Dom.

DVBIVM II. 41

Verbi Diuini excellentiam, quæ vt diximus est ratio formalis, & adæquata terminandi; neque obstat: quod totum coniunctum ex ea parte qua dicit naturam humanam dicat imperfectionem, nam sicut esse naturale cibi, & potus de materiali omnino se habet in ordine ad terminandum supernaturalem actum temperantiae per se infusa, ita & prædictæ imperfectiones.

Adde quod tantum abest, quod illud coniunctum dicat imperfectionem, pugnantem cum adoratione latræ, quam terminat Deus, prout est in se ipso, ut potius probabile sit: totum illud coniunctum, quoad modum, dicere maiorem perfectionem, quam dicat Deus solus. Nam vt optimè adnotarunt N. Salman: tract. de Trin. disp. 6. num. 46. Si Salman. verum est quod docet Gonzalez tomo 1. in 1. part. disput. 12. nempe easdem numero perfectiones, quæ sunt in creaturis non reperiri formaliter in Deo seclusis imperfectionibus: eo quod, si sunt eadem numero, nequeunt ab imperfectionibus denudari; ac proinde solum eminenti ratione in Deo continentur: tunc dici potest cum eodem authore ibidem nu. 13. Christum, ut Deum, & hominem non esse absolutè, & simpliciter quid perfectius adhuc extensiù quoad perfectionem contentam, quam idem Christus ut præcise est Deus. Quia prædicta perfectione, licet non continetur in Deo solo, secundum illum modum continentia formalis, continentur tamen in illo, secundum alium modum, continédi perfectiorem nempe eminentē, & excludentē omnes imperfectiones. Cum hoc tamen optimè coheret; quod quantum ad modum essendi est quid perfectius Christus, ut Deus, & homo, quam ipse ut tantum est Deus. Numerica enim aut specifica humanitatis perfectio

continetur in solo Deo eminenti dumtaxat modo: at in Christo, Deo, homine clauditur, nedum eminenti modo ratione Deitatis, sed etiam formaliter ratione humanitatis. Non tamen inde inferendum, quod Deus in se ipso dicat aliquod imperfectionis vestigium, ex eo quod prout in se ipso, non habeat modum illum continendi formaliter humanam naturam; nam etsi quoad modum humanitas dicat maiorem perfectionem, ex hoc tamen, quod est cum imperfectionibus inuoluta, nullam arguit in Dco imperfectiōnem, carere formali illo modo continendi.

14. In secundam etiam assertio-
nem nulla adduci solet authorum
opinio, possumus autem contra illam hoc efformare argumentum.
Humanitas, quae est in Christo, si sumatur secundum se, & vt praecisa
à coniunctione ad Verbum Diuinū,
nullam habet rationem formalem,
vi cuius digna sit supremo adoratio-
nis latriæ actu, ergo etiam coniuncta
Verbo Diuino nequit coadorari
ad adorationem Christi Domini.
Antecedens ex se est manifestum.
Consequentia suadetur ex eadem
paritate, qua nos supra ad suadendam nostram conclusionem vſi sumus,
siquidem idcirco partes aliquius physici compositi comproducuntur ad productionem totius, quia partes, etiam in seipsis habent ratio-
nem aliquam terminandi productio-
nem, & ideo hac supposita compre-
duci possunt ad productionem to-
tius, nam comproduci est simul cum
alio produci. Secus autem contin-
git in humanitate, quae secundum se,
& praecisa à coniunctione ad Verbū
non meretur adorationem latriæ,
nec per talem coniunctionem vide-
tur, quod possit illam consequi, cum
quoad intrinseca, & essentialia im-
mutata permaneat.

Respondeatur concedendo ante-
cedens, & negando consequentiam,
ad cuius probationem dicitur, quod
dupliciter aliquid potest terminare
actionem ratione alterius: primò; ita
vt illud alterum sit omnino tota, &
adæquata ratio terminandi: Secun-
dò ita vt sit solummodo primaria ra-
tio terminandi. Exempli causa co-
lor respectu quantitatis, quæ est sen-
sibile commune, est solum primaria
ratio terminandi visionem, nam
etiamsi quantitas terminare nequeat
actualem visionem, nisi colore ali-
quo fuerit superinduta; adhuc ta-
men secundum se habet aliquam ra-
tionem terminandi ratione sui visio-
nem, quæ cum sit secundaria num-
quam reducitur ad actualiter termi-
nandum, nisi colore, tanquam termi-
no primario, supposito. Secundo mo-
do potest aliquid sic esse ratio ter-
minandi respectu alterius, vt nedum
supponatur tanquam ratio primaria
terminandi, sed taliter vt sit omnino
adæquata, & tunc illud, quod sub-
stat huic rationi terminandi nihil
habet in se, vi cuius ratione sui actū
illum terminare possit. Id contin-
git in substantia sustentante colorē,
sic enim presupponit substantia co-
lorem terminare visionem, vt nihil
in se proprium habeat, vi cuius ra-
tione sui terminet visionem, adeo-
que substantia dicitur sensibile per
accidens, idest sensibilis omnino
per aliud.

Nunc ad rem nostram acceden-
do: dicimus, humanitatem Christi,
respectu supremæ adorationis latriæ
æquiparari substantię consideratæ
in ordine ad terminandam visionem.
Cum enim humanitas secundum se
sumpta non habeat aliquid, vi cuius
ratione sui terminare possit supre-
mam latriæ adorationem; idcirco
tota, & adæquata ratio terminandi
est Diuinitas Christi Domini, & con-
sequenter omnino ratione alterius,
sibi

sibi coniuncti adorationem latriæ terminat. Quapropter adductum exemplum de comproductione partium et si sufficienter quadret, non tamen omnino, siquidem partes sunt verè entia intrinsecè, & aliquando substantialia, vnde habent veram, & propriam intrinsecam rationem terminandi productionem, non tamen omnino ratione sui, sed secundariò, & ad productionem totius, ut dicebamus de quantitate respectu visionis, quam secundariò pariter ratione sui terminat.

15. At vrgebis: vel hæc suprema adoratio latriæ, qua coadoratur humanitas transit, vt sic loquamur, mediante Diuinitate ad tangendam humanitatem, vel non? Si hoc posterius dicatur iam non adoratur, seu coadoratur humanitas latens sub Diuinitate, sed solum Diuinitas: sicut quia visio non transit mediante colore, & quantitate ad substantiam sub illis latentem, id circò nullo modo substantia denominatur visibilis. Si primum dicatur iam non est simile exemplum adductum de substantia, & concedenda erit humanitati aliqua intrinseca ratio terminandi supremam latriæ adorationem, vt conceditur quantitati respectu visionis.

Respondetur primò; eligendo primam partem dilemmatis, non tamè absolutè sed modo, nunc explicando; itaque sciendum, quod duplìciter aliquis actus, mediante ratione primaria terminandi, transire potest ad tangendum id, quod sub ea latet, primò, ita vt latens purè terminet, nullatenus moueat ad talem actum, nec primariò, nec secundariò, sic creature tanguntur per cognitionem Diuinam, nullam enim habent intrinsecam rationem motiuam respectu intellectus Diuini, vnde sunt purum obiectum terminatiū attactum. Secundò id quod latet sub alio tan-

De Adorat. Christi Dom.

gi potest ab actu mediante eo, sub quo latet taliter, quod latens habeat rationem aliquam motiuam respectu potentiae elicientis actum, hæc tamen est omnino secundaria, & à primaria indispensabiliter pendens, ita se habet quantitas respectu potentiae visuæ. Nunc ergo dicimus; supremam latriæ adorationem, mediante Diuinitate Christi transire ad tangendam humanitatem, tanquam purum omnino terminum; vnde simile est exemplum de substantia, quoad hoc quod ista nullam habeat intrinsecam rationem motiuam potentiae visuæ ad videndum; sicut nec eam habet humanitas respectu supremæ adorationis latriæ. Quapropter non est opus illi concedere aliquam intrinsecam rationem excellentiæ, vi cuius ratione sui sit exigens latriam, quia quod purè terminat, & nullo modo mouet sufficit quod coniungatur cum alio, adæquate mouente potentiam ad actum latriæ elendum. Quod autem hoc posterius non habeat substantia respectu visionis, id prouenit ex materialitate actuum potentiae affixæ organo corporeo, quibus ob eorum crassitiem non competit, mediante omnino adæquata ratione mouendi, transire ad aliquid, sub ea latens, & purè terminans; quod non officit, nam paritates semper procedunt seruatis naturis extremorum, quæ adinuicem parificantur.

Secundò respondetur, non improbabiliter dici posse: ad verificandam secundam nostram assertionem, non requiri coadorationem, de qua in ea loquuti sumus, transire mediante Diuinitate Christi ad tangendam humanitatem, etiam sub ratione purè terminantis, vnde satis erit humanitatem esse illi coniunctam, ac subsistere per rationem illam terminandi adorationem, vi enim huius coniunctionis sicut denominatur, &

absolutè loquendo dicitur Christus Deus est mortuus', quamuis mors nullo modo tangat Christi Diuinitatem, sed per solam idiomatum communicationem, ita quoad præsens dicetur per latram coadorari humanitatem ad adorationem suppositi Diuini, eam terminantis, & consequenter ly coadorari solum significabit hoc, quod est omnino adorari per aliud, seu ad alterius adorationem, & in hoc humanitas respectu adorationis erit omnino similis substantiæ respectu visionis. Prior tamen solutio melior, ac probabilior apparet, cum iuxta illam, magis propriè, ac rigorosè verificeatur, quod in assertione diximus.

D V B I V M II.

Vtrum humanitas Christi, ut affecta vnione hypostatica, sit adorabilis alia adoratione ab ea, qua adoratur Christus?

QVIA quoad an est huius adorabilitatis potest esse aliqua difficultas, idcirco antequam declaramus cuius speciei, & ordinis sit ea adoratio, qua digna est eadem humanitas, ut vnione hypostatica afficitur, placuit præsens dubium præmittere; Pro luce tamen eorum, quæ dicenda sunt oportet aliqua supponere, vnde sit.

g. I.

Supponuntur aliqua, & vnica assertione dubium deciditur.

IN dubij præsentis titulo supponimus; probabile omnino esse, quod docent non inferioris no-

tæ Theologi, dari modum quandam substancialē, tenentem se ex parte humanitatis, quam intrinsecè afficit, & cuius munus est eandem humanitatem cum Persona Verbi, per quam subsistit, vincire, adeoque intercedet inter humanitatem, & eandem Verbi Personam; hanc tamen non nisi per modum puri termini afficiet, vnde nullatenus eam mutabit, sed omnis mutatio, quæ ex illius affectione oritur, fit in humanitate, & ideo diximus ex parte illius se tenere: eo vel maximè, quia cum Verbum Diuinum sit purissimus actus, scipso absque indigentia aliqui distincione vnionis, vnitur humanitati, eamque reddit subsistentem, de quo suo loco in tractatu de Incarnatione. Supposita igitur probabilitate huius sententiæ præsens dubium procedit.

Quia verò eiusmodi vnio est essentialiter exercitium vniendi, indubitatum est, non posse realiter loquendo non importare extrema, quæ habet vniere; & quia vnum ex his extremis est Diuina Verbi Persona, inde manifestè sequitur, quod si sumatur prout est à parte rei, vtique eandem prorsus terminabit adorationem, quam terminat Christus Dominus, adeoque ad eius adorationem coadorabitur, vt diximus dubio præcedenti de humanitate prout Verbo Diuno coniuncta. De vnione ergo hoc modo accepta non loquimur in præsenti. Itaque cum intellectus noster sit præcisius vtique considerare potest humanitatem, & modum substancialē vnionis hypostaticæ, tenentis se ex parte illius, vt diximus, & præscindere à Persona Verbi, quam cum eadem humanitate vnit: in quo præcisionis statu, & prout eo gaudet, dicit intrinsecè quid purè creatum, cum ab increata Verbi Persona præscindat, quamuis eam non neget, ne eam negando

gando mentiatur, quod mendacium non contingit in pura præcisione; iuxta vulgare satis axioma. De humanitate, & vnione itaque sub hoc formalissimo præcisionis statu sermonem habemus, querentes an sint adorabiles diuersa adoratione ab ea qua Christus adoratur? Supponendum demum dari alias adorationis species ab adoratione suprema latræ distinctas, de quibus dubio sequenti, vbi propria species adoratio-
nis, qua adoratur humanitas, & vno sub eadem præcisione erit sermo ha- bendus.

17. Dicendū est: quāuis propriè loquendo, adoratio soli debeatur supposito; adhuc tamen humanitas Christi, vt affecta vnione hypostatica est adorabilis, adoratione diuersa ab ea, qua adoratur Christus Dominus. Prima huius assertionis pars habetur apud D. Tho. 3. par. quæst. 25. art. 1. vbi asserit partes nō adorari, nisi ratione totius, quo loco est sermo de adoratione completa, tendente ad rem prout est à parte rei, de qua loquuti sumus dubio præcedenti. Secunda verò illius pars manifētē docetur ab eodem S. Docto-
s. Tho. re 3. par. quæst. cit. art. 2. ad 2. vbi referens verba S. Io: Damasc.lib.4. circa princ. sic ait. *Vt Damascenus*
S. Io: Da
masc. dicit: *si diuidas subtilibus intelligentijs quod videtur, ab eo quod intelligitur, inadorabilis est ut creatura*, subdit S. Thomas, scilicet adoratione latræ. Vbi nota per diuisionem subtilis intelligentiæ, non intelligi negationem, qua rigorosè vnum ab alio diuiditur, & intellectualiter separatur, sed præcisionem, qua vnum cognoscitur, alio non cognito. Rursus animaduerte, quod cum S. Tho. addiderit, scilicet adoratione latræ, manifestè concessit, posse adorari alia adoratione inferiori, vt apertè constat ex sequentibus verbis, quæ ibidem subdit, & quæ dubio se-

quenti adducentur, pro nunc enim sat nobis est. S. Doctorem concede-
re humanitati per subtilem intelli-
gentiam præcisę à Verbo adoratio-
nem, diuersam ab adoratione illa,
qua adoratur Christus, quæ vtique
est adoratio latræ. Hanc eandem
sententiam docet P. Suar. *tomo I.*
in 3. par. disp. 53. sect. 3. non lon-
gè ab initio, vbi plures alios ad-
ducit.

18 Vt autem ratione probetur:
prīmō est ostendendum humanita-
tem, modo dicto sumptam, habe-
re quicquid requiritur ad hoc vt li-
cità possit adorari, secundò hanc ado-
rationem, quęcumque ea fuerit, de-
bere esse diuersam ab ea, qua chri-
stus dominus adoratur. Primum au-
tem in hunc modum suadetur. Hu-
manitas prout affecta vnione hy-
postatica, ac præscindens à Per-
sona Verbi, habet excellentiam super-
naturalē adorationē dignam, ergo
prout tali modo consideratur, re-
uera est adorabilis. Ante cedens,
quod solumodo probationē postulat
suadetur, quia predicta humanitas,
nedum habet gratiam sanctificantem
habitualē, omnesque virtutes eam
comitantes, ac eximiam prorsus san-
ctitatem, quam melius dubio se-
quenti enucleabimus; verum etiam
vnionem hispostaticam, quę est mo-
dus quidam substancialis, creatus,
supernaturalis, imo in supernatura-
li ordine supremo loco gaudēs, que
omnia sunt vtique obiectum super-
naturali adorationē dignum, sunt
enim perfectæ satis participatio-
nes Diuinarum perfectionum, qui-
bus debetur supernaturalis adora-
tionis actus, ut dicetur cum de san-
ctorum adoratione sermo institue-
tur: neque huic obstat, quod hu-
manitas sic sumpta non reperiatur à
parte rei, prout in consideratione
nostra præscidente reperitur, quia
ad terminandum absq; vlla inordi-
natio-

46 DE ADORAT. CHRISTI DOMINI.

natione voluntatis actum , satis est , quod prout proponitur per intellectum , habeat sufficientem dignitatem ad terminandum adorationis actum ; & aliunde voluntatis actus non est talis naturæ , vt tendere non possit in obiectum , præscindens à modo effendi , quem habet à parte rei

Confirmatur. In eo quod proponitur humanitas vnione hypostatica affecta , & vt substantia cognitioni illi præscindenti nulla adest fictio , nullum reperitur mendacium , sed aliunde importat excellentiam adorationis dignam , ergo absque illa in ordinatione poterit adorari . Maior quoad primam partem probatur , quia reuera non concipitur aliquid in illa humanitate , quod in illa realeliter non existat , verè enim & à parte rei ea omnia habet : quoad secundam partem etiam constat , quia præscindentium non est mendacium , vt vulgare fert axioma . Minor constat ex dictis : illæ enim supernaturales perfectiones , quibus humanitas ornatur , sunt omnino adoratione supernaturali dignæ . Consequentia liquet : nam illius actus dishonestas solum posset ex predictis capitibus ortum ducere .

19 Dices fortè fingi modum illum præcisionis , nam hunc non habet predicta humanitas à parte rei , quod autem alicui à parte rei non competit ; vtique per intellectum fingitur ; maximè quia si à parte rei non est sic præcisa , & tamen concipitur ut præcisa , iam concipitur aliter ac est , saltem quoad modum , fingere autem nihil aliud esse videtur , quam concipere rem aliter , ac est in se , vt patet in omni ente rationis , quod sit per hoc , quod intellectus concipiatur res aliter , ac sunt à parte rei .

Hoc tamen facile diluitur , animaduertendo , quod præcisio nihil aliud

est ex parte intellectus , quam ipsa met realis cognitio præcisia ; modus autem ille præcisionis , cui dicitur substare humanitas vnione affecta , nihil aliud ponit in tali humanitate prout à parte rei , nisi denominationem extrinsecam ; quod si sumatur eadem humanitas , prout habet esse intentionale , adeoque prout representatur intra intellectum præscindentis , & per consequēs vt habet esse representatum in Verbo mentis , dici potest , quod intrinsece afficiatur per cognitionem præcisiuam intellectus , quatenus tale verbum est intrinsecus terminus cognitionis præscindentis , ac tenentis se ex parte potentie intellectus . Hec igitur omnia sunt ea , quæ in predicta cognitione præcisia concurrunt .

Quod si singula examinauerimus ; in nullo reperietur aliqua fictio , & quidem de cognitione præcisia , tenente se ex parte intellectus , indubitum est esse actum reale , nullatenus fictum . Si rursus fuerit sermo de secundo ; certissimum est denominaciones extrinsecas , habere suum qualemcumque esse extrinsecum à parte rei , nam paries à parte rei denominatur extrinsecè visus . Et ratio est manifesta , quia consideranti omnes denominaciones extrinsecas , apparebit , quod nihil aliud sit denominatio extrinseca , nisi forma realis ex natura sua respectiva , intrinsecè posita in uno subiecto , & extrinsece in alio , quod totum sine ullo fictionis vestigio omnino reperitur . Vnde aperte constat , nec tertium esse fictionem , prout denominatur intrinsecè à cognitione præcisia , quam intrinsecè terminat . Net demum , quid fictum est in Verbo adèquato respectu obiecti compositi representari vñā partem obiecti , alia non representata , quia solum ex hoc habetur , quod cum sit in potestate intellectus nostri vti verbo men-

mentis, vt representante humanitatem, vniōnem, & Personam Verbi, & rursus sit in eiusdem potestate, vti eodem verbo inadæquatè, prout videlicet repræsentante humanitatem, & vniōnem non verò personam Verbi; cum inquam id sit in potestate intellectus, quod exerceat potius facultatem vtendi inadæquate illo verbo mentis, quam adæquatè, in hoc vnu nulla prorsus adest fictio. Vnde & Angeli sine vlla fictione, possunt vti inadæquatè suis speciebus, ita vt si per vnam possunt cognoscere decem obiecta, ea vtique vti possunt, vt repræsentante solu modo quinque, in quo vnu inadæquato, nemo suspicatus est fictione opus esse.

20. Et ex his manifestè constat ad primum, quod obijcietur: nam modus ille præcisionis nihil aliud est, quam omnia prædicta, si adæquatè sumantur, in quibus vt vidi mus nulla est fictio; & licet eadem humanitas secundum se, ac præscindendo ab omni ordine ad intellectum cognoscentem, non substet tali modo, quoad omnia prædicta, non tamen sequitur, quod dum illi substat detur fictio, quia dum illis subditur, & realiter subditur, & formis realibus, siue intrinsecis, siue extrinsecis superuestitur, quæ licet ex hoc, quod intentionales dici possint lato modo entia rationis, non tamen propriè, cum ens rationis sit quid fictum, idest nullum habens esse reale, siue naturale, siue intentionale. Ad secundum dicitur; quod si per concipere rem aliter, ac est, intelligatur, quod concipiatur inadæquatè, fatemur hoc modo concipi aliter, ac est, quia à parte rei non datur vt sic inadæquate conceptum, quamvis detur totum illud, quod inadæquatè concipiatur, hoc tamen non est absolutè, & rigorosè concipere rem aliter, ac est, sed solum

inadæquatè rem cognoscere, alias oculus corporeus, qui videt colorem parietis, non verò eius substantiam, imò colorem ipsum, & non eius inherentiam, scè existentiam in subiecto, videret ipsum aliter, ac est adeoque faceret ens rationis, quod dici non debet. Si verò per concipere rem, aliter ac est intelligatur hoc, quod est cognoscere in obiecto aliquid, quod ibi non est, ac si re vera ibi esset, fatemur hoc esse, fabricari ens rationis, quod tamen hic non contingit, vt constat ex dictis. Verum tamen est, quod si intellectus per cognitionem reflexam apprehenderet denominationem illam extrinsecam, à qua humanitas à parte rei extrinsecè denominatur præcisa, vt aliquid intrinsecè eam afficiens, vtique fingeret, & rigorosè conciperet, quod re vera non est, ac si esset, adeoque rigorosè conciperet rem aliter ac est, sed de hac cognitione reflexa, nunc non est sermo: vt patet.

21. Secundum quod proposui mus probandum, facile probatur. Humanitati sic acceptæ non est tribuenda suprema latriè adoratio, sed hæc est ea adoratio, qua Christum Dominum adoramus, ergo humanitati affectæ vniōne hypostatica, præscindenti à persona Verbi debetur diuersa adoratio ab ea, quæ tribuitur Christo Domino. Maior suadetur, quia suprema adoratio, supremo tantum debetur, adeoque increatæ dumtaxat excellentiæ: euidentis est autem, quod quæcumque excellentia consideretur in ea humanitate, affecta vniōne, ac præscindente à Persona Verbi, vtique est excellentia creata, suprema enim inter illas est vnio hypostatica, quā constat esse modum substantialem supernaturem, creatum, de quo Theologorum nullus dubitat.

§. II.

Soluuntur Argumenta contraria.

22. **A**dducunt solent aduersus secundam nostræ assertio-
nis partem aliqui Authores, qui
oppositum ei, quod in illa docui-
mus videntur sentire, sed quia Pa-
ter Suar. disp. 53. sec. 3. paulo post
initium docet, re vera tales autho-
res, aut id non sensisse, aut difficul-
tatem scholastica hac subtilitate
non examinasse, idcirco eos referre
omittimus; probari tamen solet op-
posita hæc sententia primò pluribus
authoritatibus, tūm ex Sacris Cōci-
lijs, tūm ex SS. Patribus, desum-
ptis, quas adducit, ac diligenter
soluit citatus Suar in adducta se-
ctione circa finem; ne autem ea,
quaæ ibi dicuntur transcribamus, so-
lum ponemus doctrinam, ex qua
omnium illarum solutio possit ha-
beri. Recolendum ergo primo,
quod supra num. 1. ex D. Tho. di-
ximus in eo, qui adoratur distingui
posse, & rationem adorandi, & eum
cui honor exhibetur. Propriè autem
honor exhibetur toti supposito, non
enim propriè pars, sed totum ado-
ratur: in quo tamen rationes ado-
randi plures esse possunt, quaæ ta-
men hoc ipso, quod sint in eodem
supposito, vnum adoratum simpli-
citer loquendo constituunt. Sicut
plures artes in uno artifice existen-
tes non faciunt nisi vnum artifi-
cem: nam ad multiplicationem
concreti substantiæ, requiritur mul-
tiplicatio formæ, & subiecti.

Nota rursus, aliquos Sanctorum
Patrum, & præsertim doctissimum
æquè, ac Sanctissimum P. N. Cy-
rillum disputare aduersus Nesto-
rium, ponentem in Christo duo
supposita, humanum videlicet, &

Diuinum. Tertiò nota sermonem
hic esse de humanitate, vt affecta-
vione in statu purè præcisuo, adeo-
que eam sic sumptam non diuidi
per negationem à supposito, & na-
tura Diuina. Quartò demum aduer-
tè, aliud esse loqui de adoratione
moraliter, idest de ea, prout com-
muni indifferenter doctis, & indo-
ctis. Aliud verò si fuerit sermo de
illa ex suppositione alicuius specu-
latiæ præcisionis, seu vt vtamur
verbis D. Io: Damasceni, subtilis
intelligentiæ, quaæ doctorum homi-
num dumtaxat propria esse solet,
cum hi tantum inadæquatos con-
ceptus ab adæquatis facile, & absq;
erroris periculo distinguant, quod
non ita facile indocti, ac minus in
scholasticis exercitati euitare pos-
sunt. His positis.

Quoties Concilia, aut Sancti Patres negant Humanitati Chri-
sti Domini aliam adorationem ab
ea, qua adoratur Christus, vel lo-
quuntur de ratione adorandi prin-
cipaliori, quaæ soli conuenit Chri-
sto, cui, vtpote toti propriè loquen-
do est exhibenda adoratio, & con-
sequenter negant humanitati pro-
priam aliquam adorationem, diuer-
sam ab ea, qua adoratur Christus,
vt præcaueant omnino errorem, in
quem posset quis incidere, putan-
do humanitatem illam habere crea-
tam suppositatatem, hoc ipso,
quod illi concedatur peculiaris
adoratio, quaæ in omni prorsus rigo-
re, iuxta communem vsum soli de-
betur totali supposito. Vel rursus
loquuntur de humanitate, negato
respectu ad Christi personam, quo
modo mendacium importat, cum re
vera eum non neget, & in quo sensu
nos non sumus loquuti. Demum
exponi possunt de adoratione iuxta
communem vsum, atque adeo do-
ctis, & indoctis accomodata, quaæ
ytiq; subtilibus scholasticorum in-
telli-

telligentijs non attendit , nec expediet iuxta illas à vulgu adorationem exercere , propter imminens erroris periculum , ex eo quod minus idoneum sit ab adæquato prorsus adorationis obiecto , quod est Christus , inadæquatas rationes præscindere . Iuxta igitur has solutiones facile erit authoritates , quæ adduci possent explicare vtendo videlicet illa , quæ magis textui fuerit accomodata .

23 Deinde ex ratione arguitur , Impossibile est dari adorationem : quæ versetur circa humanitatem modo dicto sumptam , ergo solum dabitur ea , quæ versatur circa Christum Deum hominem . Antecedens , quod solum probatione indiget , suadetur ; nam in præsenti loquimur , vt patet de adoratione propriè dicta , hæc autem , vt dicit S. Tho: 3. par. quæst. 25. art. 2. soli debetur supposito , scù Personæ ; constat autem humanitatem , de qua loquimur , non esse personam . Tum etiam , quia ea adoratio , hoc ipso quod non versetur circa totum Christum , vtique est actio partialis , non videtur autem possibilis actio partialis ; sicuti non est possibilis partialis productio , vt dictum est in physicis disp. de forma ; nam ratio , quæ ibi adducitur , destruit omnes partiales actiones .

Confirmatur . Humanitas Christi affecta vnione coadoratur adoracione latrè ad adorationē totius Christi Domini , vt dictum est dubio præcedenti , ergo non conuenit eam adorari adoratione inferiori , qualis est illa , quam nos ponimus . Antecedens constat ex dictis . Consequentia probatur , nam vbi adest actus perfectior , imperfectior , ac minus excellens non habet locum .

24. Respondetur negando antecedens , ad illius primam probationem dicendum , quod ly propriè

De Adorat. Christi Domini .

dicta stat dupliciter , primò vt contradistinguitur ab omnino impro priè tali , sicut si diceremus hominem pictum impropriè hominem esse . Secundò prout contradistinguitur ab eo , quod licet habeat essentiam rei , non tamen habet illam absolutè , sed facta solummodo aliqua suppositione ; Cùm igitur S. Tho: docet , adorationem propriè dictam deberi supposito , loquitur de ly propriè , prout contradistinguitur ab eo , quod non habet esse nisi facta aliqua suppositione : ac si diceret adoratio absolutè sumpta , & quæ omnibus modis est talis , & consequenter omnino perfecta non tribuitur nisi Personæ totali : hoc autem non vetat , quo minus alia adoratio , quæ re vera habet essentiam adorationis , sed minus propriè , ex hoc videlicet , quod non detur nisi facta suppositione intellectualis eius præcisionis , qua humana à Persona Verbi modo dicto præscinditur ; hoc inquam non vetat dari posse eiusmodi adorationem , quæ propriè talis est , at non absolutè , sed facta solummodo ea præcisione . Dici etiam potest huiusmodi adorationem esse minus propriam , non quia careat vera adorationis essentia , sed quia eius obiectum licet sit reale , non tamen adoratur secundum statum , quem habet omnino à parte rei , sed secundum dumtaxat quo gaudet statu reali intentionalí , quem habet ratione intellectualis præcisionis . Adoratio ergo propria , de qua loquitur Angelicus Præceptor , & quæ revera in omni prorsus rigore est propria , ea est , cui respondet à parte rei obiectum gaudens statu reali , prout contradistincto ab intentionalí , qui licet realis sit , non tamen absolutè realis vocatur , sed realis intentionalis . Eo vel maximè , quia etiam si humanitas vnione affecta , prout

G modo

modo dicto præscinditur, non exprimat rationem personæ, eam tamen non negat, vt saxe diximus, vnde realiter subsistit, et si subsistentia in illa ut sic concepta, scilicet præcisa non eluceat, quod et si obstat adoratio ni omnibus modis propriæ, non tamen illi, quæ habet veram essentiam adorationis, ac simpliciter modo explicato est propriè adoratio.

Ad secundam probationem negatur assumptum; verè enim est adoratio totalis, quamvis humanitas, & unio sic præcisè non sint totus Christus. Et ratio est quia, et si humanitas, & unio in esse entis sint inadæquatè Christus; secus in esse obiecti adorationis: cum enim humanitas, & unio sint alterius, nempè inferioris ordinis ad Christum, habentque excellentiam omnino inferiorem ad eam, quam habet Christus, & ratione cuius est per supremam adorationem adorabilis, utique in ratione obiecti est quid omnino diuersum. Quod vero dicitur de productionibus partialibus non obstat, quia haec non sunt duæ partiales adorationes, sed omnino totales, ac diuersi ordinis, cum humanitas, & unio habeant diuersam omnino formalem rationem terminandi, quam habeat Christus, adeoque sunt duæ disparatæ adorationes, quæ autem partes sunt, utique non se habent disparate. Per quod patet ad confirmationem; nam tunc deberet cessare inferior adoratio circa humanitatem, & unionem, quando sumeretur eodem modo, ac sumitur cum coadoratur, tunc enim excellentior adoratio præoccupat locum inferiori: secus si sumatur omnino diuerso modo, imo vt spectans ad diuersum ordinem, ut reuera sumitur vi illius præcisionis, hoc ipso enim quod adorationes pertineant ad diuersum ordinem, ut disparatæ,

clarè patet, quod una non præoccupet locum alteri, imo superior nullo prorsus modo fertur circa humanitatem, & unionem cum præcisione sumptas, quia propterea sic sunt intrinsecè quid pure creatum, non adorabile proinde suprema latræ adoratione.

25. Secundò arguitur. Hoc ipso quod humanitas absque prædicta præcisione fit adorabilis eadem adoratione, qua Christus, irrogatur illi iniuria ex eo quod facta eiusmodi præcisione adoretur adoratione inferiori ab ea, qua adoratur Christus, ac simul cum illo, ergo nullatenus admittenda est talis adoratio. Antecedens suadetur: nam posito quod aliquis sit Imperator, & Dux, scilicet Comes, iniuria illi irrogaretur, si præscindendo à maiori dignitate, imperatoria videlicet adoraretur solummodo, scilicet vt Comes, scilicet vt Dux: idem ergo cum in præsenti contingat, vt ex se constat, videtur, quod per eam adorationem inferiorem Humanitati Christi irrogemus iniuriam. Consequentia liquet.

Respondetur negando antecedens: imo per talem adorationem crescit honor humanitatis, cum pluribus ex titulis adoratur, nec unus illorum alium excludit, sed disparatè se habent. Ad probationem antecedentis dicimus, esse disparem rationem; cum enim ea persona sub eodem statu sit pluribus ijs titulis adorabilis, oportet, quod ex omnibus adoretur; vnde nō tribuendo illi adorationem excellentiorem, quam sub illo exigit statu, aliqua illi irrogaretur iniuria. Secus contingit in præsenti, nam sub statu illo præcisionis, sub quo nunc humanitatem, & unionem consideramus, non debetur illi nisi inferior adoratio, vnde omnem, quam pro illo promeretur, ei tribuimus, & consequenter nulla

la prorsus ei irrogatur iniuria. Eo vel maximè quia absolutè non negatur illi excellentior adoratio, quæ gaudet, ut coniuncta personæ Verbi, sed dumtaxat ab illa præscinditur. Quia tamen in humano modo procedendi, vt pote magis sensibili, his præcisionibus non attendimus, mirum non est, non esse prorsus idem; quod tamen, si personæ in humanis honoratæ id innotesceret, nullatenus se iniuria affectam existimaret per hoc quod honoraretur, exempli causa, ut Dux, & ab imperatoria dignitate præscinderetur.

DVBIUM III.

*Qua Adoratione adoranda sit
Christi Humanitas, ut affe-
cta unione hypostatica, &
gratia sanctificante?*

Explicato an est adorationis humanitatis, & vnionis, cum præcisione iam dicta sumptarum, ad declarandum quid est eiusdem adorationis gradum facimus, quia autem, ut ex dicendis innotesceret, est eadem ferè ratio de vniione, ac de gratia sanctificante creata Christi Domini, idcirco vtriusque decisio in vnico hoc dubio est expedienda; loquimur autem non de gratia sanctificante, vt cumque, sed ut dicente virtutes omnes supernaturales, ac reliqua dona, quæ plenitudinem gratiæ creatæ Christi Domini comitantur, est enim de omnibus eadem ratio, cum ad integrandam adæquatam gratiæ sanctificantis excellentiam concurrant.

De Adorat. Christi Domini.

§. I.

*Præmittuntur aliqua ad dicendo-
rum intelligentiam.*

26. **P**rincipio notandum, triplex communiter distingui adorationem (ciuili excepta, de qua non est sermo) alia est suprema, quæ Latria appellatur, ac soli Deo debetur. Alia est Dulia, per quam Dei Sanctos ratione supernaturalis excellentiæ gratiæ sanctificantis heroicæ veneramur. Alia demum est Hyperdulia media inter utramque: de duabus prioribus nihil modo se offert dicendum. Quoad tertiam tamen, de qua in hoc dubio erit sermo, sciendum ex D. Tho: in 3. dist. 9. quæst. 2. art. 2. S. Tho.

*Quod speciali nomine Hyperdulia no-
minatur, quasi super Duliam ad*

Latriam accedens. Verum hic accessus dupliciter fieri posset: primò ex eo, quod hyperdulia esset omnino specie distincta à dulia, atque adeo hanc essentialiter specificè superans. Secundò ita ut solum duliam excedat ratione alicuius modi maioris excellentiæ, qui proinde modulus sit extra essentiam, non tollens

vtriusq; specificam omnino conuenientiam. Eo ferè modo, quo appetitus sensitivus hominis essentialiter specificè conuenit cum sensitivo appetitu brutorum, quamuis istum ratione modi maioris excellentiæ superet, vnde ille habet deficientem quandam libertatem, & est virtutis subiectum, secus appetitus brutorum ratione maioris imperfectionis. Videtur autem nobis omnino dicendū illud prius: quia videmus, hoc ipsum sentire Angelicū Præceptorem 2.2. quæst. 103. art. 4. ubi in corpore articuli docet, duliam communiter sumptam diuidi in plures species, & iuxta hoc respondens

ad secundum sic ait. *Dicendum*,
S. Tho. quod hyperdulia est potissima species
Dulie communiter sumptuæ. Itaque
 afferit S. Doctor, Duliam commu-
 niter sumptam eam esse, per quam
 reuere ntia exhibetur homini ratio-
 ne cui uscumq; excellentiæ: & sicut
 eiusmodi excellentiæ sunt inter se
 specie diuersæ, ita & dulia est spe-
 cies quedam subalterna habens sub
 se alias species: inter has autem no-
 bilissima est hyperdulia, quæ proin-
 de excedit duliam strictè sumptam
 indiuisibilem in plures species, vt
 ibidem docet Sanctus Doctor, &
 hæc reperitur in seruo respectu Do-
 mini vt talis, nam dulia rigorosè
 sumpta seruitus est.

Explicari autem id potest in hunc
 modum: animal est species subal-
 terna diuisibilis in plures, & inter
 has primum omnino locum tenet
 homo, quare sicut iste tenens me-
 dium locum inter bruta, & Ange-
 los, magis accedit ad Angelos per
 accessum omnino specie distin-
 ctum, qui habetur per differen-
 tiā rationalis, à qua in nobilissima
 animalium specie constituitur: Non
 dissimiliter hyperdulia medians in-
 ter latram strictè dictam, & duliam
 rigorosè sumptam, ac secundum,
 quod dicit speciem inferiorem, ac-
 cedit ad latram per differentiam
 specificam simpliciter excellentio-
 rem dulia strictè considerata, quāvis
 sub genericā ratione duliæ, sū serui-
 tutis contineatur, vt in exemplo ad-
 ducto speciei humanæ manifestè
 constat. De his itaque tribus ado-
 rationum speciebus quæritur, quæ-
 nam sit illa, qua humanitatē p̄r-
 dicta vniōne affectam, & p̄fscin-
 dentem à Persona Verbi, adoramus?

27. Notandum rursus, quod
 adoratio, de qua nunc loquimur,
 potissimè respicit excellentiam à
 morali sanctitate prouenientem, nam
 quamvis daretur Persona ex-

cellentissimis decorata perfectioni-
 bus supernaturalibus, ijs videlicet,
 quibus coniunctio ad mortale pec-
 catum non repugnat, si tamen cul-
 pa aliqua læthali esset coinquinata,
 nullatenus hac adoratione posset
 adorari. In quo eiusmodi adoratio
 differt ab adoratione, quam exhi-
 bemus Dominis temporalibus, nam
 ijs eam tribuimus, quatenus ea di-
 gnitatis temporalis excellentia ful-
 gent, quantumuis aliunde fædissimis
 sint obnoxij peccatis. Iuxta illud,
 quod habetur 1. Petri 2. Serui sub-
 diti *estote in omni timore dominis*,
 non tantum bonis, & modestis, sed
 etiam dyscolis. Et hoc quidem salu-
 briter; cum enim eiusmodi obse-
 quium respiciat debitum ordinem
 in ciuili, & politica Republica-
 seruandum, vnde eiusdem pax, &
 tranquillitas ortum ducit: non mo-
 dica potest, & confusio, & pertur-
 batio suboriri, si propter Principis
 iniuitatem posset quisque debitum
 illi denegare obsequium. Sed de-
 hoc in materia de Iustitia, Iure.
 Hoc autem non contingit in interna
 adoratione, respectu cuius om-
 nino per se attendendum ad sancti-
 tatem moralem personæ adoratæ, &
 excellentiam inde prouenientem, vt
 fusius infra disp. ultima huius tra-
 statutus dicetur, cum de Sanctorum
 canonizatione sermo instituetur.

Animaduertendum præterea, du-
 plicem à Theologis in Christo Do-
 mino distingui Sanctitatem; harum
 vna vocatur substantialis, & increa-
 ta, quæquæ habetur à Persona
 Verbi humanam Christi Dñi termi-
 nante naturam: siquidem eiusmodi
 Persona includit per modum tran-
 scendentis essentiam Diuinam, quæ
 est ipsamet puritas, & sanctitas per
 essentiam, ac omnino per se subsi-
 stens, vndè terminando intrinsecè
 humanā naturam facit eam intrin-
 secè Sanctā Sanctitate hac substanc-
 tia-

tiali, sicut & subsistente, ac existente intrinsecè reddit. Harum altera Sanctitas accidentalis, & creata dicitur, ac sita est in plenitudine gratiæ sanctificantis, & habitualis, quæ quoad specificam, & essentialem sui rationem vniuocè prorsus conuenit cum gratia sanctificante, & habituali cuiuscumque puri, & Sancti hominis. Adhuc tamen cum hac athoma, & specifica conuenientia coheret, ut quoad modum maioris omnino excellentiæ distinguatur à Sanctitate cuiuscumque puri hominis: hinc ratione huius modi excellentioris dicitur plenitudo gratiæ: ut enim agentes de gratia Christi docuimus, cum gratia sanctificans, & habitualis Christi sit illius aliquo modo propria passio; habeatque coniunctionem cum fontali principio gratiæ, quod est natura Diuina Christi, habet inde modum maioris omnino excellentiæ, adeoque, & plenitudinem: ut videre est in luce, quæ cum sit aliquo modo proprietas solis, habet in illo, & modum maioris excellentiæ, & perfectam plenitudinem, idemque contingit in calore respectu ignis, ac similibus. Et hoc intelligendum etiam de omnibus virtutibus siue naturalis, siue supernaturalis ordinis, quæ eandem gratiam comitantur. Ita,

S. Tho. S. Tho. 3. par. quæst. 7. art. 2. ad 2. dicens. *Habitus ille heroicus, vel Diuinus non differt à virtute communiter dicta nisi secundum perfectiorem modum; in quantum scilicet aliquis est dispositus ad bonum quodam altiori modo, quam communiter omnibus competit. Vnde per hoc non ostenditur, quod Christus non habuerit virtutes, sed quod habuerit eas perfectissimè, ultra communem modum.*

28. Demum quoad modum substantialem vnionis hypostaticæ tenentis se ex parte humanitatis, eamque necentis cum Persona Ver-

bi dubitari potest, an sit forma sanctificans eandem humanitatem, quantumuis enim dubitari nequeat per illam sanctificari humanitatem, ratione termini quem vnit, nempe ratione Personæ Verbi, adeoque dici possit sanctificatio causalis unitua ut quò, eo modo, quo actio vniens Personam Verbi cum humanitate dici posset sanctificatio causalis effectua ut quò: meritò tamen in dubium verti potest, an omnino secundum se, adeoque ut quid intrinsecè creatum, & à termino, qui est Persona Verbi p̄escindens, sanctificet formaliter eandem humanitatem. Quæ sanctificatio, si haberetur, utique esset distincta, tum à Persona sanctificante, à qua habetur sanctitas increata; tum à sanctitate gratiæ habitualis, quæ est sanctitas accidentalis creata. Illa verò, quæ haberetur ab vniione cum præcisione sumpta esset sanctitas creata modalis substantialis, essetque in diuerso subiecto, ac sit gratia sanctificans habitualis, quæ est immediatè in anima: at modus ille substantialis, vnionis immediatè est in humanitate si adæquatè sumatur. quia & animam, & corpus, adeoque formam totalem humanitatis vniat Persona Verbi.

Et quamvis non sit præsentis instituti, rem hanc diligenti discussione pertractare, adhuc tamen placet sensum nostrum circa præsentem difficultatem breuiter exponere. Itaque loquendo de vniione hypostatica ut p̄escindente à Persona Verbi, & à sanctitate gratiæ habitualis; videtur nobis dicendum, eam importare formaliter quidem, & omnino ratione sui sanctitatem ordinis physici, non moralis. Pro quo sciendum, in ordine supernaturali nos distinguere duplēcē sanctitatem: vnam appellamus physicam supernaturalem, consistente in eo quod non

non dicat naturalem, & multò minus metaphysicam repugnantiam, cump eccato læthali, adeoque huius sanctitatis non est proprium rectificare subiectum, in quo est in ordine ad ultimum finem, sed erit tantumodo perfectio quedam ordinis supernaturalis satis quoad entitatem, & gradus suos, seu quasi gradus suos metaphysicos perfecta, potens attingere Deum, prout est in se: & huius conditionis credimus esse relationem maternitatis in Beatissima Virgine existentem, de qua fusè infra dicetur, cum probabimus, eam non esse formam moraliter sanctificantem. A qua etiam conditione non abhorret Fides per se infusa, de qua loquens Angelicus Praeceptor 2.2. quæst. 47. art. 13. ad 2. sic ait: *Dicendum, quod fides in sui ratione non importat aliquam conformitatem ad appetitum rectorum operum, sed ratio fidei consistit in sola cognitione. Ecce perfectionem supernaturalem nō rectificantem in ordine ad finem, unde & dici optimè potest sanctitas supernaturalis physica, id est merè physicè perficiens. Vnde Caiet. 2.2. quæst. 55. art. 4. docuit, fidem per se infusam posse ad actum vitiosum concurrere quem etiam alij sequuntur, & probabile id censem N. Salm. tract. de Bonit. & Malitia disp. 6. num. 32.* Eodem quoque modo illud supernaturale intrinsecū, quod eleuat Sacraenta ad hoc, ut sint idonea instrumenta ad producendam gratiam, vtique est præcisè sanctitas physica si formaliter sumatur, nam subiecta, in quibus recipiuntur, sanctitatis moralis sunt penitus incapacia, vt apud omnes est certum.

29. Alia rursus est Sanctitas supernaturalis moralis, cuius est rectificare animam, & voluntatem ad finem ultimum, adeoque dicere metaphysicam etiam repugnantiam,

cum quocumque læthali peccato deordinante ab ultimo fine naturæ rationalis; & haec substantialiter, ac originatiè competit Personæ Verbi terminanti humanam naturam, & claudenti essentiam Diuinam per modum transcendentis; rursus participatiè, & essentialiter conuenient gratiæ sanctificanti creatæ, & Charitati, omnibusque moralibus, ac per se infusis virtutibus; sola excepta Spe, quæ cum peccato mortali, si fuerit informis, potest coniungi.

Itaque dicimus, primum sanctitatis modum vniōni hypostaticæ secundum se, & prout præscindenti à Persona Verbi competere. Nam vnicum ipius munus est physicè vnire humanam naturam cum Persona Verbi, nullatenus verò ratione sui rectificare, seu dicere conformitatem ad appetitum rectorum operum; quantumuis enim hanc conformitatem, vt habitam à gratia, & virtutibus per se infusis supponat, & rursus quamvis terminus, quem vnit, hoc ipsum substantialiter habeat, secus ipsa omnino secundum se, & præcisè sumpta: quod clarius fiet, si aduertatur, quod ipsa nedum animam, sed etiam materiam, seu corpus vniat cum Verbo Diuino, cum tamen corpus vt tale non sit capax moralis, ac supernaturalis sanctitatis. Declarari hoc ipsum potest exemplo vniōnis ligantis Corpus Christi cum speciebus Sacramentalibus in Sacramento Eucharistiae, quæ vtique ratione sui nō importat aliquam sanctitatem supernaturalem, nec prout tenet se ex parte Corporis Christi, alias per vnamquamque nouam consecrationem denuo moraliter sanctificaretur; nec prout tenet se ex parte specierum, quæ huius sanctitatis non sunt capaces. Et ratio utrobique videtur prorsus eadem, nam munus vniōnis est dumtaxat vnire, non verò re-

S. Thd.

N. Salm.

rò rectificare ratione sui, ac præscindendo à termino, qui sanctitatem moralē communicat. Constat autem, quod munus vniendi, omnino quid physicum est, & supernaturale, aut etiam ordinis hypostatici secundum conditionem sui termini. Nec dici potest, quod ex hoc quod vniat Personam Diuinam moraliter sanctam; etiam vnio debeat esse moralis sanctitas: alias vnio ligans animam rationalem cum materia esset rationalis. Inde igitur habetur dum taxat quod sit sancta moraliter denominatiū, denominatione desumpta ex termino, quem vnit, quod non imus inficias: sed hic loquimur omnino de intrinsecis talis vniōnis ut præscindentibus à termino. Verum de hoc nunc satis, alibi enim fusiū.

§. I I.

Prima assertione deciditur dubiam.

30. **D**icendum est primo, humitatē Christi prout affectam vniōne hypostatica præscindente tum à sanctitate gratiae habitualis, tum à sanctitate Personæ Diuinæ non esse adorabilem adoratio-ne, de qua nunc est sermo; verè tamen maxima illi est debita veneratio. Hæc assertio sub his terminis à nemine, quem vidimus, posita fuit, videtur autem omnino apertè sequi ex ijs, quæ in notandis docuimus; ex quibus quoad primam illius partem sic probatur. Adoratio, de qua nunc loquimur ea est, quæ debetur personæ adorat̄ ratione moralis sanctitatis in ea inuent̄, atqui vnio hypostatica prædicto modo sumpta nullam dicit moralē sanctitatem, ergo humanitas Christi, ut affecta vniōne hypostatica præscindente ab omnibus prædictis, non est adorabi-

lis ea adoratione, de qua nunc loquimur. Maior constat ex dictis; etenim nunc loquimur de adoratio-ne prout à ciuili distincta, adeoque de illa, quæ excellentiam à sanctitate morali prouenientem respicit. Minor ex notabilibus est manifesta; vnde consequentia probatione non indiget.

Confirmatur. Si aqua Baptisma-lis sumatur secundum illud supernaturale intrinsecum, quod dicit, & vi cuius est idoneum instrumentum ad gratiam sanctificantem producendam, si inquam sumatur quoad istam perfectionem supernaturalem, ut præscindentem à gratia sanctificante, quam causat, utique non est adorabilis aliqua adoratio-ne, qua adoratur res ratione excellentiæ à morali sanctitate prouenientis, cum hoc modo sumpta nihil moralis sanctitatis importet, ex eo quod aqua huius sanctitatis nō est capax: idemque contingit in accidentibus Eucharisticis ut dicentibus modum vniōnis, quo colligantur cum Corpore Christi; dummodo sumatur hic modus vniōnis ut præscindens à Christo Domino, quem vnit, & hoc propter eandem omnino rationem, ergo cuin hoc ipsum contingat in humanitate affecta vniōne hypostatica, prout modo dicto ab omni prorsus sanctitate morali præscindit, inde satis apertè sequitur, hoc modo acceptam non esse adorabilem aliquam adoratio-ne, qua excellentiam moralis sanctitatis in persona adorata colimus.

31. Probatur nunc quoad secundam partem. Humanitas ut affecta prædicto modo illo substantiali hypostaticæ vniōnis dicit perfectionem quandam in ordine supernaturali supremam, et si præcisè pertinentem ad ordinem physicum, aliunde verò nullum omnino in persona peccati genus supponit, sed eius-

56 DE ADORAT. CHRISTI DOMINI!

eiusmodi supernaturalis, ac hypostatici ordinis perfectio magnam sati exigit venerationem, ergo reue-
ra humanitas, prout afficitur prædi-
cta vnione, eximiam omnino exigit
venerationem. Maior quoad omnes
partes est manifesta. Minor suade-
tur cum enim venerationem, cultum,
& honorem personis excellen-
tia aliqua gaudentibus exhibeamus,
non est cur humanitati illi ut affe-
ctæ excellentissima vnionis hyposta-
ticæ perfectione cultum, & eximiam
denegemus venerationem.

Confirmatur, & declaratur magis.
Ponamus mulierem nihil de sanctitate,
aut de peccati labe habentem,
vt talem eligi in matrem Verbi In-
carnati, quod certè non repugnat,
vtique in ista daretur relatio mater-
nitatis ad filium, quæ relatio esset
ordinis hypostatici, non tamen morali-
ter sanctificaret, vt infra ostendemus,
tunc eiusmodi mulier, et si
non esset adorabilis ratione excel-
lentiæ à sanctitate morali proue-
nientis, adhuc tamen ratione prædi-
cta maternitatis eximia ei deberetur
veneratio, eximus cultus, & honor,
etiam si præscinderemus à Sanctitate
Personæ Verbi. Idem igitur quoad
præsens. Imo si in humanitate ipsa
Christi Domini consideremus potes-
tatem faciendi miracula, & omnes
gratias gratis datas, vt præcisæ à
coniunctione cum qualibet sanctitate,
vtique hec omnes supernaturales
perfectiones moraliter non sanctifi-
cant, vt communiter docent Theo-
logi; & tamen ratione illarum etiā
cum præcisione sumptarum; nemo
dicet, eandem humanitatem non es-
se cultu, & eximia veneratione di-
gnam. Quarè non hoc ipsum quoad
præsens dicetur?

32. Sed hic sollicitat animum
inquisitio, qua petitur, à quonam
principio eliciatur eiusmodi cultus,
sive veneratione exhibita humanitati

prout affectæ vnione hypostatica
præscindente ab omni morali san-
ctitate, adeoque formaliter perti-
nente ad ordinem hypostaticū phy-
sicè sumptum? Et dicendum breui-
ter, elici eiusmodi actum, quem sup-
ponimus esse supernaturalem, ab eo-
dem principio, à quo elicetur adora-
tio versans erga moralem sanctita-
tem ordinis hypostatici, quod dice-
mus esse voluntatem per virtutem
hyperdulicæ perfectam. Sciendum
tamen pro huius intelligentia, habi-
tus sive naturalis, sive supernatura-
lis ordinis nedum ad ordinem mo-
ralem, verum etiam physicum perti-
nere; unde fit, vt eiusmodi habitus
supernaturales secundum quod ten-
dunt in obiectum, vt præcisè perti-
nens ad ordinem physicum solūmo-
do concurrere secundum quod phy-
sicam, & supernaturalem dicunt en-
titatem: specificant enim, & di-
stinguuntur habitus ab eorum obie-
ctis: quare in obiectum, vt præcisè
physicum est, non concurrent nisi
secundum id, quod dicunt de enti-
tate physica supernaturali, non verò
prout moralitatem eiusdem ordinis
exprimunt: id enim videtur omnino
exigere correspondentia inter habi-
tum concurrentem, & illius formale
obiectum, quod quantum ad præ-
sens præcisè spectat ad ordinem
physicum. Et notanter diximus eius-
modi habitus supernaturales, quia
quoad habitus per se acquisitos id
non militat; cum enim actus natura-
lis physicè sumptus non excedat na-
turalem potentiam, vtique ad natu-
ralem actus entitatem per se non da-
tur habitus, vt docuerunt N. Sal-
man: tract. de Virtut. disp. 1. num.
2. & sequentibus. Sed cum entitas
physica actus, & obiecti supernatu-
ralium excedat voluntatem nudè
sumptam, ideo ad illa ponendus est
habitus supernaturalis eleuās poten-
tia pro entitate physica attingenda.

33. Di-

Salman

Salman.

33. Dices fortè in habitibus moralium virtutum non distinguitur entitas, & moralitas, sed una eademque entitas, quæ est forma physica, est virtualiter moralitas, ergo impossibile videtur prædictum habitum concurrere, vt spectantem ad ordinem physicum, non verò ad ordinem moralem. Antecedens constat ex doctrina Nost: Salman: tractat. de Bonitate & Malitia disput. 1. num. 31. Consequētia suadetur: quia una & indiuisibilis entitas tota concurrit, nec videtur posse applicari quoad vnam rationem, non verò quoad aliam, posito quod realiter non distinguuntur.

Respondetur concessso antecedenti negando consequētiā, nam hoc ipso, quod obiectum non inspiciatur formaliter, nisi quoad esse physicum supernaturale, non est capax terminandi aliū influxum, præter physicum, à prædicto habitu procedentem. Et hoc apparet in Sole, cuius calor non distinguitur realiter ab eius luce, est enim virtualiter calidus, & tamen illuminans Cælos communicat illis lucem, non verò calorem; aeri verò & lumen, & calorem communicat. Quod discrimen non aliunde prouenit nisi ex incapacitate corporum cælestium ad recipiendum calorem. Non dissimiliter ergo quoad præfens continget, propter consimilem incapacitatem ex parte actus, & obiecti pertinentium ad ordinem physicum dumtaxat, vt explicatum est.



§. III.

Ponitur secunda assertio, & probatur.

34. **D**icendum est secundò, humanitatem Christi ut affectam vniōne hypostatica, gratia habituali sanctificante, ac omnibus virtutibus, & donis eam comitantibus adorabilem esse adoratione, hyperdulizæ. Nota nomine omnium virtutum venire etiam pertinentes ad ordinem naturalem, nam etiam istæ concurrunt ad integrandam adequatam, & creatam Christi Domini Sanctitatem, & aliunde ratione coniunctionis ad humanam naturam Christi sunt; quoad modum ordinis hypostatici, ac Diuini, quamuis quoad essentiam specificè conueniant cum virtutibus ordinis naturalis puri hominis Sancti, vt supra n. 27. ex D. Tho: dicebamus, loquimur ergo de omnibus prædictis virtutibus, & donis, adeoque & de gratia Sanctificante secundum quod dicunt proprias essentias prædicto excellentiæ modo affectas. Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 103. art. 4. ad 2. his Verbis Dicendum, quod hyperdulia est potissima species Dulie communiter sumptæ. Maximè enim reverentia debetur homini ex affinitate, quam habet ad Deum: Constat autem, prædictam affinitatem ad Deum haberi in humanitate omnibus prædictis perfectionibus affecta. Sed expressius hoc ipsum docuit 3. part. quæst. 25. art. 2. ad 1. vbi loquens de adoratione debita carni à Verbo Diuino assumptæ, & secundum quod iuxta D. Ioa: Damasc: præscindi potest subtili intelligentia à Persona Verbi, in hunc modum loquitur. Et tunc sic intellectæ (id est carni assumptæ) ut separata à Dei

s. Tho.

58 DE ADORAT. CHRISTI DOMINI.

*Verbo debetur sibi adoratio Duliæ non cuiuscumque (puta quæ communiter exhibetur alijs creaturis) sed cuiusdam excellentioris, quam hyperduliam vocant. Hoc idem pariter aperte docet S. Tho. in 3. distin-
ctio 9. quæstio 1. articul. 2. in corpore, vtens eadem præcisione, humanitatis à Persona Verbi. S. Th. sequuntur plures alij quos refert P. Suar. tomo 1. in 3. par. disput. 53. sect. 3. concl. 4. quamvis ipse aliud doceat, vt constabit ex dicendis.*

35. Probatur nunc ratione ex doctrina S. Doctoris desumpta. Humanitas Christi, vt omnibus prædictis donis affecta, dicit cum Deo affinitatem, quamvis à Verbi Diuini Persona modo dicto præscindat, sed ratione huius affinitatis exigit tantum adorationem hyperduliam, ergo humanitas Christi, vt prædictis supernaturalibus donis affecta, adoranda est tantum adoratione hyperduliam. Maior est manifesta, cum enim ea: affinitas habeatur per coniunctionem, & inter Christi humanitatem vt affectam vniōne hypostatica, & Personam Verbi sit immediata prorsus coniunctio: imo talis vt fortè maior esse non possit, vt ostendimus agentes de Conuenientia Incarnationis, aperte sequitur humanitatem illam prædictis donis, & maximè vniōne hypostatica affectam dicere maximam cum Deo coniunctionem, atque adeo & affinitatem, ex eadem coniunctione consurgentem, vt constat in humana affinitate, quæ ex eadem coniunctione ortum ducit. Neque huic affinitati obstat præcilio, quia, cum hæc non sit negatio, vtique nec diuisio, quæ coniunctioni est inimica.

Minor suadetur; breuiter aduentendo, quod cum in ea ponatur ea particula exclusiva tantum, duo sunt probanda, nempè nec sufficere infe-

riorem Duliæ communiter dictæ adorationem, nec deberi illi supremam latræ adorationem. Et quoad primam partem nemo est, qui dubitet excellentiorem, Duliæ communiter dictæ adoratione, deberi humanitati Christi, vt omnibus prædictis donis affecta. Quoad secundam suadetur, quia suprema adoratio latræ solum debetur increata, ac Diuinæ excellentiæ, aut saltem ratione illius; cum enim sit excellētissima prorsus adoratio, excellētissimæ dumtaxat perfectioni, qualis est Diuina & increata, reseruatur. Porro humanitas Christi habens omnes prædictas perfectiones cum præcisione sumptas, vtique non dicit omnino intrinsecè, ac ratione sui aliquid Diuinum, & increatum: cum omnes illæ omnino creatæ sint. Nec rursus est adorabilis adoratio latræ ratione Personæ Verbi, quia hoc modo est adorabilis vt reduplicatiè respicit Personam Verbi, ac exprimit coniunctionem cum illa, vt de ea loquuti sumus dubio 1. huius disputationis, quo modo hic non est sermo de illa, sumitur enim in præsentiarum, vt præscindens ab eadem Verbi Diuini Persona, solam igitur, ratione prædictæ affinitatis sic acceptæ, hyperduliam adorationem exposcit.

Confirmatur. Eadem humanitas omnibus ijs ornata perfectionibus, vt formaliter coniuncta Personæ Verbi Diuini excellentiorem, exigit adorationem, quam exigat vt præscindit à Persona Verbi, sed primò modo sumpta exposcit latræ adorationem, ergo posteriori modo considerata solummodo hyperduliam exiget adorationem. Maior videtur manifesta, quia prout sic propriè non adoratur, sed coadoratur ad adorationem Christi Domini, & quia huic debetur suprema latræ ado-

adoratio, idcirco etiam humanitati, vt sic coniunctæ cum Persona Verbi latræ coadoratio debebitur, adeoque excellentior illa, quæ debetur eidem, prout gaudet statu præcisionis, nam hoc modo sumpta non coadoratur, sed terminat per se adorationem, & quia hanc terminat ratione excellentiæ creatæ, quæ omnino est inferior excellentia Dei hominis, satis apertè sequitur sub tali præcisione exposcere inferiorem omnino adorationem, quam postulet vt exprimens cum Persona Verbi Diuini coniunctionem. Minor constat ex modo dictis; & rursus, quia hoc ipso quod sumatur vt exprimens coniunctionem, iam formaliter exprimit, ac importat Personam, cui coniungitur, vt videtur ex terminis notum: & quia eiusmodi Persona exigit latræ adorationem, hanc eandem postulabit prædicta humanitas, vt eidem personæ coniuncta. Consequentia suadetur, cùm enim adorationes latræ inferiores, sint Dulia communiter dicta, & hyperdulia, si, vt omnes fatentur, non debetur illi Dulia communiter dicta, sola relinquitur hyperdulia, quæ illi debeatur.

36. Ad hanc rationem, eiusque confirmationem responderi potest ex doctrina P. Suar: loco nuper citato; ad rationem quidem concedendo maiorem, & negando minorrem; ad cuius probationem dicitur, quod ultra duos illos adorationis actus datur aliis, qui est hyperdulia excellentior, & erit actus secundarius latræ, qui excedit hyperduliam, sed est inferior supremo ac primario latræ actu, & hic prædictæ humanitati debetur. Ad confirmationem conceditur pariter maior; nam ea humanitas, vt coniuncta dicit Personam Verbi intrinsecè, vt verò præscindit solum

De Adorat. Christi Domini.

dicit eandem Verbi Personam, vt terminum extrinsecum, sed intrinsecè inspectum, adeoque à tali termino solum humanitas extrinsecè Deificatur, & consequenter inferiori modo, ratione tamen huius Diuinæ, & extrinsecè excellentiæ, debetur humanitati secundaria latræ adoratio: sicuti enim hic modus Deificandi extrinsecè est inferior, licet increatus, ita postulat adorationem propriam excellentiæ increatae, sed inferiorem, adeoque secundariam.

Pro huius responsionis impugnatione aduertendum est cum N. Salman: tract. de ultimo fine disp: I. n. 89. dupliciter posse aliquem actum dici secundariū; omnino rigorosè, & rursus minus propriè dicitur hoc posteriori modo actus, qui per se primò tendit ad primarium obiectum potentiae vel habitus, à quibus procedit, & per se secundò tendit ad secundarium, & materiale obiectum potentiae vel habitus, vt videre est in cognitione elicita ab habitu logicæ, quæ primariò tendit in secundas intentiones, & ijs mediantibus extenditur ad res, & voces, quæ sunt habitus logicæ secundarium, & materiale obiectum: quod etiam contingit in cognitione intellectus Diuini, qui primariò terminatur ad essentiam Diuinam, & ea mediante ad creaturem, quæ sunt Diuni intellectus materiale obiectum: hic minus rigorosè, & fortè impropriè dicitur actus secundarius, quia reuera est ipsem actus primarius ut extensus ad secundarium obiectum, adeoque solūmodo per denominationem ab obiecto secundario, dicitur secundarius; cum tamen tota eius entitas intrinsecè sit ipsem actus primarius.

37 Rursus: ille propriè, ac in omni rigore dicitur actus secundarius, qui primariò tendit in id quod est materiale, & secundarium obie-

60 DE ADORAT. CHRISTI DOMINI.

etum potentiae, vel habitus : adeo que eius formale specificatiuum, est illud ipsum, quod materia liter, & secundariò respicitur ab actu primario specificante potentiam, vel habitum. Adhuc tamen cum hoc cohaeret, vt eiusmodi actus utpote essentialiter secundarius, & à primario actu, & ab obiecto primario pendeat, non taliter quod istud attingatur vt quod directe, & formaliter ab actu secundario: sed talis dependentia est ab illo sicut à causa & principio in cuius virtute exercetur, vel ad summum tanquam à ratione formalis sub qua remota & radicali, de quo iterum infra de imaginum adoratione sermo redibit.

Hoc posito, cùm docetur actum secundarium latræ terminari ad humanitatem, prædicto modo sumptam, vel est sermo de actu secundario minus rigorosè sumpto, & à primario indistincto, vel est sermo de actu secundario rigorosè accepto? Si primū dicatur iam non ponitur actus ex parte sua aliquo modo distinctus ab actu primario, siquidem eiusmodi actus solum denominatiuè est secundarius denominatione desumpta ab obiecto secundario; ad quod, prout etiam formaliter terminatur, non importat formalitatem aliquam distinctam tenentem se ex parte actus, vi cuius redditur intrinsecè potens ad attingendum obiectum secundarium; nam cùm istud hoc modo attingitur, non attingatur, nisi sub ratione obiecti primarij; ita vt ratio attingendi istud sit tota, & proxima ratio attingendi obiectum secundarium, vtique vi prorsus eiusdem formalitatis, qua attingitur primarium obiectum, attingitur & secundarium, vt videre est tum in cognitione Divina, prout attingentes creaturas, quæ sunt illius materia-

le objectum: tum in actu logice, qui prout mediantibus secundis intentionibus attingit res, & voces: habent enim hi actus ratione ynius prorsus, & indivisibilis entitatis sineulla distinctione, & primarium, & secundarium obiectum ratione illius attingere. Quare iuxta hunc dicendi modum non ponitur aliquid ab actu primario distinctum, yndè de actu secundario solummodo nomen, absque nulla realitate ponitur.

38. Si autem secundum dicatur, iam formale obiectum specificatiuum huius actus est omnino specie distinctum ab obiecto primarij actus; vt enim ex notandis constat, illud, quod est materiale dumtaxat obiectum actus primarij, quod proinde primarium actum nullo modo specificat, est formale specificatiuum actus secundarij, & hunc propterea formaliter specificat, non verò obiectum actus primarij, quod vt diximus, non specificat vt quod, cùm prout sic non inspiciatur, sed dumtaxat remotè, adeoque non vt specificatiuum. Et hoc videre est in actu electionis, qui specie omnino distinguitur ab intentione, cùm sit actus secundarius voluntatis: & in actibus Logice utentis, qui specie distinguuntur ab actibus Logice docentis, cum sint actus secundarij eiusdem habitus. Quod si specie omnino distinguitur, iam erit actus hyperdulie simpliciter inferior ad quemcumque latræ actum; ex hoc quod specificatiuum illius hyperdulie sit quid intrinsecè pure creatum.

Sed dices ex doctrina eiusdem authoris optimè sustineri posse, eiusmodi actum esse specie distinctum, & esse secundarium, vt vide re est in actu amoris proximi, qui probabiliter est specie distinctus ab actu.

actu primariò amoris Dei , & tamen vterque actus elicetur ab eodem habitu Charitatis, non eodem modo , sed actus amoris Dei primariò , actus amoris proximi secundariò . Non dissimiliter & virtus Religionis primariò elicit actum latrī erga Deum , & secundarium erga humanitatem prædicto modo sumptam : quamuis sint actus specie distincti . Et sane si hoc tribuitur habitui Logicæ inter scientias infimæ , cur non tribuetur habitui Religionis moralium virtutum supremæ ?

39. Verum hæc responsio quod ad primam illius partem est apertè contraria S. Thomæ 2.2. quæst. 103. art. 3. ad 2. vbi negat, esse similem rationem de virtute Charitatis ex una parte , & Religione ex altera , prout in hac response docetur .
S. Tho. Verba Sancti Doctoris sunt . Ad secundum dicendum , quod ratio diligendi proximum , Deus est : non enim per Charitatem diligimus in proximo nisi Deum , & ideo eadem Charitas est , qua diligitur Deus , & proximus sunt tamen alia amicitiæ differentes à Charitate , secundum alias rationes , quibus homines amantur . Et similiiter cum sit alia ratio seruandi Deo , & homini , aut honorandi utrumque , non est eadem virtus latrī , & dulia . Et consequenter nec potissima illius species , quæ est hyperdulia . Non immorabitur in expensione huīus authoritatis ; quia id præstandum à nobis erit , cum de actu adorationis , quo colimus sanctos , disputatio instituetur . Solum addimus vnum verbum , mirum non esse eandem Charitatis virtutem , elicere actum primarium , & secundarium , & istum in proximo respicere Deum ; cum enim vterque actus sit virtutis Theologalis , in utroque splendere debet attingentia bonitatis Diuinæ , quia id est

proprium virtutis Theologalis vt talis , adeoque omnis actus ab ea eliciti ; quæ ratio utique in præsenti non urget , adeoque non opus erit admittere secundarium actum , versantem aliquo modo circa Deum : sed dabitur actus omnino ex obiecto , specie distinctus , qui ab hyperdulæ virtute elicitur . Sed de hoc fusius loco adducto .

40. Quoad paritatem vero ex alijs habitibus desumptam , quibus conceduntur actus secundarij , etiam specie diuersi ab actibus primarijs , dicimus , esse omnino diuersam rationem . Et hoc ideo , quia vterque actus , primarius videlicet , & secundarius versantur circa aliquid , quod est eiusdem ordinis creati , unde fit , quod possit idem habitus per actus specie diuersos attingere ea omnia , quæ proprium ordinem integrant , quia , cum omnia ista sub eadem serie propria illius virtutis claudantur , potest in illis reperiri una ratio communis , sub qua coadunentur , quamvis quoad peculiares actus specificam admittant distinctionem : Sic idem virtutis habitus esse potest , qui attingit proprium finem per actum primarium , & media ad eundem finem conducentia , quia ex medijs , & fine unus , & integer virtutis adæquatus processus conficitur .

Ceterum in habitu Religionis non ita contingit ; cum enim attingat excellentiam incretam , & hæc , vt pote omnino diuersi ordinis à creata , ad hanc omnino disparatè se habeat , utique Religionis processus sic finitur in Deo , vt ad creaturam nullatenus se extendat , quandoquidem sicut non datur una excellentia Deo , & creaturæ communis , ita nec una Religionis virtus . Hanc quam assignauimus disparitatem , satis apertè in verbis adductis Angelicus Præceptor indicauit , cum ait .

ait. Et similiter cum sit alia ratio seruandi Deo, & homini, aut honorandi utrumque, non est eadē, latria, & Dubia. Vbi, vt vides, ex diuersas, omnino ratione exigendi seruitutem, quam habet excellentia in-creata, & creata hominis; colligit distinctionem in prædictis virtutibus: quæ ratio non militat in virtutibus, Quorum finis, & media ad eundem ordinem creatum pertinent, ac propterea non omnino disparatē se habent.

41. Ex hactenus dictis non erit fortè difficile euertere, quod respondeatur ad confirmationem pro nostra ratione efformatam. Tum quia, vt modo dicebamus ex D. Tho: Deo & creature virtus Religionis nequit esse communis. Tum etiam: quia in humanitate sic extrinsecè denominata, considerare possumus vel respectum intrinsecum ad personam Diuinam, & intrinsecè sumptus est purè, creatus adeoque nullam exigens adorationem latræ, vel vt eiusmodi respectus superuestitur denominatione extrinseca desumpta à termino, adeoque reduplicando denominationem extrinsecam, & hæc nihil est in ipsa humanitate intrinsecum, vnde non exiget ratione illius actum diuersum ab actu hyperduliae, quia, nisi obiectum habeat aliquam intrinsecam rationem terminandi diuersum actu, purè extrinseca non sufficiet. Vnde demum dicit coniunctum ex utroque, & idem quod prius, quia ex eisdem simul sumptis non habetur aliqua ratio intrinseca increata postulans peculiarem actu ab hyperdulia distinctum, maximè si fuerit actu diuersi ordinis, sicut est latria, quantumuis fuerit secundarius, oportet enim in obiecto saltē secundariò reperiri intrinsecam aliquam rationem increatam terminandi.

Tum etiam: quia propter nouam

dumtaxat denominationem extrinsecam non est ponendus nouus actus, nec primarius, nec secundarius: atque adeò, si media non dicarent aliquam intrinsecam bonitatem distinctam à bonitate finis, vtique non terminarent actum secundarium à voluntate elicatum, & non aliundè probatur, habere intrinsecam bonitatem, nisi quia sunt potentia terminare aliquem actu, si igitur ponatur humanitas, cum præcisione iam dicta accepta, terminare secundarium aliquem latrig actu, oportet in ea ponere intrinsecam aliquam rationem terminandi latriam, quæ est excellentia in-creata, nisi igitur ea humanitas participet intrinsecè secundariò excellentiam increatā, nequibit secundarium latræ actu terminare, vnde & utilis bonitas, quæ est intrinsecè in medijs, est participatio quædam boni honesti, quod habet rationem finis. Quod patet ex verbis D. Tho: vbi ex hoc, quod erga proximum detur peculiaris actu secundarius à Charitate virtute Theologali elicitus, asserit Proximum ac Deum ipsum eiusque bonitatem diligi. Quomodo autem id verificetur, suo loco explicabimus.

Adde, denominationem purè extrinsecā nihil aliud prorsus esse, nisi formam intrinsecè positā in aliquo, & extrinsecè applicatam alteri: vnde denominationis intrinsecę, & extrinsecę eadē erit prorsus attingibilitas: ita vt extrinseca denominatione non attingatur, nisi per eundem prorsus actu, quo attingitur denominatio intrinseca: Nam sicut denominatio extrinseca, præcisè ratione sui nullam dicit entitatem intrinsecam, nec primariò, nec secundariò, ita nec fundabit aliquam attingibilitatem sibi propriam, nec primariam, nec secundariam.

s. IV.

*Ponitur tertia assertio, & ratio-
ne probatur.*

42. **D**icendum est tertio. Humanitas Christi realiter separata à Persona Verbi, & retinens gratiam sanctificantem est adorabilis adoratione Dulie communis omnibus alijs Sanctis: Si vero nec gratiam, nec peccatum haberet esset adorabilis ea adoratione qua adorantur reliquiae Sanctorum. Hæc assertio quoad hanc secundam partem constabit ex dicēdis infra de adoratione Sanctorum reliquiarū, est enim eadē ratio de humanitate sanctifica- ta ex præterito contactu Diuinitatis, & Personæ Verbi, ac sit de reliquijs; quare quoad præsens eam innuisse sufficiat. Quoad primā verò partem illam à nemine accepimus, credimus tamen à nullo negandam, est enim quoad eius Sanctitatem eadem ratio, ac de alijs Sanctis, & puris hominibus, quibus sola Dulie adoratio conceditur, vt pariter infra ostendemus.

Probatur autem prout spectat ad præsens institutum ratione in hunc modum. Posito quod humanitas à Verbo Diuino dimitteretur, quod de absoluta potentia non repugnat, relinquerentur in illa sanctitas, seu gratia sanctificans, & reliqua illam concomitantia eiusdem prorsus rationis, ac sit gratia sanctificans, & dona puri hominis sancti, sed purus homo sanctus tantummodo dignus est adoratione Dulie communiter sumptæ, ergo idem dicendum de humanitate dimissâ à Verbo, & retinente gratiam sanctificantem. Maior in cuius probatione sita est omnis difficultas suadetur, nam modus ille maioris perfectionis, ra-

tione cuius nunc gratia sanctificans Christi distinguitur à gratia sanctificante puri hominis, est essentialiter pendens ab vnione hypostatica, vi cuius Persona Diuini Verbi terminat humanam naturam, siquidem non aliudè habet talē modum, nisi ratione prædictæ coniunctionis cum Persona Verbi, vnde hac cessante, & adueniente Personalitate, creata omnino cessaret talis modus, atque adeo remaneret Sanctitas vt omnino eiusdem rationis cum sanctitate cuiuscumque puri hominis, cùm nec quoad speciem, nec quoad modum distingueretur.

43. Confirmatur, & explicatur magis eadem probatio; causa conservans prædictum modum maioris perfectionis est Persona Diuina, vt humanitatem terminans, atqui in eo euentu cessaret eiusmodi terminatio, ergo etiam modus ille maioris perfectionis, vnde remaneret gratia sanctificans eiusdem prorsus rationis cum gratia sanctificante puri hominis. Maior probatur, quia talis modus solum consurgit, in gratia sanctificante ex coniunctione ad fontem gratiæ per essentiam talis, vnde etiam in sui persistentia ab eadem coniunctione dependet: vt videre est in alijs; nam ea perfectio, quæ ponitur in virtutibus per se acquisitis ex coniunctione ad Charitatem, omnino cessaret si Charitas esset absens, quantumuis non posseretur peccatum: Rursus corpus celeste, quod ex coniunctione ad intelligentiam motricem iuxta doctrinam D. Tho. part. prim. quæst. 70. art. 3, ad 3. habet participare modum quendam imperfectæ vitalitatis, per quem fit potens producere in istis inferioribus animaliis, imperfecta, vtique, si separaretur ab illo intelligentia motrix, deperderet hunc modum, idemque con-

contingeret in imaginatiua hominis si ab ea separetur intellectus , à quo deriuatur in ipsam maior aliqua modalis perfectio ; quod non aliunde videtur contingere , quam ex hoc quod omnes hi modi tanquam à causa conseruante pendent ab actuali superioris assistentia, quæ si cessauerit , statim ex defectu cause conseruantis pereunt . Minor , & consequentia quoad vtramque partem constant .

Adde modum illum majoris perfectionis maximè situm esse in eo quod importaret infinitam quandam moralem dignitatem , vt in tractatu de Incarnatione satis communiter docent Theologi ; hoc autem esse morale infinitum essentia- liter videtur dependere , tamquam à sui fundamento ab infinitate physica Personæ Verbi, unita eidem humanitati : nam commune est omni esse morali fundari , ac supponere esse physicum , vnde si fuerit infinitæ dignitatis , vti reuera est , cessabit omnino cessante coniunctione ad physicam Personæ Divini Verbi infinitatem .

44. Sed dices. In euentu quod humanitas dimitteretur à Verbo , non deperderetur in illa gratiæ sanctificantis plenitudo , [sed prout dicit hanc plenitudinem , importat modum diuersum à gratia sanctificante puri hominis , ergo falsa est doctrina haec tenus in nostra ratione tradita . Maior probatur : quia ea plenitudo in nullo alio sita esse videtur , quam in maxima intensione gratiæ : non appareat autem , cur in euentu , quod humanitas dimitteretur à Verbo , minuenda esset inten- sio eiusdem gratiæ , & consequen- ter reuera perseueraret cum eadem plenitudine , quam modo habet . Minor constat , quia eiusmodi ple- nitudo dicit aliquid omnino pro- prium Christi , incomunicabile

puro homini saltem de potentia or- dinaria , habetur igitur per hanc plenitudinem peculiaris omnino modus , quo distinguitur à gratia sanctificante puri hominis . Conse- quentia liquet .

Respondet negando maiorem . Pro cuius luce notandum ex Ange- lico Praeceptorē 3. p. quæst. 7. art. 10. plenitudinem gratiæ posse du- pliciter , Attendi uno modo ex parte ipsius gratiæ , alio modo ex parte ha- benthis gratiam .

S. Th Ex parte quidem ipsius gratiæ dicitur plenitudo ex hoc , quod aliquis pertingit ad summum gratiæ , & quantum ad essentiam , & quantum ad virtutem , quia scilicet habet gratiam in maxima excellentia , qua potest haberi , & in maxima exten- sione ad omnes gratiæ effectus , & talis gratie plenitudo , est propria Christi . Ex parte vero subiecti habetur plenitudo gratiæ , quando tantum de illa habetur , quantum sufficit ad idoneum exercendum munus , ad quod aliquis est à Deo electus ; & hæc non est propria plenitudo gratiæ Christi , quamvis communicetur alijs dependenter à gratia Christi .

Ita S. Doctor .

Nunc igitur constat , quod in eo euentu , in quo humanitas dimitte- retur à supposito Verbi , cum non remaneret amplius Christus , sed per unionem ad humanum suppositum redderetur purus homo , vtique cessaret plenitudo gratiæ , quæ est propria Christi , nam destructio prin- cipio alicuius proprietatis , oportet quod & ipsa proprietas desinat esse , atque adeo & plenitudo gratiæ , quæ est propria Christi , idest ex parte gratiæ . Ad probationem vero maioris , quatenus contra hoc retorqueri potest , dicimus , quod reuera minuenda esset ea gratiæ intenso , cum prout summe inten- sa , vt modo ex Sancto Doctore diximus , si proprietas Christi . Eo vel

vel maximè, quia, vt dixit S. Doctor loco cit. art. præcedenti, eiusmodi gratiæ plenitudo habetur in Christo ex propinquitate animæ Christi ad causam gratiæ; nam, quanto aliquid receptuum est propinquius causæ influenti, tanto abundantius recipit. Euidens est autem, dimittente Verbo Diuino humanitatem cessare hanc propinquitatem, & consequenter etiam influxum plenitudinis gratiæ, qui ex illa propinquitate habebatur.

45. Neque obstat, quod dici posset relinquendam talem plenitudinem, posito quod aliquando ex præterita propinquitate communicata fuerit: dona enim Dei sunt sine pænitentia. Respondetur enim non debere relinquere hoc ipso, quod illa humanitas deperdat illam propinquitatem, cum enim desinat causa conseruans nempè coniunctio ad Personam Verbi, vtique oportet, quod desinat esse & illius effectus: quare dona Dei debent esse sine pænitentia supposita perseverantia subiecti in eodem statu, secus si fiat mutatio, & adeo ingens qualis in prædicto euentu contingere. Tum etiam, quia gratia illa ut summè intensa, atque adeo ut omnino plena esset incommensurata, idest excedens proportionem subiecti: summa enim gratia non commensuratur, nisi animæ gaudenti summo prorsus perfectionis statu, qualis solummodo competit animæ humanæ terminatæ per Personam Verbi. Eo ferè modo, quo si nunc aliquis beatus cessaret à visione Diuinæ essentiæ, & à statu beatifico, cessaret etiam in illo gratia Sanctificans quoad modum consummationis, quantumuis defacto hunc modum durante beatitudinis statu habuisset.

De Adorat. Christi Dom.

g. V.

Soluuntur Argumenta aduersus primam assertionem.

46. **C**ontra primam partem nostræ primæ assertionis pugnare videtur sententia afferentium, Christum Dominum ultra sanctitatem accidentalem gratiæ habitualis fuisse sanctum, etiam per gratiam Unionis, qui est communis sensus Sanctorum Patrum, vt ostendit P. Suar. tomo 1. in 3 par. disp: 18. sec. 1. *P. Suar.* concl. 1. Verum hic dicendi modus, si rectè consideretur, ei, quod diximus nullatenus aduersatur: nam, loquuntur Sancti Patres, & Theologi cum ipsis de gratia Unionis adæquatè sumpta, atque adeo prout inuoluit terminū eiusdem Unionis, qui vtique est Persona Verbi, à qua indubitatum est Christi humanitatem sanctificari, imo & intrinsecè per eius terminationem Deificari; ceterū nos loquuti sumus de vniōne hypostatica, vt præscindente à Persona Diuina, quam vnit, adeoque vt præcisè est modus substancialis creatus, tenens se ex parte humanitatis; de quo, vt constat, est sati diuersa ratio. Adhuc tamen loquendo de hoc modo cum præcisione accepto ostendi potest, ipsum etiam sub tali præcisione importare sanctitatem moralem, dicentem ex sua præcisa ratione repugnantiam, cum peccato, sicut & gratia habitualis, & accidentalis ex se ipsa, ac præscindendo ab omnibus alijs eandem repugnantiam affert. In hunc ergo modum primò argui potest.

Hic modus Unionis ratione suæ præcisæ creatæ, & modalis entitatis superat gratiam' sanctificantem accidentalem in perfectione essentiali,

I.

sed

sed gratia sanctificans accidentalis dicit sanctitatem moralem, ergo eandem dicet modus ille creatus, & substantialis vniōnis hypostaticę, etiam cum præcisione sèpè dicta sumptus. Maior suadetur, quia predictus modus, quantumuis cum præcisione sumatur, spectat ad ordinem hypostaticum, qui videtur omnino altior, ac nobilior, quam ordo supranaturalis dumtaxat, ad quem gratia sanctificans, saltem essentialiter sumpta spectat. Minor probatione non indiget. Consequentia suadetur, quia ea perfectio videtur excellentior, quæ simul fuerit sanctitas physica, & moralis, quam ea, quæ dumtaxat est sanctitas physica; si ergo modus hypostaticæ vniōnis etiam cum præcisione sumptus est gratia sanctificante excellentior, concedenda illi erit utraque sanctitas, vt re vera cōceditur gratiæ sanctificanti; adeoque erit adorabilis, ea adoratione, qua colimus perfectiones supernaturales moraliter sanctas.

Confirmatur. Per vniōnem hypostaticam, quantumuis cum præcisione sumatur, Persona Diuina essentialiter sancta communicata est humanitati, ergo eiusmodi vniō secundum se, ac præcisè accepta, debet esse nedum physicè, verum etiam moraliter sancta. Antecedens constat, quia ea vniō omnino ratione sui vnit Personam Diuinam cum humanitate: cùm enim sit essentiale exercitium vniendi, vtique ratione sui id præstat. Consequentia suadetur nam attingit Personam Diuinam non modo ut physicè, verum etiam, ut moraliter sanctam sanctitate increata, adeoque ab illa tanquam à termino formaliter inspecto specificatur; vnde utramque sanctitatē in se habebit, sicut & terminus, quem respicit essentialiter, utramque habet, & propterea,

eam habens vnitur, & consequenter specificat: quicquid enim habet terminus, vt formaliter specificans, communicat ei, quod ab ipso speciem desumit.

Respondetur ad argumentum distinguendo maiorem, & physicè loquendo pro nunc conceditur, moraliter loquendo negatur: deinde concessa minori negatur consequentia. Ad probationem eiusdem majoris dicitur, munus vniōnis hypostaticæ cum præcisione accepta sistere omnino in ordine physico, nec illius proprium esse rectificare voluntatem in ordine ad finem ultimum, nec præcisè ratione sui dicere repugnantiam cum eius deordinatione orta ex peccato: quamvis hæc omnia dicat ratione termini, quem eidem humanitati vnit. Et declarari hoc ipsum posset exemplo vniōnis, qua mediante ipsamet gratia sanctificans vnitur cum anima rationali: eiusmodi enim vniō, vt præscindens à termino, nempè à gratia sanctificante, quam vnit, vtique nec sanctificat moraliter; atque adeo si per impossibile ponetur à parte rei talis vniō, vt à nobis præscinditur, vtique ratione illius anima moraliter non reddetur ullo modo formaliter moraliter sancta: Non dissimiliter in præsentia, cum sit eadem paritatis ratio.

47. Sed urgebis. Visio beata hoc ipso quod sit actualis coniunctio intellectus Beati cum essentia Diuina gerente munus Verbi, nedum ratione termini, quem vnit, verum etiam omnino ratione sui, ac præscindendo à termino sanctificat moraliter, cum dicat repugnantiam cum peccato mortali, ergo idem dicendum de vniōne etiam, vt præscindente à termino, quem vnit. Respondetur, quod etiam loquendo de visione beata, vt præscindente à præsupposita gratia sanctificante,

te, & à termino quem vnit, vtique non est propriè loquendo forma sanctificans; etenim solummodo silit in intellectu speculatiuo per se primo, & secundariò in intellectu practico, in quo non existit forma sanctificans. Adhuc tamen non est paritas: nam visio beata prot secundariò ad intellectum practicum se extendit: eo quia est eminenter speculatiua, & practica habet omnino ratione sui dirigerę voluntatem in ordine ad ultimum finem; id enim est omnino proprium practicæ cognitionis: qua propter vi huius directionis ingreditur ordinem moralē, atque adeò aliquo modo initiat sanctitatem formalem, & moralē, cuius est, mediante charitate omnino formaliter, & completere eandem dirigere voluntatem. Vnde & notanter diximus propriè loquendo non esse moralē sanctitatem. Diximus rursus, cum distinximus antecedens argumenti, *pro nunc conceditur*. Propterea, quæ infrā dicentur, cum soluemus argumenta aduersus secundam nostram assertionem.

Ad confirmationem conceditur antecedens, & negatur consequentia, ad cuius probationem dicitur, quod etiam si ea vno ratione sui vniat personam Diuinam secundum utramque sanctitatem essentialiter in ea contentam, adhuc tamen utramque hanc rationem solummodo physicè attingit, nam vnitius attingere sanctitatem moralē, etiā quid physicum est: quod constat ex adducto exemplo vnionis accidentalis, vi cuius gratia sanctificans vnitur anima, etiam secundum, quod moraliter sanctificat. Nec verum est, quod quicquid reperitur in termino specificante, debeat reperiri absolute loquendo in eo, quod specificatur, sed dumtaxat reperiri debet in eo, quod specificatur sub ea

De Adorat. Christi Domini.

formalissima ratione, sub qua specificatiuum respicit, & quia sanctitas moralis sub formalissima ratione vniuersaliter dicit quid spectans ad ordinem physicum, dicit enim seipsum, vt causabilem, seu sub ratione termini trahibilis ad rem terminatam, quod physicum quid est, idcirco non sequitur sanctitatem moralem ponendam in vniione cum præcisione sèpè dicta considerata. Et sanè posse ens morale, atque adeo, & morale sanctitatem physico modo attingit constat; nam gratia sanctificans, cum attingitur à Sacrementis vt eleuatis per supernaturem perfectionem, vtique physicè solum attingitur, cum in Sacrementis virtus supernaturalis, qua eleuantur pertineat dumtaxat ad ordinem physicum supernaturem.

§. V I.

Soluuntur Argumenta opposita secundæ nostræ assertiōni.

48. Secundæ assertiōni à nobis positæ aduersatur opinio P. Suar: dicentis Humanitati Christi, vt affecta vniione hypostatica præscindenti à Persona Verbi deberi adorationem Latriæ, non quidem perfectam, & supremam, sed dumtaxat secundariam, & minus perfectam, & hunc actum afferit elicitiū procedere ab eodem Religiosis habitu, à quo suprema, ac omnino primaria Latria elicetur. Præcipuum autem pro hoc dicendi modo fundamentum, quo vtitur citatus Author est: Quia quantumuis humanitas vt affecta vniione præscindatur à Persona Verbi, fieri tamen nequit, vt eadem Persona Verbi saltem, vt terminus extrinsecus non importetur, ergo humanitas, vt affecta modo dicto vniione

P. Suar.

postulat secundariam saltem Latrīę adorationem. Antecedens probatione non indiget. Consequentia suadetur, quia posito, quod modo dicto importetur Persona Verbi, ex hac in humanitatem cum vnione retoquetur dignitas quædam in-creatæ extrinseca, & vi huius optime exhiberi potest ipsi secundaria hæc latrīa, sicuti primaria exhibetur Deo, cui omnino intrinseca, imo & essentialis est in-creatæ excellētia.

Confirmat hoc ipsum; nam amor, quo diligere debemus Sanctam illam Humanitatem, ut prædicta vnione affectam, debet esse excellentior quocumque amore exhibito puræ creaturæ quantumuis sanctæ, ergo etiam adoratio omnino debet esse supra quamcumque aliam adorationem exhibitam puræ creaturæ, etiam excellentissima sanctitate fulgentis atque adeò debet esse Latrīa secundaria, quam nulli alteri exhibemus. Idque magis explicat exemplo laudis eidem humanitati, & vnioni debitæ, quæ excellentior esse debet quacumque laude cuilibet puræ, ac sanctæ creaturæ exhibita.

Respondetur ad argumentum ex dictis pro impugnatione huius opinionis concedendo antecedens, & negando consequentiam ad cuius probationem dicitur, excellentiam in-creatam extrinsecam insufficien-tem esse ad terminandam, etiam secundariam Latrīę adorationem: nam si esset sufficiens, hoc ipsum dicendum esset de Beatissima Virgine, ut est Mater Christi, nam etiam ipsa hoc modo sumpta dicit hanc ex- trinsecam, & in-creatam excellētiam, cum sub omni præcisione importet, ut terminum extrinsecum Personam Verbi. Imò hoc ipsum dicendum esset de quolibet Sancto prout affecto clara visione Dei, cum

eiusmodi visio, quantumuis præscin-datur, semper importet essentiam Diuinam ut terminum extrinsecum, à quo retorquetur etiam in ipsam excellentia increata Diuinæ essen-tiæ: non sufficit ergo hæc extrinse-ca tantum, & increata excellentia. Vide etiam quæ superius diximus, in hoc eodem dubio cum impugna- uimus responsonem nostræ rationi traditam.

Ad Confirmationem iam constat etiam ex dictis, & melius constabit ex dicendis, non esse eandem ratio-nem de amore Charitatis, ac sit de Religione. Deinde adhuc non improbabiliter dici posset, dari actum quendam amoris, quocumque actu Charitatis, seu primario, seu secun-dario inferiorem, excedentem tam-en omnem amorem cuilibet puræ, & Sanctæ Creaturæ exhibitum, qui omnino respondeat actui adoratio-nis hyperdulie mediante eodem modo inter quemicumque Latrīæ, & Dulie actum, ut explicatum est. Et hunc actum amoris proprium om-nino esse eorum, quæ dicunt Sanctitatem ordinis hypostatici. Id enim expressè docuit S. Tho: 2. 2. s. Tho: quæst. 103. art. 3. ad 2. cum ait. *Sunt tamen aliae amicitiae differentes à Charitate, secundum alias rationes, quibus homines amantur.* Ecce amo-rem, seu amicitias distingui secun-dum diuersas rationes in amato in-spectas: Vndè fit, quod sicut ea, quæ spectant ad ordinem hypostaticum dicunt peculiarē omnino amabilis, sicut, & adorabilitatis ra-tionem, ita possimus ponere omni-no singularem amoris actum respō-dentem adorationi Hyperdulie, ita vt sicuti per istum solum tendimus in ea, quæ dicunt ordinis hyposta-tici Sanctitatem: ita & per amorem. Per quod etiam constat ad id, quod de laude affertur.

49. Vrgebis tamen; Human-i-tati

tati Christi ut modo dicto affectæ vnione videtur omnino excellentior exhibenda adoratio, quam exhibeatur Beatissimæ Virgini, sed huic tribuitur adoratio hyperdulia, ergo prædictæ humanitati sic sumptæ tribuenda est secundaria Latria, quæ est hyperdulia excellentior. Maior suadetur, quia ea humanitas simul cum vnione strictius omnino colligatur cum Persona Verbi, quam Beatissima Virgo, hæc enim purè extrinsecè terminatur à Persona Verbi, secundum quod est Mater Christi: secus prædicta humanitas, ut dicit vnionem, nam quamuis ut præcisa à Persona Verbi, ab ista solū extrinsecè terminetur, absolutè tamen, & à parte rei intrinsecè per eandem Verbi Personā terminatur, ut est per se notum: uidens est autem, hanc colligationem omnino maiorem esse, quam sit purè extrinseca, qua dumtaxat gaudet Beatissima Virgo, adeoque importare singularem omnino excellentiam, singulare prorsus adoratione digna. Minor, & consequentia sunt manifestæ.

Respondetur negando maiorem, ad cuius probationem dicitur, dari quidem prædictum excessum quoad intrinsecam magis colligationem, ut optimè in obiectione conuincitur: adhuc tamen eiusmodi excessus de materiali se habet, vndè propter ipsum non est constituenda adoratio superior Hyperdulia. Pro cuius intelligentia sciendum, rationem, formalem terminandi adorationem hyperdulia, ut talem esse excellentiam ordinis hypostatici simpliciter, & intrinsecè creatam, atque adeò respectu huius formalissimæ rationis omnino de materiali se habet prædictus excessus. Ratio huius videtur esse, quia quicumque Latræ actus dicit totalem submissiōnem adorantis respectu adorati, &

quidem quantum ad primarium, eius actum id nemo negat: quoad secundarium etiam constat, quia in illo oportet saluari rationem propriam, & formalem inspectam ab actu primario, cum tota ratio inspectandi obiectum secundarium desumatur à primario, adeoque ab eius formali ratione, quam nec habitus, nec potentia potest in quocumque prorsus actu pretermittere, cum illa sit potentia, vel habitus proprium, & adæquatum specificatiuum; & sanè quoad actum secundarium minus propriè talem de quo supra num. 36. id est manifestum, cum iste re vera sit primarius actus ut extensus absque villa intrinseca additione ab obiectum secundariū. Quantum verò ad actum secundarium rigorosè acceptum, de quo supra num. 37. id etiam liquet discurrendo per omnes, in quibus semper datur dependentia à ratione formali obiecti primarij radicaller concurrente: vndè & electio mediorum pendet tanquam à ratione specificatiua radicali à bonitate finis: idemq; contingit in amore proximi ut tali: oportet igitur formalissimam hanc rationem totalis subiectionis adorantis ad datum in omni Latræ actu, siue primarius fuerit, siue secundarius, elucere.

50. Porro hæc totalis subiectio latræ propria non debetur nisi excellentiæ increatae intrinsecè tali, nā extrinseca, & increata non sufficit, ut iam ostendimus. Ex quo fit ut inter hæc duo formalissima obiecta, increata excellentia intrinseca, & creata intrinseca nullum cadat medium, & consequenter sicut formalissima ratio à Latræ actu, quicumq; ille fuerit, inspecta sit increata, & intrinseca excellentia: ita formalissima ratio excellētiæ ab Hyperdulia, quæ immediate post Latrā sequitur

tur inspecta sit excellentia creata ordinis hypostatici; hinc respectu huius magis & minus contentū intra ordinem creatum de materiali proflus se habebit. Sicut etiam vide est in Dulie adoratione, respetu cuius formalissima ratio est excellentia Sanctitatis creatæ, ut præcisè pertinentis ad ordinem supernaturalē, in qua diuersi etiā excessus secundum magis & minus, non variant rationem formalem Dulie propriam, vndē siue gratia sanctificans sit coniuncta cum visione beata, adeoque sit consummata, siue non, qui sunt non leues excessus, semper nihilominus perseverat eadē formalissima ratio terminandi. Non dissimiliter ergo de Hyperdulia phylosophandum, cuius formalissima ratio obiectua est excellentia creata hypostatici ordinis. Hinc videbis P. Suar. tomo 2. in 3. disp. 22. sec. 3. vagantem per plures alias adorationes ultra tres enumeratas, quod contingit, quia iuxta hos diuersos excessus voluit adoracionem magis, aut minus eminentem constituere, quod est multiplicare actus virtutum absque sufficienti necessitate, ac fundamento: vndē nos satius iudicauimus iuxta tripli-cem iam adductum gradum adorationes distinguere, & maiorem exuperantiam, aut defectum tanquam materiales rationes non considerare in ordine ad eosdem gradus formaliter acceptos, & consequenter magis certam, minusque vagam stabilire doctrinam.

51. Adhuc tamen dissimulanda hic non est obiectio, quæ aduersus nunc traditam doctrinam vrget. Hyperdulia adoratio non videtur proportionata humanitati, vt dicenti unionem hypostaticam cum præcisione sumptam, ergo exhibenda est illi altior adoratio, adeoque saltem Latria secundaria. Antecedens pro-

batur, quia eiusmodi adoratio est dumtaxat in ordine supernaturali: at unio hypostatica superat ordinem inerè supernaturalem, cum ordo hypostaticus purè supernaturali sit superior, & in isto prædicta unio supremum omnino locum obtineat, quæ autem sunt superioris ordinis, non dicunt proportionem cum ijs, quæ sunt ordinis inferioris. Consequentia quoad vtramque partem constat.

Respondetur negando antecedens, ad cuius probationem forte dici posset, ordinem hypostaticum non esse simpliciter superiorem ordine supernaturali in tota sua latitudine accepto. Verum eo gratis concessio nihil ex probatione consequentiae conuincitur aduersus nostram doctrinam: cum enim quicumque Latræ actus, hoc ipso quod totalem dicat subiectionem adorantis respectu Personæ adoratæ, exigat pro sua ratione formalis excellentiam intrinsecè incretam: quæ nullatenus in hypostatica unione cum præcisione sumpta inuenitur, sufficiet omnino pro illa adoratio Hyperdulia: quæ etsi in esse entis non dicat proportionem cum prædicta unione, eam tamen dicit in esse habitus, & obiecti: & haec dumtaxat requiritur; vt constat in Religione, quæ est ordinis purè supernaturalis, & creati, & Diuinam attingit excellentiam, vt omnes fatentur.

52. Demum dices: possibilis est actus secundarius Latræ, siue omnino propriè, siue minus propriè, iuxta superius dicta sumatur; vndē etiam possibile erit obiectum, quod per illum attingatur, non videtur autem assignabile aliud obiectum, nisi humanitas prædicta unione affecta, nam supra ipsam immediatè datur excellentia increata, & intrinseca, quæ adorabilis est per primarium, non vero per secundarium

darium Latriæ actum, vt ex se videatur manifestum.

Respondeatur concedendo possibilatem actus secundarij, negando tamen non posse assignari ipsi aliud obiectum: hoc autem dicimus esse Personas Diuinæ, secundum quod exprimunt formalissimum esse Ad. Et ratio huius est; quia, cum expressus conceptus eiusdem Ad non dicat perfectionem, nec imperfectionem, sed non perfectionem, vt satis communiter docent Discipuli D.Tho. in tract.de Trinit. ideo formalissimum ad earundem relationum est adorabile solum ratione Diuinæ essentiæ per modum transcendentis inclusæ in Diuinis relationibus, atque adeo secundarium obiectum supremæ adorationis Latriæ est idem Ad formalissimè sumptum: hoc ipso enim quod non dicat perfectionem nisi ratione Diuinæ Essentiæ, vtique nec dicet adorabilitatem Latriæ nisi ratione illius, cum ratio adorandi se tenens ex parte adorati sit eius excellentia, seu perfectio. Quod posset explicari exemplo cognitionis, & amoris; nam propter eandem omnino rationem non est amabile, nec cognoscibile idem esse Ad nisi secundariò, & ratione Diuinæ Essentiæ, vt docuerunt quoad cognitionem N.Salmant. tract. de Visione Dei disp. 7. num.26. & alibi. Ita ergo quoad præsens. Et ex hoc patet ad probationem, non enim quocumque increatum dicit rationem formalem terminandi adorationem supremam Latriæ quoad actum primarium, sed dumtaxat illud increatum, quod ex vi suæ propriæ lineæ dicit perfectionem, quam formalissimum esse. Ad, vt nunc supponimus, non dicit, seu non exprimit,

§. VIII.

Soluuntur Argumenta contra tertiam assertionem, & deducitur quid dicendum de Adoratione Eucharistie.

53. **I**n tertiam assertionem militant primò erronea opinio Vvicleffi, qui vt refert N.Vvaldensis lib.1. doctr. fid. antiquit. art.3. cap. 44. asseruit, Christi humanitatem etiam à Verbo Diuino dimissam adorandam esse supra prorsus Latriæ adoratione, ea videlicet, qua iuxta scripturā adorandus est Deus. Secundò sententia P. Suar. qui ^{N.Vval.} tomo 1. in 3. par. disp. 53. sec. 3. in fine docuit, humanitatem sic à Verbo separatam, & Sanctam adorandam fore adoratione Hyperdulie. Fundamentum Vvicleffi est. Supposito opere Redemptionis facti sumus serui Christi, qui nos per opera Redemptionis sibi emit, sed hanc dignitatem retineret humanitas, quamuis dimissa à verbo subsisteret per creatam, & humanam subsistentiam, ergo etiam in euentu, quo dimitteretur à Verbo, adoranda esset supra Latriæ adoratione. Maior probari, & explicari potest in hunc modum; nam sicut per creationem sumus serui Dei creatoris, ita & à fortiori per Redemptiōnem videtur, quod esse debeamus serui Redemptoris, excellentius enim est redimi, quam creari, asserit siquidem Ecclesia in secreta oratione Missæ: *Dens, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, & mirabilius reformasti; mirabilius est ergo reformari, redimi, quam formari, seu condi, adeoque & excellentius illud, quam*

72 DE ADORAT. CHRISTI DOMINI.

quam istud. Imò vt dicitur in benedictione Cerei Paschalis. *Nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuerit:* ex quo fit excellentius esse redemptionis, quam creationis beneficium; quare ratione beneficij creationis tenemur obligatione seruendi Deo Creatori, eumque collendi per Latriam, à fortiori eadem obligatione adstringemur erga Christum Redemptorem, augetur enim obligatio ex magnitudine collati beneficij. Minor suadetur, quia etiam ea facta dimissione verum esset, talem humanitatem fuisse formale principium operum redemptionis: vnde & perseverareret in nobis eadem obligatio seruitutis respectu illius.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem, simpliciter negatur, secundum quid conceditur, ac negatur consequentia. Ad probationem vero maioris, quatenus contra hoc potest retorqueri, dicendum, quod concessum beneficium Redemptionis, maius esse Creationis beneficio, de quo nihil modo: adhuc tamen non sequitur, quod intendit argumentum. Pro quo sciendum, quod Christus vt causa humanæ redemptionis tripliciter considerari potest. Primo vt causa principalis physica; Secundo vt causa principalis moralis; Tertio vt causa physica instrumentalis. Si primo modo consideretur, vtique id non habet, nisi secundum quod est Deus, solus enim Deus est principalis causa Physica gratiæ redemptiæ, ita vt nulli creature possit competere, vt dici solet in materia de gratia. Si vero sumatur secundo modo, vtique principium formale operum, quibus Christus promeruit nobis gratiæ redemptiæ, est illius humana natura: non tamen potuisset eiusmodi formale principium principaliter promereri nobis

talem gratiam, nisi actu coniunctum fuisset cum Persona Verbi: Idcirco enim potuit sic nobis vt principalis causa meritoria gratiam redemptiæ promereri, quatenus erat caput, ratio autem capitis humani generis non competit Christo ratione humanæ naturæ præcisè, sed ratione illius, vt connotantis Personam Verbi, tanquam sui intrinsecum terminum. De quo in tractatu de Incarnatione. Tertiò autem modo vtique causare gratiam redemptiæ competit Humanitati Christi, ea enim assumpta est, vt instrumentum, per quod executioni mandata est humani generis Redemptio.

54. Hoc posito manifestè apparet in humanitate dimissa non relinquere rationem cause principalis Physicae, nec Principalis meritorie redemptionis hominum: sed ad summum rationem instrumenti: imò hanc cum minori satis excellētia; siquidē nunc Sacratissima Humanitas Christi ratione coniunctionis ad Verbi Personam, non est quomodocumque instrumentum, sed instrumentum coniunctum Diuinæ Personæ, atque adeò excellentiori modo, quam supposita dimissione, cum per eam deperderet coniunctionem, ac propinquitatem ad Personam Diuinā, & consequenter non modicum excellentiæ, ac dignitatis amitteret. Hinc constat, humanitati illi dimissæ nullatenus deberi adorationem supremam Latriæ, quia ad summum secundum quid homines sunt illius serui, cum obligatio seruitutis sim. pliciter imò, & totalis, qualis requiritur ad adorationem Latriæ, non confurgat respectu causæ instrumentalis præstiti beneficij; ex eo quod instrumentum solummodo secundum quid causet effectum. Quenam autem adoratio debeatur illi ex hoc quod fuerit causa principalis

cipalis meritoria, cùm Personæ Diuinæ erat coniuncta, commodius dicetur infra cum de reliquiarum adoratione erit sermo.

Fundamentum sententiae P. Suar. solum posset esse; quia ea humanitas retineret eadem dona gratiæ, sanctificantis: Sed quia, vt iam ostendimus, eadem dona non retineret, idcirco nihil inde conuincit. Posset autem magis declarari, quomodo in Christi humanitate à Verbo dimissa nō sit necessarium remanere eadem dona gratiæ, quæ habuit in statu coniunctionis ad Verbum: ex eo quod, vt docet S. Tho:3. par. quæst. 19. art. 3. Christus, Dominus non habuit gratiam sanctificantem per meritum: si enim eam per meritum habuisset, non posset imminui, sed tota deberetur ratione meriti persistentis in Diuina acceptatione: secus autem contingit hoc ipso quod illam habuerit vt proprietatem, seu quasi proprietatem, ac per naturalem sequelam; nam variato eius principio per dimissionem humanitatis, mirum non est eam imminui, solumque relinquere ut omnino conuenientem cum gratia sanctificante puri hominis iusti; vt explicatum est.

55. Dices: Posito quod nunc Verbum Diuinum dimitteret humanitatem suam, iam quoad corpus glorificatam, omnino relinqueretur in illa eadem prorsus gloria corporis, ergo etiam & eadem gratia, & gloria essentialis, omniaque dona illas comitantia, cuius oppositum mox diximus. Antecedens suadetur ex doctrina nunc tradita; nam Christus Dominus reuera gloriam illam corporis sibi promeruit, adeoque humanitate dimissa debet relinquere. Consequentia suadetur nam gloria corporis omnino respondere debet animæ gloriæ, cùm titulo connaturalitatis

De Adorat. Christi Domini,

huic debeatur, vt dicitur in materia de beatitudine.

Respondeatur concedendo antecedens, & negando consequentiam: & ratio negationis est: quia respectu gloriæ corporis adhuc perseueraret causa illam conseruans, nempe meritum præcedens Christi existens in Diuina acceptatione: at respectu gratiæ, & consequenter gloriæ desineret causa conseruans, nempe unio ad Personam Verbi, sicuti enim intuitu huius primò data fuit, sic & ab ista in sui conseruatione dependet. Hac igitur per absolutam Dei potentiam cessante, mirum non est, eam saltem minui: imò quia nihil illius data est ex merito, quantum est ex se tota desineret esse. Ad probationem consequentiæ dicitur, quod supposita ea dimissione, quæ solum continget per absolutam Dei potentiam, per hanc eandem eadem gloria corporis conseruaretur independens à gloria animæ, ab ista enim essentia liter illa non pendet, sed dumtaxat iuxta cursum ordinarium.

56. Ex hactenus dictis deducitur, quid dicendum de Adoratione Sacramenti Eucharistiae. Pro quo breuiter aduertendum, quod cùm Sacra menta nouæ legis sint sensibilia signa, vtique eiusmodi Sacramentum formaliter, seu essentialiter situm est in accidentibus panis, & vini, vt connotantibus corpus, & Sanguinem Christi Domini, unde corpus, & Sanguis Christi importantur in obliquo: accidentia vero prædicta in recto: & ex hoc recto, & obliquo adæquate constituitur eiusmodi Sacramentum, vt in materia de Eucharistia Thomistæ docent. Hoc posito liquet, quod si eiusmodi accidentia sumantur ut coniuncta corpori, & Sanguini Christi, tunc coadordanter coadoratione secundaria latræ ad coado-

K rationem

rationem illam, qua Corpus Christi coadoratur ad adorationem totius Christi. Quod percipietur notando, quod præcisè ex vi verborum consecrationis ponitur sub ijs speciebus Sacramentalibus corpus, & Sanguis Christi, id enim formallissimè significant verba consecrationis, ut est manifestum; rursus ex vi eorundem verborum at non absolutè, sed concomitanter dumtaxat ponitur sub illis Christi Diuinitas. De quo suo loco. Ex quo fit, quod sicut caro, & sanguis Christi coadorantur primariò, ad adorationem eiusdem Christi: ita prædicta accidentia, quæ immediate solummodo vniuntur corpori & Sanguini Christi, & his mediantibus eius Diuinæ Personæ nequeant omnino primariò, seu immediatè coadorari ad adorationem Christi, sed tantum mediatè, atque adeò supponendo coadorationem corporis, & Sanguinis Christi: & propter hoc diximus, coadorari secundariò per latram. Si verò sumantur vna cum modo vnionis, quo vniuntur cum Corpore, & Sanguine Christi, prout prædictus vnionis modus præscindit à termino quem vnit, adeoque ipsum solummodo extrinsecè importat, coadorantur per hyperduliam, vel etiam absolutè lo-

quendo adorantur per hyperduliam. Pro cuius luce nota quod Corpus Christi terminans in obliquo vunionem specierum, adeoque extrinsecè, supposita præcisione, quam diximus, sumi potest dupliciter primo absolutè, ac prout est à parte rei, & hoc modo dicit Personam. Diuinam Christi vt terminum intrinsecum humanitatis. Secundo sumi potest vt dicens vunionem hypostaticam præscendentem à Persona Verbi, vt sèpè diximus. Si ergo primò modo sumatur, vtique accidentia absolutè loquendo adorantur per hyperduliam, cum in eorum termino, à quo præscindunt, inuoluatur Persona Verbi: nam in hac consideratione est eadem prorsus ratio, ac de humanitate, & ynione vt præscendentibus à Persona eiusdem Verbi: quas diximus adorari per hyperduliam. Si verò secundo modo sumatur, iam supponunt, terminum adorari per hyperduliam, vnde ad adorationem huius hyperduliae coadorantur primariò. Et horum omnium ratio est; quia prædicta accidentia ratione termini, quem in obliquo important, suo modo sunt ordinis hypostatici, vt ex se manifestum apparet. Quare in hoc non amplius immorandum duximus,



DISPUTATIO III.

DE ADORATIONE SANCTORVM, & peculiariter Sanctissimæ VIRGINIS.



APITI inferiora membra coniungere congruētissimum est; inde enim totius Corporis venusta pulchritudo confurgit: visis ergo ijs, quæ ad Christi Adorationem pertinebant, ad ea, quæ Adorationis Sanctorum sunt propria inuestiganda descendimus. Et quia inter Sanctos primum obtinet locum Sanctissima Dei Genitrix, potissimum de illa in hac disputatione erit sermo habendus: quia tamen est pura creatura, plura habet cum alijs Sanctis communia, vnde peculiarem pro illa non instituimus disputationem: imò quicquid in ea dicemus, de Sanctis hominibus erit pariter, & de Sanctis Angelis intelligentum; et enim quoad supernaturalem Sanctitatem eadem ratio.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum liceat Sanctis hominibus cultum Adorationis exhibere?



OMMVNIS est hæc difficultas, & Sanctis hominibus, & Angelis, ac demum Beatissimæ semper Virgini: atque adeò oportuit in limine huius disputationis præsens dubium ad examen vocare, eo vel maximè quia quæstio quoad an est reliquis alijs est præmittenda, quando circa illam dubitatio aliqua potest suboriri: quæ in præsenti non absolutè, sed dumtaxat quantum ad eius honestatem

De Adorat. Sanctor. & SS. Virg.

moueri potest; propter heretorum errores, de quibus infra.

§. I.

Poniur unica conclusio, & auctoritate, ac ratione probatur.

1. **D**icendum est: omnino licetum, ac congruentissimum est Sanctos cultu adorationis honore. Hæc est veritas Catholica, quam omnes Theologi tinentur. Antequam propositam assertionem auctoritate, & ratione probemus, oportet ad eius intelligentiam, & explicationem aduertere, excellentiam, ratione cuius Sancti homines

K 2 sunt

sunt adoratione digni , considerari posse dupliciter ; primò ita, vt actu referatur in Deum fontem eiusdem excellentiae , & hoc modo adorationis motus non sifst nec proximè , nec omnino in Sanctis, sed consideratur talis excellentia vt faciens quid vnum cum eo , à quo participatur , adeoque cum excellentia Diuina . Secundo ita vt actu eiusmodi Sanctorum excellentia non referatur in Diuinam , à qua participatur , sed sumatur vt propria Sanctorum , adeoque vt ponens in numero cum excellentia Diuina , ad quam actu non refertur: & hoc modo adorationis motus sifst in excellentia Sanctorum, tanquam in ratione formaliter terminandi proxima , adeoque specificatiua illius , quamvis aliunde totum hoc in Diuinæ excellentiæ honorem retorqueatur . Eo fere modo quo quæcumq; moralis virtus specificatur adéquate à suo obiecto proximo , quamvis aliunde in finem Charitatis ordinetur, à quo tamen nullam desumit specificacionem . Accepimus hanc doctrinam ab Angelico Nostro Præceptore 2.-2. quæst. 103. art. 2. ad 3. vbi , vt distinguat actum Duliae , quo ut dicetur infra , Santos colimus , ab actu latræ , quam Deo exhibemus , sic ait. *Dicendum , quod motus , qui est in imaginem , in quantum est imago , refertur in id , cuius est imago . Non tamen omnis motus , qui est in imaginem , refertur in eam , in quantum est imago : & ideo quandoque est alius motus specie in imaginem , & motus in rem . Sic ergo dicendum est , quod honor vel subiectio Duliae respicit absoluè quandam hominis dignitatem . Licit ergo secundum illam dignitatem sit homo ad imaginem , vel similitudinem Dei , non tamen semper homo , quando reverentiam alteri exhibet refert hoc actu in Deum .*

2. Et sane si homo Sanctus ha-

bens in se Dei similitudinem per gratiam consideraretur formaliter vt actu relatus in suum prototypum , eadem adoratione adorari posset, ac Deus : tūm quia idem est motus in imaginem , & similitudinem , quæ imaginis perfectionem importat, ac sit in imaginatum; tuum quia similitudo vt reduplicatiuè tendens in prototypum , huius vicem gerit , atque adeo communem cum isto habet adorationem . Hinc Angelicus Præceptor 2.2. quæst. 84. ar. 1. ad 1. loquens de adoratione , quam Abraham , & Iosue exhibuerunt Angelis inquit. *Quamvis possit intelligi , s. Tho. quod adorauerunt adoratione latræ Deum , qui in Persona Angeli apparabat , & loquebatur . Ecce Angelum ut gerentem vices Dei apparetis , & loquentis in eius persona adorari eadem latræ , qua adoratur Deus .* De hoc igitur posteriori adorationis modo non est sermo in præsenti : sed dumtaxat de primo , quia iuxta primum dicendi modum est sermo de propria Sanctorum adoratione , altera enim nullo fere modo potest Sanctorum adoratio appellari . Eo vel maximè quia , cùm homo sit dominij capax , eius excellentia potest tagquam ipsius propria estimari , atque adeo adorationis motus potest in illa sistere , absque eo quod actu fiat transitus ad Diuinam : quod in rebus inanimatis viꝫ contingere potest ; quod melius ex infra dicendis innotescet . Hoc posito .

3. Probatur primo authoritate; nam Felix primus Summus Pontifex eam vna cum Romano Concilio sanciuit in sua secunda epistola Decretali . Idipsum statuit Concilium Gangrense conuocatum aduersus Eustachium Sebasciæ Episcopum ; canone enim 20. habentur hæc verba . *Si quis Sanctorum memorias contempnendas putauerit , ana-*
Felix
Pont.
Civil.
Gang.
themata

DISPVVTATIO III.

DVBIVM I.

77

Thema sit. Ultimo id decretum est in Concilio Tridentino sessio 25. Colligitur etiam satis aperte hæc veritas ex Sacra Scriptura. Nam Iosue 5. dicitur. *Apparuit ei Angelus in specie viri habens in manu gladium, cui dixit Iosue noster es, an aduersariorum? Et ille nequaquam, sed Princeps sum exercitus Domini. Continuò cecidit Iosue in terram, & f. Reg. pronus adorauit.* Amplius 1. Reg. 28.; cum enim mulier Pythonissa Samuelem suscitasset, ait Scriptura. *Et intellectus Saul quod Samuel esset, & inclinavit se super faciem suam in terra, & adorauit.* Non inuenitur autem in eadem Sacra Scriptura fuisse aliquando Saul de eiusmodi adoratione reprehensum, unde aperte constat, Sanctos vita funestos honestum esse adorare. Amplius Psalm. 138. dicitur; *Nimis honorificati sunt amici tui Deus.* Porro amicitia hominis ad Deum per gratiam Sanctificantem, & Charitatem habetur. Demum Io. 12. habetur. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Plura etiam alia adduci possent, quæ breuitatis causa omittuntur, & videri poterunt apud alios authores. Non adducimus etiam Sactorum Patrum authoritates, quorum quamplures referri possent: sed qui eas voluerit, legat Eminentis. Belar. lib. 1. de Sanctorum Beatitudine, cap. 13. Omnipotens etiam Catholicae hanc veritatem comprobat antiquissima prorsus traditio, quæ ab Apostolorum tempore ad nostram hanc usque ætatem perpetuo viguit. Addimus his omnibus Angelicum Præceptorem, qui non semel hanc eandem veritatem docuit. Primò in 3. distinct. 9. quæst. 1. art. 2. quæstiun. 5. ad 2. dicens. *Homines sunt imagines Dei per participationem sue bonitatis, facientem expressam similitudinem: & hoc dat rei*

bonitatem in se: & ideo ratione huius est res ipsa secundum se honoranda. Ibi autem apertissime loquitur de honore adorationis Sanctis Viris debito, de eo enim quæstiuncula illa, eiusque argumentum procedebat. Secundò id afferuit 2. 2. quæst. 84. art. 1. ad 1. his verbis *Secundum reverentiam debitam creaturæ excellenti Abraham adorauit Angelos, & etiam Iosue.* Viderietiam potest eadem 2. 2. quæst. 103. & alibi.

4. Probatur nunc ratione de sumpta ex doctrina S. Tho: Congruentissimum est creaturis rationalibus heroico quodam modo participantibus Diuinam excellentiam ut tales, cultum adorationis exhibere, atqui Sancti homines heroico modo Diuinam excellentiam ut tales participant, ergo congruentissimum omnino est creaturis rationalibus Sanctis cultum adorationis exhibere. Maior probatur; nam sicut Diuinæ excellentiae in suo fonte, & plenitudine existenti supremum prorsus adorationis actum exhibemus; ita & eidem excellentiae, ut perfecto, heroicoque modo in creaturis rationalibus Sanctis reperta, omnino rationi consentaneum est, cultum adorationis eidem proportionatum exhibere; & dicimus heroico, ac perfecto modo; quia Sanctorum supernaturalis excellentia non qualitercumque, sed in tali gradu Dei sanctitatem participat, ut constabit ex dicendis infra de Sanctorum canonizatione. Tum, etiam quia apud omnes etiam maximè Barbaras nationes viguit semper consuetudo, ut civili politicae adoratione honorentur iij, qui seu scientia, seu dignitate regiminis, seu alia consimili excellentia reliquis preeminent: cur ergo non erit honestati maxime consentaneum, rationales creature Diuina excellentia

S. Tho.

Ientia præditas proportionato adorationis cultu venerari? Eo vel maximè quia rationalis creatura considerari potest ut spectans ad duplum Rempublicam, quarum una est ciuilis & humana; altera vero supernaturalis, & superioris ordinis: & quoad primam constituitur concius aliorum secundum quod spectat ad ordinem naturalem; quantum vero ad alteram est, vt inquit Apostolus ad Ephesios 2. Concius Sanctorum, ac Domestica Dei; quare sicut ut pertinens ad primam illam, & inferiorem rempublicam summa cum honestate præcellentibus conciibus politicum, & humanum exhibit adorationis cultum: ita eodem cum decore honestatis id præstabit, secundum quod ad excellentiorem rempublicam pertinet, neque vlla videtur posse disparitatis ratio excogitari: imo quo excellentia Diuina participata est nobilior, ita magis consonè ad eius celsitudinem adorationis actum suum accommodatum conditioni ex poscer.

Minor suadetur; nam sanctitas creature rationalis nedium quatenus supernaturalis participat excellentiam, ac perfectionem Diuinam secundum modum proprium, quo est in Deo: id enim omni perfectio- ni supernaturali essentialiter competit, ut alibi probatum est: verum etiam quoad modum heroici gradus valde eminentissimæ Dei Sanctitati assimilatur: adeoque de creaturis rationalibus sanctis maiori cum proprietate verum est, quod Psalmus dicitur Psalm. 81. *Ego dixi dij estis, & filij Excelsi omnes.* Heroes enim semidei putabantur. Tum etiam, quia potissimum hic est sermo de viris Sanctis existentibus in termino, quibus immobiliter conuenit Sanctitatis, seu heroicæ celsitudinis perfectio: adeoque & modo quo-

dam Diuino, cum Deus omnino sit immutabilis. Demum quia harum creaturarum rationalium Sanctitas est consummata, id est visioni Beatae coniuncta, visio autem beata ratione essentiae Diuinæ gerentis munus speciei impressæ, & expressæ reddit Beatos intelligibiliter Deos, ex hoc quod cum eorum intellectu, ut formaliter prætinente ad ordinem intelligibilem identificetur: ut ostensum est in tractatu De Visione Dei: est autem haec excellentia sa-
tis Diuina, cum dicat infinitatem quandam, ut docuit Angelicus Doctor p. p. quæst. 25. art. 7, ad 4. euidens est autem, quandam hanc infinitatem satis perfectè infinitam omnino Dei perfectionem emulari.

5. Confirmatur & declaratur magis ratio adducta. Pro quo nota rationem formalem terminandi adorationem esse personam ut excellenter excellentia dominij, loquimur enim nunc de adoratione Dulie, nam haec Sanctis debetur: & de ea loquens S. Doctor 2. 2. quæst. 103. art. 3. dixit quod *Dulia debitam seruitutem exhibet homini dominanti*: Adeoque etiam supra dicebamus, Deo ut supremo Domino deberi Duliam eminenter talem, seu præcontentam in latria. Secundò notanda est doctrina, quam tradit Angelicus Praeceptor exponens illud Apostoli ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* Apolloni ubi lec. 6. in principio habet hec verba. *Quicquid fit in mundo, etiam si malum fit, cedit in bonum uniuersi;* quia ut Augus. dicit in Enchirid. Deus adeo bonus est ut nihil mali esse permetteret, nisi esset adeo potens, quod ex quolibet malo posset eligerre aliquid bonum; non autem semper cedit malum in bonum eius, in quo est quia sicut corruptio unius animalis cedit quidem in bonum uniuersi, in qua-
tum

tum per corruptionem unius generatur aliud: non tamen in bonum eius, quod corruptitur: quia bonum universi est à Deo volitum secundum se, & ad ipsum ordinantur omnes partes uniuersi. Et eadem ratio esse videtur circa ordinem nobilissimarum partium ad alias partes, quia malum aliarum partium ordinatur ad bonum nobilissimarum: sed quicquid sit circa nobilissimas partes non ordinatur nisi in bonum ipsarum: quia de ijs propter secura habetur, de alijs autem propter ipsas: sicut medicus infirmitatem pedis sustinet ut curet caput. Inter omnes autem partes uniuersi excellunt Sancti Dei ad quorum quemlibet pertinet quod dicitur Matib. 25. super omnia bona sua constituet eum, & ideo quicquid accidit circa ipsos, vel alias res, totum in bonum eorum cedit. Ex qua Angelica doctrina aperte colligitur, Sanctos nobilissimas uniuersi supernaturalis partes gaudere excellentia dominij supra alias, cum super omnia bona tanquam supremi principes sint constituti à Deo.

His positis in hunc modum efformatur precedentis confirmatio rationis. Adoratio Duliæ cōuenit Personæ vt excellēti excellentia dominij: atqui viri Sancti quatenus tales habent dominium super reliquas creatureas, ergo nedum licitum, sed summoperè debito ordini consentaneum, vt ijs tanquam supremis uniuersi naturalis, & supernaturalis principibus adorationis cultus exhibeatur. Maior, & Minor ex primo, & secundo notabili sunt manifestæ: Consequentia autem videtur optimè ex præmissis deduci.

6. Adde, & hactenus dicta maiorem lucem accipient, ad optimam cuiusque Reipublicæ institutionem pertinere, vt virtus eximia satis in æstimatione habeatur, eamque velut Diuinæ perfectionis simulacrum, eius ciues suspiciant; sic enim faci-

lius, ac urgentius voluntates illorum ad sui amorem alliceret: adeoque, & difficultas, quam virtutis arduitas præfert, non leuiter minuetur proposito honoris præmio, quod ipsi retribuitur. Et ideo Angelicus lib. 1. Ethic. lec. 5. circa medium asseruit, quod bonum honestum, id videlicet, quod est virtutis proprium obiectum, est quasi honoris status: sic enim ait. *Dicitur autem honestum quasi honoris statu: quando ad hoc pertinere videtur, ut ipse honor, & virtus, que est honoris causa.* Et post pauca subdit. *Ferè totus vita ciuilis finis, videtur esse honor, qui redditur benè operantibus in vita ciuali, quasi virtutis præmium.* Est igitur optimè institutæ Reipublicæ finis ad virtutis arduitatem faciliorem reddendam, reddere virtuosè operantibus honoris præmium, & maximè ijs, qui heroicos exercentes actus ad emulationem alios extimulant. Hinc constat, summè consentaneum esse supernaturali Reipublicæ Fidelium adorationis cultum Sanctis tribuere, ex eo quod heroica virtute florerint. Siquidem supernaturale, lumen non destruit, sed perficit naturale, vt enim luculenter ostendit S. Tho: 1. contra Gentes cap. 7. Ve- ritati Fidei lumen naturale rationis non contradicit, & è conuerso, cùm verum, vero contrarium esse non possit. Quod, & nos in principio tractatus de Incarnatione lato calamo probauimus. Ex quo colliges Hæreticos negantes adoratio- nis cultum Sanctis nedum in fidem, verum & in ipsam naturalis lumi- nis rectitudinem turpiter peccare.

7. Dices fortè non rectè colli- gi ex hoc, quod homines virtute, prædicti sint honore digni, esse eis cultum adorationis exhibendum, ergo nihil ex hactenus dictis con- vincitur. Antecedens suadetur, quia

S. Aug. quia adoratio in plus omnino est quam honor, hic enim se habet ut genus, quod semper differentijs contrahentibus est imperfectius. Tum rursus ex S. Aug. lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 4. in fine dicente. *Multa de cultu Diuino usurpata sunt, que honoribus deferuntur humanis* sive humilitate nimia, sive adulazione pestifera: ita tamen quod quibus ea deferuntur homines haberentur, qui dicuntur colendi, & venerandi (si autem multum eis additur) & adorandi. Vbi ut constat, & hominum adorationem improbare videtur: & rursus adorationem multum superaddere cultui, aut venerationi. Consequentia liquet, nam illud consequens censetur nullum, quo plus infertur, quam contineatur in antecedenti: istud enim est causa consequentis.

Apostol. Respondetur, verum quidem esse, adorationem in plus esse absolutè loquendo, quam sit honor, de hoc enim loquens Apost. ad Rom. 12. dixit *Honore inuicem præuenientes*. Ex hoc enim denotatur, honorem posse esse inter æquales: secus contingit in adoratione, quæ seruitutem adorantis respectu adorati importat: adhuc tamen in præsenti materia optima est illatio: est enim sermo de honore Sanctis exhibendo: iam autem ostendimus, nobilissimas istas supernaturalis vniuersi partes reliquis alijs principari, adeoque honorem seruitutis, & consequenter adorationis cultum, erga illos exercendum. Neque obstat quod affertur ex S. Aug. de cuius mente circa Sanctorum adoracionem dubitari non potest, vt manifestum est ex eius epist. 44. & alibi sæpe: quapropter loco adducto inuehitur aduersus abutentes actibus adorationis erga homines temporali aliqua dignitate fulgentes, aut sæculari potentia præditos, qui-

bus, aut nimia homiliatione, seu vt melius loquamur delectione subiiciuntur, parentes eis etiam, cum inordinata, aut inhonesta præcipiunt. Aut quatenus pestifera adulazione eos demulcent, intemperanter eos laudantes, & forte in ijs, in quibus sunt vituperatione digni.

Adde, vim adductæ rationis, ac illationis maximè fitam esse in hoc videlicet, quod si homines in hac vita a virtute, aut dignitate aliqua præditos congruum est in ordine ad rectam Reipublicæ institutionem, & politicæ vitæ decorem seruandum, ciuili aliqua adoratione venerari: & hoc si fiat, quando, & vbi oportet à recto luminis rationis dictamine laudatur. Utique hoc ipsum laudabilius præstari poterit erga personas Sanctitatis excellentia præclaras, & immobiliter eadem excellentia præditos, adeoque modo quodam Diuino perfectos, vt explicatum est. Quam illationem bonam, imò optimam esse nemo non videt.

s. I I.

Fit satis cuidam incidenti dubitationi.

8. **S**ed occurrit incidens dubitatio, cui breuiter oportet obuiare; an videlicet perseveret in Celo eiusmodi adorationis cultus erga Sanctos? & quidem si loquamur de Beatissima Virgine, de ea dubio sequenti erit sermo, vbi affirmatiuè omnino respōdebimus; de ea ergo nihil modo. Quoad alios Sanctos primò sermo esse potest de Sanctis omnino rigorosè talibus, sub quibus comprehenduntur omnes Angelorum Chori, & homines omnes, qui heroica virtute claruerunt: hi enim in omni proprietate vocan-

vocantur Sancti. Secundò loqui possimus de Sanctis minus rigorosè acceptis in cælo existentibus, his enim omnibus competit gratia sanctificans consummata, & vi huius dicuntur Sancti, seu iusti, inter quos est disparitas; nam sunt ij, qui habent gratiam, & gloriam dumtaxat per modum hæreditatis, vti sunt, qui cum solo Baptismo ante rationis usum decesserunt: & sunt ij, qui habent eandem gratiam, & gloriam ex merito comparatas. Sancti etiā primò modo accepti habent inter se disparitatem iuxta illud Apost. 1. ad Chorint. 15. *Stella enim à Stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Quem locum exponens S. Tho. lec. 6. non longè à principio ait quod intelliguntur *Per Stellas ad inuicem ordinatas cæteri Sancti.* Et quantum ad Angelos euidentior est hæc inæqualitas: nam pertinentes ad superiorem hierarchiam superant spectantes ad inferiorem sicut in naturalibus, ita in supernaturalibus, vt docuit S. Tho: par. prim. quæst. 62. art. 6. inter illos etiam homines, qui gratiam, & gloriam sibi per meritum sunt adepti, est inæqualitas, secundum differentes meritorum gradus, de quo nemo dubitat.

Hoc posito, si loquamur de ijs, qui rigorosè Sancti non sunt, respectu eorum, qui in omni proprietate tales sunt, indubitatum videtur, non rigorosè Santos in Cælo cultū adorationis propriū respectu Sæctor. propriè talium exercere, non tamen è conuerso. Ratio prime partis est manifesta; eiusmodi enim adoratio secundum se est honestissimus actus, nec statui beatitudinis aliquo modo repugnat, aut est ex aliquo capite dissonus: adeoque sicut in militante Ecclesia datur, non est cur in triumphanti negetur. Quoad secundam constat, cum enim reuera ij

De Adorat. Sanctor. & pecul. SS. V.

Sancti non sint rigorosè loquendo, & prout tales cognoscantur, vtique inconueniens esset, si vt Sancti modo dicto adorarentur, nihil enim in eo statu esse potest aliquo modo à rectitudine deuians.

9. Cæterum si fuerit sermo de omnibus ijs, qui rigorosè sunt Sancti, siue Angeli fuerint siue homines, & quocumque gaudeant Sanctitatis gradu potest inter omnes illos mutua adoratio propria Sanctorum rigorosè talium dari; siue superiores sumantur respectu inferiorum, siue inferiores comparentur ad superiores. Et quidem de inferioribus respectu superiorum non appareat aliqua difficultas: At loquendo de superioribus respectu inferiorum, videtur esse aliqua dubitandi ratio, cum enim omnes existentes in Cælo se se quoad Sanctitatem absque erroris periculo cognoscant, & adoratio sit inferioris respectu superiorum, videtur repugnare rectitudini perfectissimè illius status, vt Sanctitate superiores adorent alios, quos Sanctitate inferiores cognoscunt.

Solutio tamen huius dubitacionis habetur ex Angelico Preceptorre, qui exponens illud Apostoli ad Philipp. 2. *In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantur.* Mouet fere hanc eandem difficultatem cum lec. 1. ait. *Sed quomodo superior poterit hoc implere?* Aut enim non cognoscit, se esse superorem, & virtutem suam, & sic non est virtuosus, quia non est prudens. Aut scit, & sic non potest alium existimare superiorem se. Ad huius obiectionis solutionem affert verba S. Aug. in libro de Virginitate, in quibus habentur duæ responsiones, quarum prima potest folummodo superioribus existentibus in via adaptari, quæ ibi videri potest. Secunda vero, quæ presenti etiam congruit instituto talis est. Detur

L quod

quod quantum ad omnia, sit ille bonus, & ille malus; nihilominus tu, & ille geritis duplē personam, scilicet tui, & Christi. Si ergo illum non præponas ratione suæ personæ, præponas ratione imaginis Diuinae. Quod si in bono respectu mali id potest contingere, quāto magis poterit hoc ipsum absque ullo inconuenienti euenire in eo, qui superiori gaudet Sanctitate, respectu inferioris Sancti, de quibus nunc est sermo.

10. At dices, adductam solutionem non omnino tollere difficultatem propositam; nam si sanctitate propriè dicta superior potest inferiorem Sanctum ut tales adorare ex eo quod in inferiori imaginem Dei intueatur, iam non adorabit ipsum ea adoratione, de qua nunc est sermo: & ratio videtur aperta; siquidem adorationem, quam Sanctis propriè talibus exhibemus, est adoratio, qua veneramur in illis propriam eorum excellentiam, non verò eam excellentiam, qua reduplicatiū sunt ad imaginem Dei, qualis est adoratio, de qua ibi Sancti Thomas, & Agustinus loquuntur, nam homo malus reputari potest superior ad hominem bonum, ut reduplicatiū est ad imaginem Dei, non verò ex aliqua Sanctitatis excellentia, quæ sit ratio formalis terminandi diuersa à ratione formalī terminandi, qua gaudet excellentia Diuina, cuius homo malus in se imaginem retinet, & prout eam retinens estimatur superior ab homine bono, etiam respectu sui ipsius.

Pro solutione huius objectionis, & maiori elucidatione eius, quod statuimus nota ex Caiet. 2.2. quæst. 103. art. 3. §. Nunc ad 3. dub. quod triplex inuenitur imago Dei: primo Pictura, seu statua ad representandum Deum, ut quotidie in Ecclesia videamus: secundò ipsa rationalis creatura secundum seipsum (est enim secundum

seipsum imago representans Deum). Tertiò ipsa rationalis creatura ut relata in Deum. De prima hic non loquimur, sed de secunda, & tertia. Circa secundam scito, quod creatura rationalis secundum seipsum, hoc est secundum propriam excellentiam tribus modis potest esse imago Dei, ut docuit Angelicus p. p. quæst. 93. art. 4. his verbis. Imago Dei tripliciter considerari potest in s. Thom. homine, uno quidem modo secundum quod homo habet aptitudinem naturalem ad intelligendum, & amandum Deum. Et hæc aptitudo consistit in natura mentis, quæ est communis omnibus hominibus. Alio modo secundum quod homo actu vel habitu Deum cognoscit & amat, sed tamen imperfekte. Et hæc est imago per conformitatem gratiæ. Tertiò modo secundum quod homo Deum actu cognoscit, & amat perfectè, & sic attendit imago secundum similitudinem gloriae. His tribus modis dicimus, creaturam rationalem, adeoque & Angelicam secundum se esse imaginem Dei, quia hec tres excellentiæ sunt proprie, ac possessæ à creatura rationali, seu intellectuali.

11. Secundò nota, triplicem, hanc excellentiam considerari posse dupliciter, primò secundum id, quod actu habet: & hoc modo indubitatum est, quamcumque ex illis omnino determinatam esse, & consequenter omnino certam, ac finitam; de quo nemo ambigit. Secundò quoad id, quod quantum est ex se natum est habere, & hoc modo nullatenus habet limites cuius ratio desumitur ex Angelico Præceptore 2.2. quæst. 24. art. 7. ubi ostendit, Charitatem posse usque in infinitum syncategorematice intendi, ita ut finem non habeat nec ex parte suæ formalis rationis, quæ est formalis participatio infinitæ, & increatæ Dei Charitatis, nec ex parte

parte agentis , seu producentis , quod est infinitum , nec ex parte subiecti cuius habilitas ad amandum Deum crescit ad augmentum Charitatis , atque adeo est habilitas infinita , sicut & intensibilitas Charitatis ex parte suæ formalis rationis . Ex quo patet , triplicem hanc excellentiam secundum quam rationalis creatura est imago Dei , esse quoad aptitudinem , seu capacitatem syncategorematicè infinitam .

Circa tertiam creatura rationalis , secundum quod est imago Dei , ut actu relata in Deum , sumitur formalissimè sub ratione imaginis , adeoque prout terminat eundem adorationis motum , quem terminat prototypum . De quo videri potest Caietanus artic. cit. ea , quæ infra fusè dicentur , cum de imaginum adoratione instituetur disputatio , vnde hic id innuisse sufficiat . Maximè quia , vt mox dicetur , de hac imaginis ratione non loquuntur Sancti Thomas , & Augustinus .

Nunc ad rem nostram accedendo , cùm in citata solutione Sancti Doctores mox adducti loquantur de duobus hominibus , quorum unus sit bonus , & alter malus planum est , eos afferentes bonum hominem in humilitate existimantem , vt sibi superiorem hominem malum , quatenus hic habet imaginem Dei , loqui de prima ratione imaginis , quæ licet per peccatum deturpetur , non tamen tollitur : aliæ enim imaginis rationes saltem gratiam Sanctificantem important , quam qui habet , malus absolute loquendo dici non potest . Secundò non loquuntur de ratione imaginis , prout facit quid vnum , seu non ponit in numero cum prototypo ; nam hoc modo omnes homines sunt æquales , sermo igitur est de secunda ratione imaginis , quo modo dicit excellent-

De Adorat. Sanctor. & perl. SS. V.

tiam propriam hominis ponens in numero cum Diuina excellentia , quam participat . Et secundum hanc unus homo potest esse superior altero quoad secundum , & tertium imaginis modum , quem numero 10. ex D. Tho. assignauimus , nempe quantum ad gratiam , & gloriam . Adhuc tamen superest videntur , quomodo homo malus habeat ratione imaginis Diuinæ , quam retinet ex predicta capacitatem ad amandum Deum superioritatem respectu hominis boni , habentis etiam rationem imaginis Diuinæ , ratione gratiæ Sanctificantis Vide S. Tho: in 3. dist: 9. artic. 3. quæst. 2.

12. Et dicimus , hanc superioritatem haberi , quatenus gratia , quam bonus homo habet , est actu finita , & limitata ; sed capacitas illa est syncategorematicè infinita , adeoque vi huius infinitudinis superat aliquo saltem modo hominem actualiter bonum , & sic homo malus ratione huius potest à iusto in humilitate , vt dicit Apostolus , existimari superior ; & quamuis etiam homo iustus , gaudeat hac eadem infinita capacitatem , quia tamen actus , quo bonus veneratur malum est omnino finitus , ac limitatus , idcirco malus ex predicta ratione imaginis dicentis , quantum est ex se , infinitam syncategorematicè capacitem , est saltem secundum hanc rationem superior ad bonum , vt venerantem : & potest aliquo modo censi simpliciter superior , quia et si nihil actu habeat de gratia , sed solum in potentia , ex hoc tamen quod modo dicto sit infinita superat simpliciter actu finitum . Neque huic obstat coniunctio cum malitia , quia hæc de materiali omnino se habet ad predictam rationem imaginis , nec minimum quid tollit de eius entitate , quæ penitus est inafferibilis , & solum quoad hanc ratio-

nem consideratur ab homine iusto
in humilitate , arbitrans hominem ,
malum superiorem .

Et hinc appareat , quomodo do-
ctrina solutionis Sanctorum Tho-
mæ , & Augustini applicetur præ-
senti materiæ , propter quam hæc
omnia adduximus . Itaque excel-
lentior in Sanctitate , exempli cau-
sa , supremus Seraphim adorare po-
test ut Sanctum quemlibet alium ,
etiam hominem rigorosè Sanctum ,
quatenus in isto reperitur imago
Dei secundum conformitatem ad
ipsum per gratiam & gloriam , nam
quamvis adorans sit aliunde supe-
rior ad adoratum , quia tamen ado-
rants simpliciter finitus est , & finito
prorsus adorationis actu illi se sub-
mittit , adorationem verò terminans
dicat Sanctitatem gratiæ & gloriæ ,
quantum est ex parte sua , & sua es-
sentiali ratione syncategorematicè
infinitam : sit inde vt adorans in hu-
militate possit adoratum , vt sibi su-
periorem arbitrari , ex prædicta ra-
tione imaginis Dei , qua illi secun-
dum prædictam infinitatem assimili-
atur , & hæc superioritas est suo
modo simpliciter talis , vt nuper di-
ctum est . Per quod constat ad obie-
ctionem propositam , & id , quod
diximus , magis explicatum relin-
quitur .

13. Adde , adorationem San-
ctis exhibitam non importare omni-
modam subiectionem adorantis ad
adoratum , hæc enim totalis subie-
ctio est propria dumtaxat latræ re-
spectu Dei : ex quo fit adorantem
quoad alias rationes posse esse su-
periorem adorato , atque adeo sa-
tis est ea superioritas , quam in ado-
rato assignauimus , vt possit ei ab
adorante cultus , & Dulicē seruitus
exhiberi .

Adde demum , & hactenus dicta
maiores confirmationem accipient .
Ut docet S. Tho: in 4. dist: 44.

quest. 2. artic. 3. questiunc. 1. ad
1. exponendo illud . Apostoli 1. ad
Theffalon: 4. *Simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo.* Quod
iuxta glossam significat , corpora
gloriosa , post Resurrectionem defe-
renda esse in nubibus ab Angelis
in aere obuiam Christo Domino .
Exponendo , inquam , hæc verba
in hunc modum loquitur . *Dicen-*
dum , quod corpora gloria dicuntur
ferribialis Angelis , & etiam in nu-
bibus , non quasi eis indigatur , sed
ad reverentiam designandam , que
corporibus gloriis , & ab Angelis &
omnibus creaturis deferetur . Hoc
ipsum etiam ostenditur ex illo Luce s. Lukas
16. cum de paupere Lazaro dicitur:
Factum est , ut moreretur mendicus ,
& portaretur ab Angelis in sinum
Abraha . Circa quod notandum ,
quod dicuntur plures Angeli por-
tare Animam vnius , non quia unus
non sufficeret , sed vt aliqui docent
Thomistæ , quos suppresso nomine
referunt N. Sal. trac. de Angel. dis.
2. num. 198. id partialiter plures
præstare voluerunt , vt illi maiorem
exhiberent honorem , & aliquod
obsequij genus . Si ergo Angeli , &
natura , & gratia omnino superio-
res corporibus gloriis , & San-
ctitate Animæ Lazari non dedi-
gnantur , & corporibus , & animis
Sanctorum deferre obsequium , ex-
hibere reverentiam iam patet saltem
modo , quo exposuimus , posse
Sanctitate superiores inferiores cul-
tu Dulicē prosequi etiam in Cælo .
Demum constat quomodo in Cælo
existentes , & non rigorosè Santos
posse seipso ad inuicem honore
præuenire , honore inquam , qui
cum excellentia eorumdem sit pro-
portionatus : nam si Apostolus fide-
les suos hortatur ad hoc , vt se inuicem
honore præuenirent , vt habe-
tur ad Roman. 12. multo magis id
seruabitur in cælesti status beatifici
Repu-

Republica. Et hoc nedum post corporum resurrectionem, verum etiam ante illam, nam animæ separatae eodem modo se se ad inuicem alloquantur, quo diximus supra dub: 1. huius tractatus, vnum Angelum ad alterum habere sermonem.

§. III.

Reservatur oppositus error, & solvantur argumenta.

14. **H**ominibus Sanctis, atque adeo & Angelis non esse ab alijs hominibus cultum adorationis exhibendum asseruerūt Gnostici, quos arguit Ireneus lib. 3. cap. 20. Eundem errorem secutos fuisse Eunomium, & Porphir. refert Lindanus dialogo 2. Idem sensit si S. Hieronymo credimus) Vigilantius; quos omnes, teste N. Tho: Vvaldensi lib. 3. de Sacramen. titulo 3. sequutus est Vyiclef. Ac tandem eidem subscripsere errori præteriti seculi Hæretici Lutherus, Calvinus, Zuinglius, eorumque sequaces. Videtur autem eiusmodi error ortum habuisse à Gentilibus obicijentibus Christianis, quod tanquam Deos Martyres colerent. Quod & fecit Mahomethus, vnde & omnem Sanctorum cultum abstulit.

Primo autem obijci possunt aliqua Sacrae Scripturæ loca, quibus probari videtur, adorationem hominibus exhibitam vt illicitam reprobari. Itaque Esther. 3. refertur, Mardocheū noluisse adorare Aman, cuius facti rationem reddens cap: 13. in hunc modum loquitur. *Tu nosti, quia non pro superbia, & contumelia, aut gloria cupiditate hoc feci, sed timui, ne honorem Dei mei ad hominem transferrem, & ut neminem adorarem excepto Deo meo.* Rursus Actor. 10. cum Cornelius vellet

adorare S. Petrum, ab isto id fuit ei vetitum his verbis. *Surge, & ego ipse homo sum.* Adduci etiam solet ^{Aeta} _{Apof.} 6: Synodus post serm. 18. cap. 7. dicens. *Solo Deo Creatore suo adorato, inuocet Sanctos &c.* Imò hoc ipsum, ^{sinad. 6.} ostenditur de Sanctorum Angelorum adoratione; nam Apocalip. 19. & iterum cap. 22. Ioannes prohibitus est ab Angelo sibi apparente, ne ipsum adoraret, sic enim volenti adorare ait. *Deum adora.* Demum hoc ipsum colligi videtur ex Sanctorum Patrum doctrina, qua assertur, creaturas ab alijs creaturis non esse adorandas. Inter quos D. Athan. serm. 3. contra Arianos fol. 8. habet hæc verba. *Creatura creaturam non adores.* ^{Apocal.}

15. Respondetur quantum ad primam difficultatem ibi tactam, omnibus eam esse communem nedum Catholicis, verum etiam Hæreticis, nam is locus potest etiam optimè virgineri aduersus adorationem politicam, & ciuilem, qua humanis potestatibus ciuilem adorationis cultum impendimus: quem tamen nullatenus esse illicitum ex innumeris penè Sacrae Scripturæ testimonijs habetur, cum sœpè in ea referatur, Reges ac Principes fuisse ab alijs adoratos, neque eiusmodi adorationis actus tanquam illicitus aliquando fuit improbatus: eo vel maximè quia etiam à Sanctis fuit exhibitus, vt fecit Nathan Propheta 3. Reg. 1. adorans Dauid Regem, 3. Reg. sic enim de ipso ibi dicitur. *Cumque introisset in conspectu Regis, & adorasset eum pronus in terram.*

Verum hoc prætermisso respondet directè ad argumentum S. Tho. 2. 2. quæst. 84. articul. 1. ad 1. his verbis, Secundum reverentiam, que debetur Deo, Mardocheus noluit adorare Aman, timens, ne honorem Dei transferret ad hominem; que solutio clarae habetur ex verbis, quæ nuper addu-

*Esther.
Glossa*

adduximus. Amplius hanc eandem solutionem aperte indicat *Glossa interlinealis* in cap. 3. *Esther*, cum super ad verba *Solus Mardochæus non flebat genua, neque adorabat eum*: sic ait: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, in quo præcepto sermonem esse de supra-ma adoratione latræ nemo ambigit. Porro iuxta hanc respcionem nihil aduersum nos ex adducto argu-mento conuincitur, siquidem & hanc adorationem exhibondam esse creaturis nos pariter negamus.

P. Suar. Hanc tamen respcionem difficultem censuit P. Suar. tomo 1. in 3. part. disput. 52. sec: 1. Tum quia Aman non videtur exegisse supremam latræ adorationem, sed so-lum honorem illum, qui supremis principibus tunc tribuebatur. Tum & vrgentius quia, vt ex *Sacro Textu* constat, non ipse Aman, sed Rex præceperat, eum ab omnibus adorari, non est autem verisimile, Re-gem præcepisse vt maior adoratio Aman, quam sibi tribueretur: sibi autem non postulabat Diuinos ho-nores, neque enim id habetur ex *Sacra Scriptura*, nec legimus, Mar-dochæum, & *Esther* negasse Regi vistitatem, & communem adoratio-nem: Imò oppositum in varijs eius libri locis non obscurè significatur. Sic ille.

Caietan. 16. Tetigerat hanc difficultatem Caiet. in commen: illius artic. cit. quæst: 84. eique occurrit dicens quod ea ratione (Mardochæus.) re-nuerit adorare Aman, ne scilicet re-nerentiam exteriorem Deo consuetam exhiberi (vt patet 3. Reg. 8. de genu-flexione Salomonis) ad hominem tal-lem transferret. Dicitur enim *Esther* 3. quod argentibus alijs pueris Regis Mar-dochæum de hoc, dicit, se esse In-deum, & quod illi volentes experiri, an perseveraret, accusauerunt eum ad Aman hostem Iudearum, quoniam erat

de stirpe Agbag. Regis Amalecitarum occisi à Samuel 1. Reg. 15: sic ergo pa-tet quod conuenienter author (S. Tho-mas videlicet) Mentem Mar-dochæi interpretatus est. Dubitat postmo-dum Caiet. an Mar-dochæus prudé-ter in ea actione se gesserit, & du-bium insolutum reliquit. Sed eno-dauit illud citatus P. Suar. cum lo-co adducto ait: Quoniam verò Scri-pitura Sacra factum Mar-dochæi proba-re videtur, censendum est, Mar-dochæum prudenter egisse. Et hoc quia timuit, ne adoratio illa in Diuini honoris diminutionem, aut in suæ Religionis contemptum, vel in scandalum cederet. P. Suar.

At mēo videri minus consequen-ter loqui videtur P. Suar. quod enim primo loco aduersus solutionem S. Tho: obiecit, omnino militat contra ipsius dictum. Si enim Aman non exigebat supremum latræ cul-tum, sed dumtaxat illum, qui tunc supremis principibus mos erat con-ferri, quoniam modo potuit pruden-ter timere, ne ea adoratio cæderet in Diuini honoris diminutionem? sa-nè reuereri supremos Principes non tantum bonos, & modestos, sed etiam dyscolos & prauos; nedum ce-dit in Diuini honoris diminutio-nem, verum etiam hoc præcipitur ab Apostolorum Principe in sua 1. Epis: cap. 2. Nec ullus Christiano-rum putauit vnquam, cædere in Diuini honoris diminutionem reue-ri Gentiles Reges quantum ad politicum, & ciuilem cultum, vt etiam de facto nunc Catholicorum non pauci faciunt erga Reges & Principes hæreticos, aut etiam Pa-ganos: nec rursus ex hoc aut scan-dalum, aut Catholico nomini igno-minia aliqua fit. Amplius: cùm iuxta eundem Suar. ex libro *Esther* habeatur, nec Mar-dochæum, nec *Esther* negasse ciuilem adorationem Regi, sed potius habetur opposi-tum;

tum; nam capite 8. de Esther dicitur, *quod procidit ad pedes Regis*, iam constat, potuisse talem cultum exhiberi absque Diuini nominis iniuria, aut Iudaicæ Religionis detimento, seu aliorum scandalio: non enim credimus, Suarez putare hæc omnia cessare ex hoc, quod talis adoratio esset Regi exhibita, id enim apertè constat esse falsum; & tanto magis quia si aliquo modo fuisset illicitum, Aman supremo Principi deferre adorationem eius dignitati proportionatam, quam solam ipse, iuxta P. Suar. exigebat, nequit assignari ratio, cur non esset illicitum adorationem Regi eiusdem Sectæ exhibere.

17. Ad tuendam ergo S. Tho: solutionem, eamque magis explicandam, sciendum, Hæbreorum Populum vt pote à Deo electum solum violenter fuisse alijs nationibus eorumque Principibus subiectum. Vnde Publicani, qui, vt optimè notauit Abulen: Prologo in Euangel: Matth: quæstio 6. tales dicti sunt à Publio Cæsare qui primus in Iudeos tributa inuexit: hi inquam Publicani tanquam publici peccatores habebantur, ex hoc quod eorum cura erat colligere eiusmodi vectigalia: aestimabantur enim tanquam ministri & executores huius violentæ dominationis, & quæ apud ipsos tyramnica, ac iniusta credebatur. Secundò supponendum quod dixit Caietan. Aman videlicet peculiari quodam odio prosecutum fuisse Hæbreorum gentem ob occisionem eius Regis, ex cuius Prosa-pia Aman descendebat.

His positis primò dicimus, Aman exegisse à Mardochæo talem adorationem, ex hoc peculiari motiuo inferendi iniuriam Iudaicæ Religioni, cui propter adductum motuum infensissimus erat, adeoque volebat illam suæ Sectæ esse subiectam. Et

quia hoc titulo non poterat Aman à Mardochæo licite, & absque læthali culpa adorari, idcirco prudenter Mardochæus eam denegabat adorationem. Rursus Aman volebat vt Deus adorari, quatenus exi-gendo illam in contemptū Hebraicę Religionis, seipsum propriamque excellentiam præponebat Diuino præcepto id prohibenti, atque adeo plus obedientiæ sibi, quam Deo volebat deferri, in quo virtualiter exigebat latrīx, & supremæ adoratio-nis cultum. Eo ferè modo, quo dum quis mortaliter peccat constituendo finem ultimum in bono cōmutabili, & istud Diuino & incom-mutabili præponendo quodammodo bonum commutabile adorat per cultum latrīx, hæc enim dicit tota-lem subiectionem adorantis ad adorati excellentiam, & hæc totalis subieccio est propria voluntatis respe-ctu ultimi finis. Ita igitur quoad præsens proportione seruata.

Et hinc constat, quomodo & Mardochæus, & Esther potuerint absque peccato cultum politicæ, & ciuiliis adorationis Regi exhibere; nam ab isto non exigebatur ex titu-lo contemptum in Iudaicam Reli-gionem. Et sanè hoc pendere maxi-mè ex fine & intentione adoran-tis, & ex titulo, ex quo exhibetur, colligitur ex eo, quod narratur 4. Reg. cap. 5. de Naaman, cui San. Eliſæus permisit, vt simul cum Rege, qui ipsi innitebatur, quoad ext-ernum corporis gestum dumtaxat adoraret in templo Remmon; ea-enim adoratio externa solum fiebat ex fine & titulo obsequij, quod Regi suo præstabat, non verò ex inten-tione adorandi vt Deum, idolum illud.

18. Et iuxta hanc explicatio-nem cessant omnino obiectiones P. Suar. nam non oportet, vt Aman formaliter exigeret adorari per la-triam,

88 DE ADORAT. SANCTOR: ET SS. V.

triā, adeoque se Deum aestimare, quamvis virtualiter id præstaret, sicut quicumque læthaliter peccat, non censet formaliter, creaturam esse Deum, alias erraret in fide, sed solum virtualiter, cum creaturam Deo anteponit. Secunda etiam obiectio locum non habet, quia reuera Rex non præceperat Aman, coli ut Deum, nec in contemptum Hæbraicæ Religionis, sed hoc ex priuato odio Aman processit, vt ostendimus, ex quo etiam sequebatur, virtualiter voluisse adorari ut Deum modo explicato.

Secundò non improbabiliter dici potest, Aman in tantam superbiam dementiam deuenisse, vt quamvis absolutè loquendo non se putaret Deum, tamen voluisse sibi à Mardochæo usurpare cultum aliquem, saltem externum, vt dixit Caiet. soli Deo reseruatum, ita vt quoad modum, quo exigebat adorari, ita immoderatè se gereret, adeoque intemperanter fortuna sua, ac fauore, quo apud Regem gaudebat, vteretur, vt honorem quendam maximè saltem accedentem ad eum, qui soli Deo debebatur, exposceret. Ita sentiunt Belar. lib. 1. de S. Beat. cap. 14. ad 4. cum ait. *Dico Aman voluisse adorari ut Deum, id enim ex verbis Mardochai colligitur.* Nicolaus de Lyra in glossa ord. super cit: cap. 3. Esther his verbis. *Ex superbia sua volebat* (Aman videlicet) *sibi arripere honorem Diuinum, faciens se adorare tanquam Deum, ut dicit hic Glossa Hebraica & hoc erat sibi illicitum.* Quod saltem videtur intelligendum minus rigorosè, vt mox declarauimus. Et iuxta hanc secundam responsonem patet etiam ad ea, quæ obiciit P. Suar. nam erat excessus quoad modum exigendi eam adorationem, & consequenter Regis mandatum excedebat. Et sane non est omnino incredibile, homi-

nes sic dementari à superbia, vt aliquid de Diuino honore sibi usurpare tentent, vt multis ex historijs sacris & prophanicis posset comprobari, quod ommittimus, cum nimium id prolixum esset.

Ad aliam authoritatem ex actibus Apost: desumptam dicendum videtur, meritò Apostolum Petrum prohibuisse Cornelium se adorare, tum ob humilitatis exercendæ causam. Tum quia ex eo quod Apostoli Euangelicam Religionem tunc primum in Mundum inueherent, & miraculorum gloria essent satis illustres, facile potuissent homines suspicari aliquid Diuinum in eis esse, atque adeo in eis adorandis excedere: quod & accidit Paulo, & Barnabæ, vt narratur Actorum 14. Tum demum quia Apostolorum tunc munus erat gloriam Christi per vniuersum Mundum percelebrem, reddere, atque adeo se tanquam purè ministros deprædicare debebant, omnemque honoris speciem à seip- sis abdicare. Ad illud, quod affertur ex 6. Synodo, dicendum, adorationem ibi sumi pro ea, quæ anthonomasticè talis dicitur, ac soli Deo debetur. Eo vel maximè quia ibidem asseritur, inuocando esse Sanctos, quæ inuocatio aliquem saltem cultum Sanctorum includit, vnde istis solummodo supremus denegatur.

19. Ad id, quod affertur ex Apocalip. respondet etiam Angelicus Præceptor 2. 2. quæst. 103. art. 2. ad 1. his verbis. *Angelus prohibuit Iohannem non à quacumque honoratione, sed ab honoratione adorationis latræ, quæ debetur Deo.* Vel ab honoratione Dulia ut ostenderet ipsius Ioannis dignitatem, qua per Christum erat Angelis adequatus secundum speciem gloria Filiorum Dei, & ideo nollebat ab eo honorari tanquam superior. Idem quoad primam huius respon- sionis

Belar.

*Nicol. de
Lyra,*

s. [iii]

sionis partem dixerat supra quæst.
84. art. 1. ad 1. addens etiam quoad secundam id factum fuisse ad ostendendam dignitatem hominis, quam adeptus est per Christum, ut Angelis equeatur. Vnde ibi subditur. Conservus tuus sum, & fratum tuorum. Tum etiam ad excludendum Idolatriæ occasionem, unde subditur, Deum adora. Hactenus Angelicus Doctor.

S. Tho.

Contra primam adductæ solutio-
nis Partem in hunc modum obiicit P. Suar: disp: 52. cit: sect: 1. Ve-
risimilius videtur, nullam falsam-
estimationem Ioannem habuisse,
neque latræ adorationem exhibere voluisse. Præsertim cum semel ad-
monitus cap: 19. idem id contendi-
dit cap: 22. solum ergo exterius exhibere voluit summam quandam adorationem debita existimatione,
& intentione interius seruata. An-
gelus autem eam adorationem ad-
mittere recusauit, Ioannemque
prohibuit, non quia malè ageret,
sed vel ex quadā urbanitate, vel ex
singulari reuerentia assumptæ hu-
manitatis, vt dicit Rupertus lib: 10.
in Apocalyp. &c. Hactenus ille.

Verum quia adducta responsio
nedum locis adductis est expressè à S. Tho: tradita, verum etiam de-
sumpta ex S. Aug: q. 61. in Ge-
nes: oportet eam ut omnino proba-
bilem tueri. Primò itaque nullum
est inconueniens arbitrari, non sta-
tim cognouisse Ioannem, quod is,
qui cum ipso loquebatur, fuerit
Angelus, vnde potuit existimare,
alloquentem ipsum esse Christum,
tum quia cap: 19. non ponitur ex
pressè, quod fuerit Angelus. Tum
quia cap: 1. dictum fuerat Ego sum
primus & nouissimus, & fui mortuus,
& ecce sum viuens, quæ verba soli
Christo Domino congruunt. Et ita
sensit Belar: cap: 14. cit: lib: 1.
ad 4. Difficilius tamē hoc adaptari
potest ei, quod dicitur cap: 22. vbi
Belar.

De Adorat. Sanctor. & SS. Virg.

expressè Ioannes cognouit ipsum
esse Angelum. Quare oportet id di-
ligentius inuestigare.

20. Pro quo sciendum, posse
hominem Angelis absque errore &
peccato supremum adorationis la-
triæ cultum exhibere, si consideren-
tur formaliter, vt gerunt vices Dei,
id enim apertissimè docuit S. Do-
ctor 2. 2. qu. 84. ar. 1. ad 1. vbi
Ioquens de Abraham, & Iosue ado-
rantibus Angelos, inquit. Quam-
uis possit intelligi, quod adorauerint
adoratione latræ Deum, qui in perso-
na Angeli apparebat, & loquebatur.
Imo de Cruce Christi docuit S. Th:
eadem 2. 2. q. 103. art. 4. ad 3.
& 3. p. q. 25, eam adorandam
esse eadem adoratione, qua adora-
tur Christus. Valde tamen notan-
dum, hoc esse discriben inter ea,
quæ sunt propter se adorabilia, vti
sunt omnes creaturæ rationales : &
ea, quæ non sunt propter se adora-
bilia, vti sunt omnia irrationalia :
quod si loquamur de ijs, quæ sunt
primi generis, non est illis tribuen-
da saltem communiter adoratio la-
triæ, quamvis absolutè loquendo ac
sine peccato id fieri posset, quod
& notauit P. Suar tomo 2. in 3. p.
disp: 22. sect: 2. in princip: docens,
quod etiamsi Beatisimæ Virgini
possit attribui eadem adoratio, que
tribuitur Christo, non tamen id
communiter fit, quia cum creatura
rationalis sit capax propriæ, & in-
trinsicæ excellentiæ, ratione cuius
est absolutè adorabilis, præberi in-
de potest occasio, præsertim igno-
rantibus, labendi in errorem, quo
putetur diuinam aliquam excellen-
tiam illis inesse. At si fuerit sermo
de ijs, quæ ad posteriorem ordinem
spectant, cum illa non sint capa-
cia ratione propriæ imperfectionis
alicuius adorationis per se ad illa
terminatae, euidens est, solum ado-
rari ratione excellentiæ extrinsecæ
modo

S. Tho.

P. Suar

modo infra explicando , ynde nullum habetur erroris vel leue periculum .

21. Nunc igitur dicimus, Angelum prohibuisse Ioannem, ne ipsum adoraret, vt reduplicatiū gerebat personam Christi, adeoque suprema adoratione latriæ, non quia hoc per se, ac omnino absolutè esset illicitum: nam si hoc modo illicitum fuisset nullo modo S. Ioannes iam antea admonitus iterum vt refertur cap: 22. tentasset idem facere. Prohibuit ergo, vt remoueret Ido lolatriæ occasionem, vt dixit S. Tho: quia facilius tale periculum habetur erga creaturam intellectualem, qualis erat Angelus: ynde ex hoc facto & Ioannes, & nos id legentes instruimur. Prohibuit rursus ex humilitate, qua recusabat se adorari, vt reduplicatiū gerebat vices personæ Christi, cuius erat legatus, adeoque; adoratione suprema latriæ. Et hoc etiam propter dignitatem humanæ naturæ assumptæ à Verbo Diuino. Eo vel maximè quia S. Ioannes excellentia, Apostolatus prædictus erat; hæc autem dignitas prima est in Ecclesia, & quia Apostolus dicitur quasi Missus, in officio Apostoli assimilantur Angelis, nomen enim Angeli officij est, non naturæ, & significat idem quod Nuncius, vt communiter docent Sancti Patres, quos adducunt N. Salman: tract: de Angel: n. i. & ad hoc denotandum dixit

Apocal. Angelus S. Ioan: Vide, ne feceris, conseruus enim tuus sum: quasi diceat inconuenit, te adorare me vt Angelum, seu vt missum à Deo, & legatum ipsius, cum & tu eadem dignitate gaudeas, qua mihi es æqualis, imo & forte superior. Quæ omnia accepimus ex Angelico Præceptore lec: i. in Epst: ad Romanos vbi sic ait Tertio commendatur (nempe S. Paulus) à dignitate, cum

dicitur vocatus Apostolus. Dignitas Apostolatus est precipua in Ecclesia, secundum illud i. Chor: 12. Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia pri-
mum quidem Apostolos. Apostolus idem est quod missus secundum illud Io. 20. sicut misit me Pater, & ego misso vos, idest ex eadem dilectione (nota diligenter quod sequitur, inde enim aliqua superioritas in Apostolo respectu Angeli designatur) & cum eadem autoritate .

Per quæ patet ad omnia, quæ P. Suar: obiecit; ponitur enim, Ioannem voluisse adorare Angelum vt gerentem vices Christi, adeoque iuprema adoratione latriæ, & hoc absqueulla falsa existimatione, seu errore; non enim error est legatum Christi vt reduplicatiū talem adorare eadem adoratione, qua Christus adoratur, quamvis, quia periculosest, ideo prohibeatur, & rursus propter alias rationes nuper adductas. Quæ vero addit Suar: minimè placent. Primum enim, quo asseritur, externam reuerentiam potuisse esse summam, retenta debita intentione interiori, cum ponat actum externum non respondere interiori aliquo modo dissimilare rectitudini operandi, quæ omnime-
dam videtur exigere corresponden-
tiam inter externam, & internam
reuerentiae actionem. Deinde si in-
uerisimile credit hic author, Ioan-
nen semel admonitum voluisse,
iterum cap: 22. internum latriæ
actum exercere cur non erit eodem
modo dissimile vero, eundem Ioan-
nen semel admonitum voluisse,
iterum summam adorationem exter-
nam exercere: certè non videtur,
maiior ratio de summa interna ado-
ratione, quam de summa externa:
cum ab interna iuxta S. Tho: Ioan-
nes prohibitus fuerit, sicut & ab
externa iuxta P. Suar. Secundum,
quod assertur de urbanitate, minus

con-

congruere videtur summæ grauitati tantorum mysteriorum, cum præfertim fuerint aliæ grauiores rationes, ob quas Angelus prohibuit Ioannem à tali adoratione, vt patet ex ijs, quas assignauimus.

22. Addimus rursus, potuisse Angelum prohibere Ioannem à sui adoratione, etiam loquendo de adoratione dulie, quæ Sanctis Angelis exhibetur, non tamen quia illos sic adorare sit illicitum, sed ad ostendendam dignitatem Apostolatus, quæ aliquo modo Angelicam superabat. Pro cuius luce notanda sunt verba, quæ habentur in Epist: ad Ephes: cap. 3. vbi Apostolus in hunc modum loquitur: *Vt innoteſcat Principatibus, & Potestatibus in cœleſtibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei.* Quem locum exponens Angelicus Preceptor lec: 3. sic ait. *Vnus intellectus esse potest, quod scilicet Angeli didicerunt ad Apostolis, & hoc videtur quandam rationem habere.* Videmus enim quod in celo inter Angelos superiores, qui immediate à Deo illuminantur, illuminant, & docent inferiores Angelos, qui non immediate illuminantur à Deo. Non videtur ergo irrationaliter dici, quod doceant Angelos Apostoli, qui immediatè à Deo sunt edicti, secundum illud Io: 1. *Vnigenitus filius, qui est in sanguine Patris ipse enarravit.* Ecce iuxta hanc expositionem, quam S. Doctor non improbabilem censuit, Apostoli prædicantes, vt dicit etiam Glossa super eundem locum, facti sunt quodāmodo Angelorum magistri, ac illuminatores, adeoque dignitas Apostolica Ioannis erat quodāmodo Angelo sibi loquente superior, vnde mirum non est prohibitum fuisse à quaçque adoratione. Et iuxta hunc sensum possumus admittere: quod dixit Suar. eam prohibitionem Angeli processisse ex quadam urbanitate, qua Angelus

Apost. S. Thos.

De Adorat. Sanctor. & pecul. SS. V.

Ioannem vt Apostolum quodāmodo vt sibi superiorem reuerebatur, & cōsequenter ab adorando vetuit, quia adorans est adorato inferior. Per quod tamen nō negatur potuisse Ioannem adoratione Dulie Angelum venerari. Tum propter ea, quæ diximus respondentes incidenti dubitationi superius in hoc eodem dubio adductæ: tum quia ex alijs capitibus Angelus Ioannem alloquens erat isto superior. Tum demum quia omnino probabilior est alia expositio eiusdem loci quam ibi subdit Angelicus Præceptor dicens mysteria gratiæ innutuisse Angelis in Apostolis prædicatis, quo modo Apostoli non sunt Angeli superiores. Nam (loquitur S. Doctor loco citato) licet inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, tamen qui minor est in Regno Celorum maior est illo, ut dicitur Luca 7.

Demum dicitur ex hoc loco nullum habere hæreticos aduersus Sanctorum seu hominum, seu Angelorum adorationem, argumentum: Nam querimus vel prima vice errauit Ioannes volendo Angelum adorare, vel non errauit, si hoc posterius dicatur, igitur nec fideles errant Angelos Santos adorando; Vel errauit, & si hoc dicatur stulte tentasset secunda vice eundem Angelum adorare. Aut forte erit dicendum (inquit Belarminus) hæreticos melius Ioanne scire an Sancti Angeli sint adorandi. Ad id quod affertur ex doctrina Sanctorum Patrum dicendum, ipsos loqui de adoratione anthonomastice sumpta, quæ importat supremum adorationis latræ cultum, qui utique soli Deo est exhibendus. Videndum nunc esset, cuius speciei sit adorationis actus Sanctis exhibendus, sed prius aliqua de Beatissimæ Virginis excellentia sunt præmittenda, nam ex ea

pendet species adorationis eidem,
Virgini exhibenda.

D V B I V M II.

*Virum Beatissima Virgo ab initio
Mundi semper fuerit adora-
ta, & qua adora-
tione.*

O Stenso licet omnino esse
Sanctorum adorationem,
adeoque, & à fortiori honestissimum
esse Sanctissimam Virginem Dei
Matrem adorare primum, quod in
præsenti dubio querimus, pertinet
ad durationem existentiae adoratio-
nis Beatissimæ Virginis, dum queritur
an ab initio Mundi sumpserit
exordium, duratura usque in æter-
num à parte post. In secunda autem
huius dubij parte inuestigabimus
speciem adorationis, quæ eidem
Virgini debetur, oportet tamen ali-
qua ad dicendorum intelligentiam
præmittere.

S. I.

*Præcittuntur aliqua ad dicen-
dorum noritiam necef-
saria.*

M 23. **V**ndum à creatione An-
gelorum sumpsisse exor-
diū est apertissima S. Th: sententia, vt
constat ex eo, quod docet p. p. q.
61. ar. 3. vbi ostendit, Angelicam
creaturam simul cum corporibus
caelestibus fuisse conditam, fuit
enim rationi maxime consentaneū,
nobilissimam hanc Vniuersi par-
tem simul cum nobilissimo corpo-
rum produci, cum cælo videlicet
empireo, quod est proprius Ange-
lorum locus, dum ergo queritur,

an Beatissima semper Virgo ab ini-
tio mundi fuerit adorata, dubitatur
an ab Angelorum creatione fuerit
adorationis obiectum respectu sub-
stantiarum Angelicarum, à quo
tempore continuata postmodum
successione per sequētia sœcula fue-
rit semper aliqua eidem exhibita
adoratio.

Notandum præterea ex commu-
ni Theologorum sententia, Ange-
lis viatoribus reuelatum fuisse my-
sterium Incarnationis Verbi Diui-
ni, quod docuit Angelicus Præce-
ptor p. p. q. 64. art. 1. ad 4. dicens
*Mysterium Regni Dei, duod est im-
pletum per Christum, omnes qui-
dem Angeli à principio aliquo mo-
do cognoverunt: & dicit aliquo mo-
do quia perfectam, ac distinctam no-
titiam illius non habuere: siquidem
illis reuelata non fuit materialis
causa Incarnationis, quod est origi-
nale peccatum: si enim istud cogno-
uissent, nouissent pariter, & pro-
prium peccatum, à quo Adæ pecca-
tum habuit dependentiam, hoc au-
tem asserere est inconueniens: si
enim Angeli præcognouissent pec-
catum proprium futurum magnam
ex tali cognitione concepissent tri-
stitiam, adeoque turbata valde
fuisset eorum naturalis beatitudo.
Ratio autem cur debuerit Angelis
viatoribus Incarnationis mysterium
modo dicto reuelari, desumitur ex
doctrina Angelici Præceptoris 2. 2.
q. 2. art. 7. vbi asserit ad salutem
æternam consequendam necessariā
esse fidem, qua explicitè credatur
Incarnationis mysterium, vt igi-
tur viatores Angeli ad patriam su-
pernaturalis felicitatis pertingerent,
oportuit eos tali actu fidei non ca-
ruisse, & consequenter prædictum
Incarnationis mysterium eis fuisse
reuelatum, quod & docet S. Tho.
ar: nunc cit: ad 1. Tum etiam quia
vt docuimus in tract. de Incarnat:
Chri-*

Christus Dominus nedum omnium hominum, verum etiam omnium Angelorum est caput, est autem apprimè rationi consonum in membris intellectualibus inferioribus ponere notitiam proprij capit, quod & euidentius innotescet ex ratione pro prima assertione tradenda.

24: Ex quo etiam apertè sequitur hanc eandem reuelationem mysterij Incarnationis, non expressa eius causa materiali, nempe originali culpa, factam fuisse Adamo, quia respectu huius militant eadem prorsus rationes, imo & validius, cum omnino certum sit, Christum Dominum in omni prorsus rigore fuisse omnium hominum caput. unde hoc ipsum docuit Angelicus

s. Tho. Doctor 2 - 2 . q. 2. ar. 7. citato his verbis. *Ante statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi Incarnatione, secundum quod ordinabatur ad consummationem glorie, nō autem secundum quod ordinabatur ad liberationem à peccato per passionem, & resurrectionem, quia homo non fuit praescius sui peccati futuri.* Videatur ibi, assignat enim verba Sacrae Scripturæ, in quibus hæc reuelatio contineri videtur. Et sanè eiusmodi reuelatio in eximiam Christi gloriam cædit, vnde est adstruenda, præsertim cum nullum prorsus inde sequatur inconueniens.

Communi ex hac doctrina deducitur, reuelatam fuisse & Angelis, & Adamo Beatissimam Virginem Matrem eiusdem Christi Domini; Tum quia ipsa pertinebat ad Incarnationis mysterium explendum. Tum quia, cum ea fides debuerit esse explicita, oportuit talem notitiam non fuisse confusam, solumque exceptam fuisse causam materialem, nempe peccatum propter adductam rationem. Tum rursus quia congruentissimum erat subdi-

tis reuelari eorum Reginam, ac Dominam, qualis est Beatissima Virgo, quam ab ipsis oportebat recognosci, vt sic etiam gloriæ Sanctissimæ Virginis, quantum sine ullo incommodo fieri potest consulamus. Et nota, hanc reuelationem notificasse Angelis, & hominibus hanc faminam paritaram Christum Dominum absqueulla læsione purissimæ Virginitatis, & consequenter non oportuit S. Ioseph eos habuisse reuelationem, hic enim solummodo supposita originali culpa aliquo modo pertinuit ad mysterij Incarnationis executionem, quatenus idcirco despontatus est Virgini, vt partus eius celaretur Diabolo iuxta dictum S. Ignatij Martyris, & ne lapidaretur à Iudeis tanquam adultera, & alias ob causas, quæ omnes culpam originalem supponunt.

25. Ex his etiam infertur, quod loquendo de Angelis viatoribus, & Adamo in statu Innocentiae existentibus, non opus fuerit cognosci Virginem vt ab Originali præseruatam, cum originalis culpæ nullam pro tunc habuerint reuelationem: sed an post Angelorum, & Adami lapsum ab eisdem Angelis, Adamo, & reliquis Prophetis, quibus Virgo fuit reuelata, cognita fuerit vt contrahens in primo instanti conceptiois labem originalem, seu vt ab illa omnino præseruata, habendo tamen debitū contrahēdi id omnino statui non potest, cum haec tenus non sit tanquam de fide definitum eam, nullo modo in propria persona labore originali fuisse infectam: nobis tamen docentibus, nullatenus originali fuisse fædatam, tenendum, reuera reuelatam fuisse Virginem vt præseruatam ab illo, cum debito tamen eam contrahendi, quid autem eiusmodi debitum importet, non est præsentis loci examinare, satis erit pro nunc dicere eiusmodi debi-

debitum nullam in Virginis propria persona ponere pæccati maculam, de quo nemo ambigit; sicut etiam nullus omnino dubitat, Sanctissimam Deiparam immunem fuisse ab omni personali, seu lethali, seu veniali culpa. De quibus suo loco. Neque doctrinæ haec tenus traditæ contrarij sunt Sancti Patres negantes Beatam Virginem reuelatam fuisse Angelis viatoribus: sunt enim exponendi de reuelatione, per quam ipsis omnino in particulari hæc Virgo innotuerit: nam si hoc modo eam nouissent, vtique & originale præcognouissent. Videatur P. Suar: tom: 2. in 3. par: disp: 22. sec: 1.

P. Suar. Ut autem decerni possit, quænam adorationis species Deipare sit exhibenda sciendum, posse nos eandem Virginem in triplici statu considerare. Primus sumit initium ab eius purissimæ Conceptionis instantे, usque ad Verbi Diuini conceptionem, pro tunc enim actualiter adhuc non erat Mater Dei, cum Christum non concepisset; siquidem relationes secundi generis, ut dictum est in Logica habent proportionem generationem: in hoc ergo statu habuit eam Sanctificantis gratiæ copiam, quæ ipsam in Dei Matrem præparabat. Secundus exordium habet à conceptione Christi usque ad eius mortem, & triumphalem Assumptionem in Cælum, & quoad animam, & quoad corpus exclusiū tamen. Tertius est ille, quo nunc gaudet in Empireo, qui, ut constat, statum Matris Dei includit eique supernaturalis Beatinudinis statum superaddit. His positis.



§. I I.

*Ponuntur duæ prime assertiones,
& ratione probantur.*

26. **D**icendum est primo, Beattissimam Virginem fuisse ab initio mundi tum ab Angelis viatoribus, tum ab Adamo in statu Innocentiae adorata: ea adoratione, de qua in duabus sequentibus assertionebus. Hæc assertio quāvis expressè nō inueniatur in D. Tho: uidetur tamen omnino consona eius principijs, hoc ipso enim quod doceat Angelis, & Adamo Innocenti reuelatum fuisse Incarnationis mysterium, adeoque eos habuisse fidem explicitam in Christum Dominum ut gloriæ consummatorem, satis aperte inde sequitur, eos adorasse Christum uenturum; nam ut docet idem S. Doctor 2. 2. q. 101. art. 3. ad 1. Religio (cuius est adorationis actum erga Christum elicere) est quedam protestatio Fidei, Spei, & Charitatis, quibus homo primordialiter ordinatur in Deum: ex quo rursus sequitur adorationis actum erga Beatissimam semper Virginem eliciisse, ut ex ratione mox ponenda cūdientius fiet, idem docet P. Suar: loco citato.

Probatur nunc ratione in hūc modum Angeli viatores, & idem intellige de Adamo Innocente, adorauerunt Christum ut futurum gloriæ consummatorem, sed hoc ipsum præstiterunt per aliam adorationem proportionatam erga Sanctissimam Virginem, ergo Beata Virgo ab initio Mundi fuit adorata. Maior probatur ex illo Apost: ad Heb. 1. dicentis. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terra dicit, & adorent eum omnes Angeli eius,* In his autem verbis vtique Apostolus

Ius loquitur de Incarnatione Verbi Diuini , adeoque de Christo ut exponit S. Ioa : Chrysostomus relatus à D. Tho: lec: 3. in eundem locum, Christus autem ordine intentionis omnino præcedit reliquas creaturas, vnde de ipso reuelato tanquam consummatore gloriæ verificatur illud, & adorent eum omnes Angeli eius, nedum comprehensores , verum & viatores , quos in prædicto ordine intentionis præcedebat , quod luculentiter docuit S. Doctor lectione ad-

S. Tho: ducta cum ait: *Cum iterum introducit eum, scilicet istum primogenitum, & assumptum ad unitatem personæ, quia non sufficeret dicere, quod introducitur, nisi dicatur qualiter introducatur, quia non quasi unus de mundo, nec sicut Angeli, sed super omnes.* Ideo dicit adorent eum omnes Angeli eius . Tum etiam quia sicut viatores Angelii habuerunt præceptum eliciendi actum fidei Theologalis erga Christum Dominum, ita & probabilissimum omnino est, habuisse præceptum adorandi ipsum, si enim adoratio vt vidimus ex D. Tho: à Religione elicita, est quædā fidei Theologalis protestatio , vtique pertinet quodammodo ad complementū actus fidei , quam actu adorationis protestatur , adeoque obiectm adæquatū eius præcepti fidei, si omnino completere sumatur claudit etiam & adorationis actum, quem Religio ex imperio eiusdem fidei elicuit .

Minor suadetur ; nam supposita reuelatione futuræ Virginis Deiparæ eadem proportionalis ratio persuadebat Angelis Virginem adorare ; siquidem sicut Christus Dominus adorabatur ab eis tanquam supremus eorum Dominus , ac Rex: ita & Virgo Beata , quæ corundem futura erat Domina, & Regina , vnde consonum rationicerat , vt eam pariter ratione huius excellentiæ creatæ , & ad ordinem hypostati-

cum pertinentis proportionata adoratione venerarentur . Imò omnino probabile videtur habuisse præceptum eandem adorandi Virginem, sicut & de adorando Christo Domino illud habuisse ostendimus; nulla enim in adstruendo eiusmodi præcepto datur repugnantia , aliunde autem gloriæ Virginis, ipsum ponēdo, consulimus, quod omnino præstandum est , cum Virginis gloria tandem redundet in filium .

27. Confirmatur, & explicatur simul quomodo adstrui possit prædicta adoratio etiam independenter à prædicto præcepto positivo . Scito igitur , quod supposita institutione, & ordine à Deo stabilito de vnione hypostatica Verbi ad humanam, naturam adfuit Angelis naturalis quædam obligatio , independens à quocumque præcepto positivo, quatenus tenebantur Christum Dominum adorare : Apostolus enim ad Hebr: 2. exposuit de Christo illud Psal: 8. *Gloria, & honore coronaisti eum, & constituiisti eum super opera mannum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius addit ergo Apost: In eo quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum.* Omne igitur creatum Christo supremo Domino est subiectum , & hoc nedum quantum ad eius Diuinitatem , verum & quoad humanitatem assumptam , vnde & Angeli creaturarum supremi eandem habet subiectionem , & consequenter naturale debitum adorandi Christū ratione eius excellentissimi Dominij, quod est propria ratio formalis terminandi adorationem , vt ex dictis est manifestum . Quam doctrinam mirificè illustrant verba Angelici Præceptoris lec: 2. in cit. cap: quæ talia sunt . *Diffrert autem honor à gloria, sicut effectus à causa.* Est enim honor reverentia exhibita in testimonium excellentiæ , vnde est testificatio bonitatis eius . *Honor ille est*

est, ut omnis creatura reuereatur ipsum sicut & Patrem. Ioa: 5. ut omnes honorificant filium sicut, & Patrem. Et post aliqua subdit. Christus in quantum Deus non est constitutus, sed natus, sed constitutus est in quantum homo. Et dicit sub pedibus eius, id est, humanitate, vel cum omnimoda subiectione. Quare fuisse eiusmodi naturale debitum adorationis, ex supra-ma huius dominij ratione, ut probabile tuerint N. Salman: trac: de Ang: disp: 10. n. 81: sequuti P. Suar: lib. 7. de Malis Ang: cap: 13. à num: 30. vsque ad 33. Ex qua doctrina sequentem efformamus confirmationem.

28. Omnino probabile est independenter à quocunque positiuo præcepto, Angelos viatores habuisse naturalem obligationē adorandi Beatissimam Virginem, ergo hæc adorata fuit à mundi initio. Antecedens probatur, cum enim adoratio dicat submissionem adorantis ad personam adoratam, & Beata Virgo ratione maternitatis Dei sit Domina, ac Regina omnium prorsus creaturarum, non oportuit ponи præceptum positiuum de ea adoranda, cum ex natura huius Dominij illi debeatur, eodem modo ac Christo, quamvis non eadem suprema adorationis species. Eo vel maximè quia Christo homini debebatur prædicta adoratio ratione vñionis ad Verbum Diuinum, adeo que quatenus pertinebat ad ordinem hypostaticum, cum igitur ad hunc eundem ordinem Beata Virgo pertineat, quamvis non ita perfecte, sicuti humanitas Verbo vñita, utique inde sequitur etiam respectu Virginis dari hanc naturalem obligationem ligantem omnes creaturas, ac imponentem illis debitum eam adorandi independenter ac omni præcepto positiuo. Consequētia liquet; cum enim Angeli omnes

*Salman:
P. Suar.*

pro primo saltem instanti peccare non potuerint, vt suo loco ostensum est, omnes pro illo huic naturali obligationi satisfecerunt: quod tamen non est necessarium, nam satis est aliquos nempe bonos satisfecisse eidem debito, adhuc enim uerificatur Virginem ab initio creature fuisse adoratam.

Confirmatur rursus: quoties ex natura alicuius ordinis datur obligatio exercendi aliquem actum, non est ponendum positiuum præceptum de eodem actu exercendo, sed ex ipsa natura ordinis, ad quem Beata Virgo pertinebat, orta fuit in Angelis viatoribus obligatio adorandi Beatam Virginem, ergo non oportuit ponи præceptum positiuum de illa adoranda, sed ex ipsa excellentia ordinis, ad quem Virgo pertinebat, tenebantur Angeli eam adorare independenter à quocunque præcepto, adeoque eam adorarunt. Maior videtur certa, quia obligatio orta ex natura rei strictius obligat, quam ea, quæ oritur præcisè ex præcepto positiuo. Vnde S. Tho: 2. 2. q. 154. ar. 12. ad 2. assignans rationem, cur peccatum contra naturam sit grauior sacrilegio, quod opponitur præcepto positiuo sic ait. Dicendum quod etiā vitia cōtra naturam sunt contra Deum ut dictum est: & tanto sunt grauiora, quam sacrilegij corruptela, quanto ordo naturæ humanæ inditus est prior, & stabiliior, quam quilibet aliis ordo superadditus. Cum ergo ordo ex natura rei ortus sit firmior, utique strictius obligat; posita igitur obligatione ex natura rei superfluit præceptum positiuum, quod minus strictè obligat, & respicit prorsus eundem actum, ac finem. Minor constat ex dictis; Consequentia liquet ex præmissis.

29. Dicendum est secundo Bea-tissimam

tissimam Virginem consideratam in statu præcedenti ad Conceptiōnem Verbi Diuini adorabilem fuisse solum adoratione duliæ communī omnibus Sanctis: & pro eodem statu eadem adoratio fuit illis ab Angelis viatoribus, & consequenter ab alijs adorata . Hęc secunda assertio-
nis pars apertè sequitur ex prima, nam talis debuit esse ea adoratio, qualis erat excellentia, quæ in Beata Virgine pro eo statu reperiebatur si-
quidem oportuit, adorationem cum excellentia, quæ est ratio formalis terminandi adorationem, esse pro-
portionatam, de quo nemo dubitat. Nunc quoad primam partē expre-
sē docetur à S. Tho: in 3. dis: 9. q.

s. Tho. 2. a. 2. quæstiōnē: 3. in corp; his ver-
bis. Ad tertiam questionem dicendum,
quod cum Beata Virgo sit per se que-
dam persona agens, ei debetur honor
per se; unde alia adoratione adoratur,
quam filius eius: unde non potest ador-
ari latria: sed dulia: quia tamen non
solum adoratur ratione sui, sed etiam
ratione filij, ut Mater Dei: ideo in
quantum pertinet ad Christum, hono-
ratur hyperdulia Ecce Sanct. Thom:
tribuentem Virginis adorationem
hyperduliæ, secundum quod est
Mater Christi, at verò illi secundum
se, non quidem ut spectanti ad or-
dinem naturæ, ut patet; sed gratiæ
sanctificantis, adorationem dum-
taxat dulia, quæ omnibus Sanctis
est communis. Alios authores non
vidimus sic distinguentes, vnde non
adducuntur.

Probatur ratione Beatissima Vir-
go considerata pro eo statu, quo
antecedebat actualem Verbi Diuini
conceptionem, actu non habebat
aliquid, formaliter spectans ad or-
dinem hypostaticum, ergo prout sic
adoranda erat tantummodo adoratio-
ne simplicis dulia. Antecedens sua-
detur, quia id quod in Beata Vir-
gine formaliter spectat ad ordinem

De Adorat. Sanct. & SS. Virg.

hypostaticum est dumtaxat ratio
proxima fundandi maternitatis Dei
relationem, & maternitas ipsa, vt
satis est ex se manifestum: constat
autem neutrum istorum reperiri in
Virgine pro eo statu, de quo lo-
quimur, pro quo nemo posset, ean-
dem Virginem Dei Genitricem ap-
pellare. Consequentia liquet, tum
ex verbis D.Tho: nunc relatis: tum
etiam quia hanc hyperduliæ adora-
tionem reseruamus dumtaxat ex-
cellentiae pertinenti ad ordinem hy-
postaticum, vt constat ex dictis su-
pra de adoratione humanitatis
Christi, vt præscindentis una cum
vnione à persona Verbi Diuini

30. Confirmatur, & declara-
tur magis ratio adducta ex doctri-
na, quam tradit Angelicus Doctor
3. p. q. 27. a. 3. Beatissima Virgo
pro eo tempore, quo Verbi Diuini
Conceptionem antecedebat, ne-
dum habebat rationem fundandi
proximam, respectu relationis ma-
ternitatis Dei, ergo pro eo tempo-
re adhuc non erat adorabilis ado-
ratione hyperduliæ, sed dumtaxat
duliæ communis omnibus Sanctis.
Antecedens suadetur, & explicatur
breuiter aduertendo, rationem
fundandi proximam respectu ma-
ternitatis Dei fuisse, & miraculo-
sam conceptionem, & rursus sancti-
ficationem illam, per quam iuxta
sententiam S. Thomæ (loco addu-
cto) subtractus omnino fuit Virginis
fomes, qui in prima eius concep-
tione solūmodo ligatus fuerat: Et ra-
tio est, quia sicut ad relationem
maternitatis, ut sic requiritur tan-
quam ratio fundandi conceptio fi-
lij: ita ad relationem maternita-
tis omnino supernaturalis, & hy-
postatici, seu Diuini ordinis exigitur
prorsus miraculosa conceptio,
quę vt omnino connaturaliter com-
peteret Virgini, oportuit eam præ-
parari, ac disponi per eam gratiam

Sanctificantem, quæ somitem omnino subtraheret. Constat autem, hæc duo non habuisse Virginem, nisi eo tempore, quo Verbum Divinum concepit. Consequentia liquet nam eiusmodi hyperdulie adoratio solum debetur Virgini, ut pertinenti ad ordinem hypostaticum: maximè quia eo tempore præcedenti ad conceptionem Verbi Divini, gratia Virginis non habebat infinitatem aliquam, quod tamen requiritur, ad excedendum simpliciter gratiam, alijs Sanctis communem, adeoque ad terminandam excellētissimam adorationem, quam potest terminare pura creatura, quæ est hyperdulia: & hoc ideo quia ea infinitas, quæ conuenit gratiæ Virginis solum competit ex eo, quod est gratia Matris Dei, ut talis, prout videri potest apud D. Tho: p. p. q. 25 a. 7.

Notandum tamen, quod etsi propter ea, quæ haec tenus diximus, Beata Virgo pro tempore ad conceptionem Verbi Divini præcedenti non habuerit excellentiam excedentem adorationem dulie; adhuc tamen in hoc ordine primum omnino locum tenuit. Tum quia per priam sanctificationem per quam ligatus est fomes, accepit gratiam, excedentem gratiam omnium hominum, & Angelorum, talis enim gratiæ libertas præparabat Virginem ad futuram Matris Dei dignitatem. Deniq; quia per eandem gratiam, ita confirmata est in bono, ut ablata fuerit ab illa proxima potestas venialiter peccandi, quæ fuit confirmatio in gratia omnino singularis ac priuilegiata, nulli unquam Sanctorum concessa. Vnde non improbabiliter dici posset, quod ad modum eiusmodi adorationem dulie excedere adorationem Dulie Sanctorum, quamvis quoad speciem, adeoque simpliciter loquendo,

cum adoratione conueniente alijs Sanctis vniuoce omnino conuenerit, quod in præsenti intendimus.

s. III.

Ponitur tertia conclusio, & ratione probatur.

31. **D**icendum est tertio, Beatissimam Virginem Dei Matrem, & etiam prout nunc in Cælo existente, adorabilem esse, ac de facto adorari adoratione hyperdulie. Hæc assertio, quoad utramque partem docetur à D. Tho: in 3. s. Tho. dist: 9. q. 2. a. 2. quæstiu: 3. in corpore, cuius verba dedimus conclusione præced; & dicimus quoad utramque partem, nam etiam nunc in Cælo gaudet dignitate Matris Dei, & ratione Beatificæ visionis non exigit excellentiorem aliquam adorationem. Id ipsum docet S. Doctor 2. 2. qu. 103. art. 4. ad 2. Et uideri ibidem potest Caiet: S. in respons. ad 2. & hæc est communis Theologorum sententia. Solum breuiter quoad primam illius partem notandum, non sumi dignitatem Matris Dei, ut præscidentem ab eius gratia sanctificante, de hoc enim dicetur dub: sequenti, sed loquimur de eadem dignitate, sumpta simul cum gratia Sanctificante propria Matris Dei.

Probatur ratione desumpta ex S. Tho: 2. 2. loco nunc citato. Beatissima Virgo, ratione dignitatis Matris Dei, habuit quandam cum eodem Deo affinitatem, sed ratione huius affinitatis debetur Virginis adoratio Hyperdulie, ergo Beata Virgo Mater Dei adoranda est adoratione hyperdulie. Maiorē probat Caietan. (loco citato) quia coniunctio secundum carnalem consanguinitatem ad humanitatem assumptam à Verbo

Verbo Dei, vocatur affinitas ad Deum: ita quod consanguinei Christi, in quantum homo, sint affines Dei ea ratione, qua Deus Deitatis est nomen, quod nulli est consanguineū. Hæc autem affinitas ad Deum, propriè sumpta soli competit Virginī, quæ sola fines Deitatis propria operatione naturali attigit, dum Deum concepit, peperit genuit, lacte pauit. Minor suadetur quia talis consanguinitas, seu affinitas est eiusdem ordinis cum eo, cum quo immediatam prorsus dicit coniunctionem, nempe cum humanitate, vniione hypostatica, & creata affecta, vnde cum ea humanitas, propterti modo substantiali vnyonis affecta, hyperdulia adoretur, ut supra vidimus, sequitur eandem hyperdulia adorationem Virginī esse tribuendam, cum hęc saltem ministrando materiam, aut etiam, ut alij volunt, instrumentaliter actiū attigerit vniōnem hypostaticam. Consequentia liquet ex præmissis.

32. Confirmatur, & explicatur magis hoc ipsum. Dignitas matris dicit quandam superioritatē respectu filij à se geniti, ergo adoranda est eadem adoratione, qua adoratur filius, ut spectans ad eundem ordinem creatum cum matre, ergo adoratione hyperdulia. Antecedens constat, tum ex ijs, quæ in humanis contingunt. Tum ex præcepto decalogi dictantis, habendos esse in honore parentes, quod præceptum nouerunt quæcumque barbaræ gentes, ex solo ductu luminis naturalis rationis. Tum demum ex illo Lucas 2. vbi de Christo Domino, in ordine ad Beatam Virginem, & S. Ioseph dicitur, *Et erat subditus illis.* Prima consequentia videtur omnino per se nota, adeoque etiam, & secunda. Ex hac tamen, quam diximus superioritate, non est, cur aliquis inferat, excellentiorem ado-

De Adorat. Sanct. & SS. Virg.

rationem debitā esse Virginī, quam humanitati, vt affectæ hypostatica vniōne, etiam præscidente à Persona Verbi, quia ex alijs capitibus, humanitas, simul cum vniōne Beatam Virginem, etiam ut Dei Matrem excedit, ut est satis per se notū.

Confirmatur rursus hoc ipsum. Ideo humanitas, simul cum vniōne præscidente à persona Verbi adoratur adoratione hyperdulia, quia dicit immediatum respectum ad Verbi Diuini Personam, sed hunc eundem respectum, proportione seruata dicit etiam Mater Dei, ergo Beata Virgo Mater Dei adoranda est adoratione hyperdulia. Maior liquet ex dictis. Minor probatur, quia relatio maternitatis immediatè terminatur ad Christi suppositum, quod extrinsecè denominatur ab eadem relatione: & idcirco, nisi obstat Diuini suppositi omnimoda immutabilitas, vere datur in isto alia relatio intrinsecè illum afficiens, & coreferens ad Beatam Virginem; quod tamen non obstat, quo minus relatio maternitatis immediatè attingat personam Verbi, eam extrinsecè denominando, & consequenter reuadatur ex parte Virginis intrinsecus omnino respectus ad eandem Verbi Personam: quod etiam contingit in vniōne hypostatica, quamvis diuerso modo, eo quia Persona Verbi est intrinsecus terminus humanitatis, ut dicentes vniōnem, id tamen non obesse, iam supra, agentes de adoratione humanitatis, ut affectæ vniōne ostendimus, quare nihil in præsenti addendum duximus.

33. Probatur secundo conclusio ratione desumpta ex doctrina S. Th. p. p. q. 25. ar. 7. sèpè citato, ad 4. Vnde in hunc modum efformatur ratio; Beatissima Virgo secundum quod est Mater Dei, dicit dignita-

tem quandam infinitam, sed ratione huius infinitæ dignitatis promeretur adorationem hyperdulicæ, ergo Beatissima Virgo Mater Dei adoranda est adoratione hyperdulicæ. Maior constat, tam auctoritate San-

s. Tho. At Thomæ id expressè assertis his verbis. *Beata Virgo ex hoc quod est Mater Dei dicit dignitatem quandam infinitam, ex bono infinito, quod est Deus, & ex hac parte non potest fieri aliquid melius.* Quam etiam ratione, in his verbis contenta, & quæ rursus ex dictis, sic potest explicari; ut vidimus; Beata Virgo attigit fines Deitatis, & ex hac boni infiniti attingentia, redundauit in ipsam dignitas quædam infinita, nam supremum infimi attingit infimum supremi, supremus proinde Deus, qui est in omni genere infinitus, vtique redundet in Virginem dignitatem quandam infinitam: sicuti & eam refundit in humanitatem, quam intrinsece terminat, vt ibidem dicit S. Tho: id enim est attingere infinitum supremi, cum ex hac attingentia non habeatur in Virgine infinitas in omni genere, nec physica, sed moralis dumtaxat, loquendo de eo quod præcise tenet se ex parte Virginis, nam planum est, ex parte termini extrinseci dari infinitam in omni prorsus genere.

Tum etiam, quia infinitas moralis dignitatis à nemine negatur possibilis in creatura, vt de creata Christi satisfactione omnes, aut fere omnes Theologi fatentur: *Vnde fit, quod si est possibilis, vtique in ea creatura est admittenda, qua Deus meliorum facere non potest;* & consequenter erit adstruenda in Matre Dei, qua Deus aliquid melius facere non potest.

Minor probatur: quia Sanctitas Matris Dei, ratione huius moralis, & infinitæ dignitatis fit simpliciter diuersi ordinis à Sanctitate omni-

bus alijs puris creaturis communi, nam infinitum morale simpliciter est diuersi ordinis à eo, quod finitum moraliter simpliciter est: adeoque quantumuis aliorum Sanctorum gratia augeretur, ultra gradum physicæ intensionis, qui gratiæ Virginis Matris Dei competit, non inquam tamen ad hanc dignitatem simpliciter moraliter infinitam, pertingere posset: ea enim habetur ex immediato respectu ad bonum infinitum, quod est Deus, modo eo peculiari, qui aut Matris Dei, aut humanitatis Christi, solummodo est proprius, posito autem, quod Sanctitas Matris Dei sit moraliter simpliciter diuersi ordinis, videtur omnino manifestè sequi, exhibenda illi esse hyperdulicæ adorationem, quæ Duliam communiter, seu genericè sumptam ad perfectissimam speciem euehit. Tum denique, quia si ex hac infinita dignitate oritur, vt Deus non possit facere aliquid melius Matre Dei, vt optimè intulit Angelicus Doctor; iam Mater Dei adoranda erit perfectissima prorsus adoratione, quæ possit creaturis excellentibus exhiberi, quæ utique est hyperdulia, inter latriam soli Deo reseruatam, & simplicem duliam medians.

Confirmatur, & declaratur; Sanctitas propria ordinis hypostatici mediat inter Sanctitatem per essentiam, seu Diuinam, & Sanctitatem merè supernaturalem, sicut hyperdulia mediat inter latriam soli Deo debitam, & communem Duliam, Sanctitati merè supernaturali respondentem, sed Sanctitas Matris Dei est Sanctitas ordinis hypostatici, ergo illi exhibenda erit adoratio hyperdulicæ. Maior quoad primam partem probatur, nam Sanctitas Diuina dicit infinitatem simpliciter in ordine physico, sub qua immediate continetur Sanctitas præcise digni-

dignitatis, quæ moraliter tantummodo infinitatem importat, & quam non dicit Sanctitas pure supernaturalis, erit igitur medium locum tenens in ordine Sanctitatis. Quoad secundam verò constat ex sèpè dictis. Minor probatione non indiget. Vnde cōsequentia est manifesta.

§. IV.

Soluuntur aliqua, quæ militant aduersus hanc rationem.

34: **I**N secundam hanc nostram rationem obijci possunt aliqua, quibus oportet occurrere, vt eius efficacia evidentius innotescat. Primò itaque dicitur, quod S. Tho. loco adducto p. par. quæst. 25. art. 7. ad 4. eodem prorsus modo loquitur de humanitate Christi, & Dei Matre, ac de Visione Beata, ait enim, *Dicendum, quod humanitas Christi, ex hoc quod est coniuncta Deo, & beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio Dei, & Beata Virgo, ex hoc quod est Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est Deus, & ex hac parte, non potest aliquid fieri melius eis.* Ex quo arguitur, nam iuxta D. Tho: eandem infinitatem ex bono Dei infinito desumunt humanitas Christi, Mater Dei, & visio Beata, & tamen Sancti gaudentes visione Beata non exigunt adorari adoratione hyperduliae, vt omnes fatentur, ergo male nos ex tali infinitate deduximus, Matrem Dei exigere adorationem hyperduliae.

Respondeatur negando maiorem huius obiectionis, ad eius verò probationem, quæ ex verbis S. Thom: desumitur, respondeatur, loquutionem S. Doctoris intelligendam esse per sensum accommodum, hoc est, seruatis naturis rerum, de quibus in ea responsione est sermo, adeoque,

non asserit, in ijs tribus reperiti equalē infinitatem, nam intra ordinem hypostaticum, supraēa competit humanitati Christi, & simpliciter loquendo Matri Dei, visioni tamen beatæ, quæ est infra hunc ordinem, ad summum potest infinitas secundum quid competere, adeoq; simpliciter inferior ad eam, quæ competit Matri Verbi Diuini, Et ratio huius est, tum quia quamvis in visione beata, essentia Diuina immediatè vniatur cum intellectu beato, vnitur tamen præcisè in ordine intelligibili, seu intentionali, qui secundum se est orde diminutus, si comparetur ad ordinem naturalem. At humanitas Christi, ratione cuius, Beata Virgo, vt Mater Dei habet cum isto affinitatem, dicit vniōem in esse naturali, quatenus ex eius purissimis sanguinibus fuit concepta: & rursus quatenus humanitas illa, vt terminata per personam Verbi in esse naturali, in eius visceribus, nouem mensum spatio extitit. Maximè verò quia essentia Diuina vnitur solum immediatè cum aliqua potentia proxima, nempe cum intellectu, qui est accidens: at prædicta humānitas substancialiter vñita est cum Beata Vitgine, ministrante materiam substancialē. Vnde optimè dixit S. Tho: prim. par. quæst. 113. art. 5. ad 3. quod, *Puer, quandiu est in materno Vtero, non totaliter est à Matre separatus, sed per quandam colligationem est quodammodo aliquid eius, sicut, & fructus pendens in arbore est aliquid arboris:* constat autem, quod fructus separatus ab arbore, retinet adhuc illud substancialē, quod ab arbore accepit: ita & humanitas Christi, separata à Matre, adhuc retinet illud substancialē, quod à Matre acceperat, vnde inter Christum, & Virginem fuit plus quam vno in aliquo accidenti, & illud

illud substantiale, quod fuit Virgini, nunc in Christo terminatur per Personam Verbi, quod est aliquid amplius vnione, quæ est in visione Beata.

35. Tum etiam, quia separato intellectu à clara Dei visione, nulla remanet relatio nec tens hominem, qui fuit Beatus cum essentia Diuina: ceterum separato Filio à Virgine, perpetuo perseverat relatio Matris ad Filium, adeoque & ad suppositum Diuinum, quod non aliunde oritur, quia facta separatione, adhuc aliquid de substantia, quæ fuit Matris, remanet in filio, & consequenter colligatio inter matrem, & filium est firmior, ac stabilior, & consequenter perfectior, quam sit præcisè ea, quæ habetur per visionem Beatam.

Adde S. Thom: non dixisse, Beatitudinem supernaturem dicere, dignitatem quandam infinitam, secundum quod est visio Dei, sed secundum quod est fruitio, est autem hoc discrimen, inter visionem, & fruitionem, quod cum fruitio sit actus voluntatis non possidet, sed omnino possidetur ab obiecto, unde infinitas, quæ est in fruitione Dei, est tanquam in subdita, non verò, ut in superiori, & Dominas at infinitas, quæ est in Matre Dei, est tanquam in dicente superioritatem, respectu filij, & consequenter excellentior illa, quæ est in Dei fruitione. Neque inde arguendum à fortiori, eandem infinitatem ponendam in visione, quæ possidet Deum: nam talis possessio solum spectat ad ordinem physicum, quia tantum possidet summum bonum sub formalissima ratione veri, quæ est propria ratio formalis obiecti intellectus: à verò autem sub ratione veri, non habetur moralis dignitas, quæ à bono sub ratione boni, formaliter ortum dicit.

Vrgebis tamen aduersus id, quod primo loco diximus, nam per visionem Beatam non sicutur, præcisè in Deo, vt spectante ad ordinem intentionalem, seu intelligibilem, sed etiam per illam tangitur Deus quoad suum esse reale, & physicum: ita ut si per impossibile Deus non esset physicè præsens intellectui beato, ratione illapsus, & immensitatis: vi vnonis, qua vnitur tanquam obiectum cum intellectu beati media visione, esset in illo realiter, & secundum propriam substantiam. Ita docent N. Salman: tract. de ^{Salman.} Beatitud: disp. 1. n. 66. Respondeatur, concedendo hanc doctrinam, ex qua tamen non sequitur aliquid contra nostram rationem, nam inspicienda est ratio formalis, & primaria vnonis, repertæ in visione beata, & quia hæc pertinet præcisè ad ordinem intentionalem, seu intelligibilem, propterea omnis alia præsentia inde secuta, regulanda est per hanc primariam rationem vnicandi, quam ostendimus, esse inferiorem. Et ratio huius videtur manifesta, non enim adest aliud fundatum huius præsentia, respectu Beati, nisi prædicta vno cum essentia Diuina, vt gerente munus speciei intelligibilis, unde per hanc erit regulanda, ac pensanda perfectio talis præsentia.

36. Secundò obijcies aduersus id, quod in nostra ratione dicitur, nempe ordinis hypostatici perfectiones esse simpliciter superiores ad eas, quæ præcisè spectant ad ordinem supernaturem, huiusmodi sunt gratia Sanctificans, & virtutes eam comitantes: videtur enim, id esse falsum, quod in hunc modum ostendi potest; Si pertinentia ad ordinem hypostaticum essent simpliciter superiora perfectionibus merè supernaturalibus, id maximè continget ex eo, quod immedia-

tè Deum in seipso attingunt, sed hoc ipsum competit supernaturalibus perfectionibus, ergo istæ non sunt simpliciter inferiores ijs, quæ spe-
ctant ad ordinem hypostaticum. Maior videtur certa ex dictis, nam ex hac attingentia redundat in illa quædam infinitas moralis, ut dixit S. Tho: Minor suadetur, quia cum essentia supernaturalis perfectionis, ut talis sit in eo, quod sit parti-
cipatio perfectionis Diuinæ, secun-
dum modum proprium, quo est in Deo, vtique perfectio, hoc ipso quod supernaturalis, poterit attin-
gere Deum immediate, ac prout est in se; quod rursus probari posset inductione, nam Charitas, & lu-
men gloriæ, reuera Deum, hoc mo-
do, attingunt.

Confirmatur, nam gratia Sancti-
ficans videtur perfectissima prorsus creatura, cum sit formalis partici-
patione nobilissimi prædicati, in Deo existentis, nempè naturæ Diuinæ, ergo saltem, respectu gratiæ Sancti-
ficatis non dabitur talis excessus in perfectionibus ordinis hypostatici.

Respondetur, maiorem adductæ obiectionis esse veram, non de qua-
cumque immediata attingentia, sed de ea, quæ omnino propria est per-
fectionum pertinentium ad ordi-
nem hypostaticum. Ut verò per-
cipiatur, in quo consistat peculiaris hic modus attingendi Deum in seipso; Sciendum quod gratia, & reliquæ perfectiones supernaturales non attingunt Deum, nisi mediante-
bus actibus nostris, ad quos con-
currunt, & quia actus nostri sunt omnino finiti, & limitati, idcirco tales perfectiones, in modo attin-
gendi, exprimunt omnino esse quid finitum, & limitatum. Ceterum, perfectiones ordinis hypostatici non sic; nam vno hypostatica, quamvis physicè sit finita, tangit immediate personam Diuinam, ut infinitam.

simpliciter, quatenus hæc persona substantialiter, idest per modum termini substantialis, terminat vniōrem, trahitque, ea mediante, humanitatem ad subsistendum per eandem subsistentiam, per quam subsistit relatiuè natura Diuina, atque adeo de illo homine absolu-
tè, & simpliciter prædicatur, quod fit Deus, æternus, infinitus, & similia. Et ratio huius videtur esse, quia Persona Verbi, dum in esse na-
turali humanitati Christi communi-
catur, facit illam subsistere, per modum puri termini, de conceptu autem puri termini est, ut nullo mo-
do finiatur, ac limitetur ab eo fini-
to terminabili, cui adheret; atque adeo in tractatu de Incarnatione, ostendimus, subsistentiam Verbi non habere, nec rationem formæ meta-
physicæ, respectu humanitatis, est enim proprium formæ metaphysicæ componere cum eo, quod constituit seu terminat, adeoque à constituto, seu terminato limitari. Quæ non
contingunt in visione beata; tum
quia essentia Diuina non explicat infinitatem suam in intellectu Bea-
to, cui præcisè quoad esse intelligi-
bile vnitur. Tum quia oportet,
quod se attemperet esse ipsius po-
tentiae proximæ, quæ cum sit acci-
dens, habet dumtaxat esse secun-
dum quid, atque adeo, & capaci-
tatem. Tum demum quia in beatis,
modo minus, modo magis vnitur,
iuxta videlicet quantitatem lumi-
nis, vbi autem est magis, & minus,
ibi splendor formaliter modus vni-
onis finitus. Secus respectu humani-
tatis, cui vnitur maximo modo,
quo potest, ita ut, si cum alia hu-
manitate vniaretur, nec magis, nec
minus posset vniiri. Et hinc forte
etiam oritur, non dari dispositio-
nem præuiam ad vniōrem, cum
persona Verbi, secus ad vniōrem
cum essentia Diuina in ratione spe-
ciei

ciei : non enim communicatio, quæ fit in Incarnatione, habet mensuram aliquam creatam . Vnde dicitur Io: 3. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum Filio . Quem locum expo-
nens S. Tho: 3. part. quæst. 7. art.
11. ad 1. sic ait ; *Alio modo potest re- ferri ad donum , quod datum est hu- manæ naturæ , ut uniatur Diuina Personæ , quod etiam est donum in- finitum . Vnde glossa dicit ibidem . Si- cut Pater plenum , & perfectum genuit Verbum , sic , & plenum , & perfectum est unitum humanae nature . Ex qui- bus omnibus apertè constat , idem dicendum de Maternitate Dei, quæ ad eundem hypostaticum ordinem simpliciter spectat , quamvis non ita immediatè .*

37. At vrgebis attingentia, qua Maternitas Virginis attingit Perso- nā Verbi , ponitur ad positio- nem actus conceptionis , atqui in hoc actu , non minus formaliter ap- paret limitatio , quam in actibus ad quos perfectiones purè supernatu- rales concurrunt , ergo saltem quo- ad Maternitatem , non dabitur mo- dus attingendi infinitus , quem ha- ctenus explicuimus .

Respondetur quod si sensus ma- ioris huius obiectionis sit , poni non posse relationem Maternitatis , non posita conceptione filij , tanquam ratione fundandi conceditur : si ve- rò fuerit eius sensus , quod sic poni debeat ad positionem conceptionis vt quoad modum finitatis conue- niant , negatur , non enim semper finitas , & limitatio rationis fun- dandi , refunditur in relatio- nem . Et hoc , tum quia ad rela- tionem non datur per se motus , adeoque huius finitas non per se re- lucet in relatione , adeoque nec semper . Tum quia resultantia re- lationis non est causa adæquata ra- tio fundandi , tenens se ex parte fundamenti , sed etiam concurrit

terminus: iuxta illud , posito funda- mento , & termino resultat relatio , & quia terminus explicat formaliter infinitatem , vt ostendimus , ideo & hoc ipsum splendere debet in re- latione . Tum demum quia relatio formalissimè sumpta , tota est pro- pter terminum , vnde eius finitas , vel infinitas pésanda est potissimè ex ter- mino , qui formaliter exprimit infini- tatem , vnde & hanc refundit in rela- tionem . Ex quibus habes proprium distinctium perfectionum purè su- pernaturalium , & hypostatici ordi- nis , quod fortè non vbiique offendes . Et per hēc constat ad confir- mationem , de qua etiam infra .

38. Ex hactenus dictis habetur quod in prima huius dubij parte proposuimus , nempe Beatissimam Virginem , à mundi initio semper fuisse adoratam . Eam enim adora- runt Angeli , in primo creationis eorum instante , & rursus in secun- do , in quo propriè fuerunt viato- res , nam ipsis fuit reuelata . Dein- de hoc ipsum præstitit Adam in sta- tu Innocentię , propter eandem re- uelationem ; Alij etiam Patriarchæ , & Prophetæ , quibus in statu natu- ræ lapsæ , simul cum Incarnationis mysterio , eam præcognouerunt . Postea quam autem concepta , & nata fuit , eam pariter , & Angeli ado- rarunt : imo , & animæ omnes San-ctorum in Limbo existentes , qui- bus ad earum solamen credibile est fuisse reuelatam . Sequenti demum tempore , id ipsum præstitere homi- nes viatores , qui eam , vt Dei Ma- trem nouerunt , siue ante , siue post Christi Ascensionem in Cælum : quod constat , tam ex antiquissima prorsus traditione , quam ex tem- plis in eius adhuc viuentis hono- rem erectis , quam etiam ex fæstis in eiusdem cultum institutis , in quo non immoramus , cum Ecclesiastice historiæ id persepe testentur , ac irre-

fraga-

fragilibus argumentis ostendant.
Videatur P. Suar. tomo 2. in 3. par.
cum de Virginis adoratione dispu-
tat, quem etiam infra adducemus.

§. V.

*Referuntur oppositi modi dicendi,
& soluuntur eorum argu-
menta.*

39. **I**N primam assertionem non
videtur militare contraria
aliqua sententia, suppositis ijs, quæ
diximus circa reuelationem myste-
rij Incarnationis, si quæ enim aduersus
hac reuelationem obijci possunt,
ea spectant ad tractatum de Incar-
natione, cum queritur, an Adamo
non peccante, Verbum Diuinum
Incarnatum fuisset, de quo nihil
modo. Quantum verò ad secun-
dam assertionem, sunt contra illam,
primo duo errores extremè opposi-
ti. Horum primus est hæreticorum
dicentium, Beatam Virginem non
esse adoratione aliqua dignam, sed
hunc errorem, iam supra confutau-
mus, cum ostendimus, omnino licitum
esse, Sæctos adorare, est enim, loquendo
de adoratione in cōmuni, eadem
ratio de adoratione Virginis, ac alio-
rū Sanctorum, quapropter nihil quo-
ad hoc se offert dicendum: Secun-
dus error huic ex toto aduersus fuit
Collyridianorum, qui Beatissimam
Virginem adorabant, ut Deum, ei-
que Sacrificia offerebant. Refer-
tur hic error à Sancto Io: Damas:
lib. de hæresib. & à S. Epiphan. hæ-
resi 78. Potest autem sequenti argu-
mento probari.

Videtur quod Ecclesia eandem
supremam latriæ adorationem, ,
quam tribuit Christo, tribuat &
eius Genitrici, ergo adoranda erit
suprema adoratione latriæ. Ante-
cedens, quod tantummodo proba-
tionem desiderat, suadetur, tum
quia Beatissimam Virginem appelle-
rat, propriè loquendo, Matrem Dei,
De Adorat. Sanctor. & SS. Virg.

spem nostram, Matrem Diuinæ
Gratiæ, ac similibus titulis eam ho-
norat, quod etiam præstant non
pauci Sanctorum Patrum: cum au-
tem author gratiæ, & salutis, ac
Deus adoretur adoratione latriæ,
hoc ipsum videtur dicendum de
Matre Dei. Maximè quia Mater est
nomen dicens autoritatem, respe-
ctu filij geniti, adeoque, & digni-
tatem, seu excellentiam. Vnde S.
Tho: in 1. dist. 15. quæst. 2. artic. s. Tho:
vnico ex hoc quod Pater in Diuinis
generet filium, afferit habere au-
thoritatem supra eundem filium;
idemque docet de Patre, & Filio,
quatenus sunt vnum principium
Spirandi Spiritum Sanctum, cum er-
go Virgini attribuatur hoc, quod
est, esse Matrem Filij Dei, vtq; non
videtur ei deneganda ea adoratio,
quæ tribuitur Christo, quæ genuit, &
supra quæ habet matris auctoritatē,
iuxta illud Lucæ 2. vbi afferitur de
Christo, . Et erat subditus illis.

s. Lucas

Respondeatur negando antece-
dens, ad cuius primam probatio-
nem desumptam ex titulo Matris
Dei, dicendum, eam, absolutè lo-
quendo, sic optimè appellari, quia
vt docet S. Tho: 3. par. quæst. 35.
art. 4. hoc ipso quod Beata Virgo
conceperit humanitatem, quæ eo
ipso quod fuit concepta, assumpta
est ad subsistendum subsistentia Di-
uina, in vnitatem Personæ Verbi,
ita vt conceptio non præcesserit
tempore hanc assumptionem, vt-
que omnino absolutè est dicenda
Dei Mater. Inde tamen non infer-
tur, adorandam esse adoratione la-
triæ, quia vt optime docuit idem S.
Doctor, loco nunc cit: ad 2. Beata
Virgo dicitur Mater Dei, non quia
sit mater Diuinitatis, sed quia per-
sonæ habentis Diuinitatem, & hu-
manitatem, est mater secundum hu-
manitatem. Ex quo aperte constat
ad id, quod assertur de auctoritate
matris in filium, nam eiusmodi au-

ctoritas sol um est respectu humanæ naturæ , secundum quam est mater, nec est simile quod affertur de au-
toritate Patris Aeterni in filiū suū; quia ibi est communicatio naturæ Diuinæ , & productio personæ Ver-
bi . Quod verò affertur ex Euange-
lio , in primis nimium probat, quia
hoc ipsum dicitur de Christo, respe-
ctu Sancti Joseph , qui ad eius gene-
rationem nullum præstítit concur-
sum . Deinde dicendum , eam su-
biectionem conuenire Christo , ra-
tione humanitatis , secundum quam
fuit genitus à Virgine .

40. Ad probationem verò, quæ
affertur ex alijs titulis , qui recen-
sentur, dicendū vel eos attribui Vir-
gini ratione concursus, quem habuit
in humanitatem , quæ vbi facta est
subsistens , adeoque homo habet
omnia , quæ in illis continentur .
Vel quia cum Beatissima Virgo sit
supremum infimi , attingit infimum
supremi : vnde sicut corpus cælestis
quia supremum inter infima , nem-
pe corpora , quamvis inanimatum
aliquid vitæ participat , cum pro-
ducat animalia imperfecta , ex par-
ticipatione intelligentiæ motricis :
sic & Virgo honoratur ijs titulis,
propter affinitatem , quam cum Deo
diximus habere , quæ tamen non
est sufficiens ad terminandam latrię
adorationem , cum ea omnia habeat
infimo modo , idest ratione creatæ
simpliciter excellentiæ .

P. Suar

Nisi velis dicere cum P. Suar.
tomo 2. in 3. par. disp. 22. cit: sec:
3. in principio, in aliquibus ex præ-
dictis titulis non verba , sed potius
verborum sensum esse attēendum ,
dicitur enim spes nostra , non quia
sit obiectum spei Theologalis , sed
quia cum sciamus , plurimum eam
intercessione sua apud Deum vale-
re , maximam in ea fiduciam habe-
mus , idemque , proportione serua-
ta , dicendum de alijs . Quod tanto

securius fieri potest , quanto inter
Catholicos , imo & ferè apud om-
nes , nullum sit errandi periculum ,
est enim satis manifestum , eam esse
puram omnino creaturam .

41. Secundus dicendi modus ,
oppositus eidem secundæ , imo &
tertiæ assertioni , est P. Suar. qui lo-
co nunc adducto , distinguit plures
hyperdulias , ita vt aliquam tribuat
viris eximie Sanctis , vt S. Ioanni
Baptistæ , & Apostolis : aliquam
verò aliam excellentiorem Beatæ
Virgini , secundum quod habet gra-
tiam alijs excellentiorem . Demum
eidem Beatæ Virgini ratione digni-
tatis Matris Dei , dicit , exhiben-
dam esse aliam adorationem dulia ,
& hyperdulia specie superiorem ,
vnde videtur , materiam hanc satis
implicare , multiplicando actus , &
virtutes absque sufficienti admo-
dum fundamento , vnde etiam , &
satis dubitanter loquitur , vt videre
est in fine illius 3. sect. Verum quic-
quid sit de hoc , argumentum quo
sibi persuadet Beatam Virginem ob
dignitatem Matris Dei adorandam
adoratione diuersæ speciei ab hy-
perdulia , in quo nobis contradicit ,
quantum ad tertiam assertionem ,
tale est . Dignitas Matris Dei est or-
dine , & specie diuersa à dignitate ,
& excellentia gratiæ sanctificantis ,
ergo adoranda est adoratione spe-
cie diuersa ab adoratione hyperdu-
lia . Antecedens constat , quia est
ordinis hypostatici , qui est specie
diuersus , ac superior respectu etiam
excellentissimæ gratiæ Sanctificantis ,
quæ præcisè pertinet ad ordi-
nem supernaturem . Consequen-
tia liquet , quia actus debent spe-
cie distingui per obiecta formalia .
Cui argumento tantum fudit citatus
author , vt in fine illius sectionis ,
aliam hyperduliam virtutem , superio-
rem ad communem qua putat ado-
rari excellentissimos Sanctos , puta-
uerit

uerit esse ponendam , qua sola Beataissima Virgo vt est Mater Dei adoraretur De quo dubio ultimo huius disputationis dicetur .

Sed dices (inquit citatus Suar:) ergo adoratio S. Petri , propter dignitatem Apostolicam , vel Sancti Ioannis , propter dignitatem Præcursoris erit etiam diuersæ speciei ab adoratione , propter Sanctitatem . Respondet negando consequentiam , & assignat duplarem disparitatem . Prima est , quia tales dignitates præcisè sumptæ , non sunt sufficiens ratio Religiosi cultus , de quo nunc loquimur , sed sunt ministeria quædam , quæ coniuncta cum gratia conferre possunt ad maiorem honorem , seu venerationem . Secunda est , quia prædicta ministeria immediatè ordinantur ad gratiam sanctificantem , vnde & in eodem ordine constituuntur , & propterea tota illa adoratio ad duliam pertinet . dignitas autem Matris Dei in utroque excellit . Sic ille .

42. Respondetur primò quidem directè , soluendo argumentum , deinde ostendendo , disparitates adductas nullas esse , adeoque obiectionem interpositam reuera cunincere efficaciter intentum . Ad argumentum ergo concessso antecedenti , iuxta tamen ea , quæ diximus & fusius dubio sequenti dicentur , negamus consequentiam : hyperdulia enim hoc ipso , quod specie diuersa à dulia communiter dicta , vt iam diximus dub: præced: est omnino proportionata excellentiæ , quæ à perfectione ordinis hypostatici habetur , nam quæcumque excellentia , hoc ipso , quod purè creata , continetur intra rationem formalem obiecti hyperduliae , vt de humanitate Christi vnione hypostatica affeta , & præscidente à Persona Verbi disput. præcedenti ostensum est , quod clarè docuit Angelicus Præ-

De Adorat. Sanctor. & pecul. SS. V.

ceptor 3. par. quæst. 25. art. 5. lo-
quens de Beata Virgine , & quidem
à fortiori id de ipsa , quam de hu-
manitate Christi modo dicto sum-
pta , afferendum , cum inferiori mo-
do ad ordinem , hypostaticum per-
tineat .

Nunc quoad secundum , videtur omnino , quod prima disparitas corruat , cum enim dicitur , tales dignitates non postulare peculiarem aliquem Religiosum cultum , vel loquitur de ijs dignitatibus , vt præscidentibus omnino à gratia Sanctificante , & hoc modo , nec dignitas matris Religiosum aliquem cul-
tum promeretur , vt ostendemus du-
bio sequenti : vel loquitur de ijs di-
gnitatibus , sumptis simul cum gra-
tia sanctificante , & tunc omnino
promerentur cultum Religiosum , &
excellentiorum , ac peculiarem , cum
sit excellentius obiectum gratia
sanctificans , & dignitas Apostola-
tus , seu Præcursoris , quam gratia
sanctificans absque tali dignitate ,
vti in pluribus alijs Sanctis inueni-
tur . Quod verò sint ministeria quæ-
dam , non obstat: Nam etiam Vir-
go non fuit mater ; nisi ministrando
materiam conceptioni , vt docuit S.
Doctor. 3. par. quæst. 32. Et rursus
quod Christum educauerit , lacte
nutrierit , gestauerit , nonne hæc
omnia sunt ministeria quædam ? &
tamen propter illa conceditur à P.
Suar: Virgini adoratio excellentior
hyperdulia , cur igitur non idem
propter dignitatem Apostoli , seu
Præcursoris ? Deinde quis neget , di-
gnitatem Vicarij Christi , soli Petro
concessam esse excellentissimam ? er-
go nè propter illam coniunctam cum
gratia sanctificante erit constituenda
peculiaris adoratio ?

43. Secunda etiam non satis-
facit , quia nunc non est sermo de
ijs dignitatibus , vt præcisè à gra-
tia sanctificante , quo modo ad hanc

ordinantur, ut enim videbimus, nec maternitas præcisa à gratia Sanctificat, adeoque non meretur propriè Religiosum cultum ratione sui; sed loquimur de toto coniuncto coalescente ex gratia sanctificante, & illa dignitate, quod vtique non ordinatur ad gratiam, & tamen est quid excellentius, quam sola gratia. Deinde etiam loquendo de ijs dignitatibus, cum præcisione sumptis non inde infertur, non promereri Religiosum cultum, distinctum à gratia, ex hoc quod ad illam ordinantur; nam etiam maternitas ordinatur ad excellentissimam Virginis gratiam, saltem acceptam in esse morali, quia in hac ratione omnino excedit maternitatem, vt dicetur, non igitur quoad hoc maternitas excellit, quamvis quoad alia id non eamus inficias; quare sicut propter hoc maternitas non continetur præcisè intra purum gratiæ ordinem, ita nec prædictæ dignitates.

D V B I V M III:

*Virum Beatissima Virgo ratione
Maternitatis vt præscinden-
tis à gratia sanctificante sic
adorabilis adoratione
hyperdulie?*

Mouemus hoc dubium in gratiam doctissimi Ioannis Martinez de Ripalda ex Societate Iesu qui libro 4. de ente supernaturali disp. 79. per plures sectiones conatur ostendere, probabile saltem esse solam maternitatem Dei hominis, qua gaudet Beatissima Virgo, etiam præscendentem ab eius gratia habituali, esse formam sanctificantem, ac dignificantem.

eius opera virtuosa, in ordine ad promerendam æternam beatitudinem: si enim hoc concedatur, aperte omnino sequitur, Beatissimam Virginem, ratione solius maternitatis, modo dicto, præscendentis à gratia habituali adorabilem esse adoratione hyperdulie: eiusmodi enim adoratio debetur sanctitati spectanti ad ordinem hypostaticum, ad quem pertinet maternitas ratione sui, & cum præcisione sumpta. Et nota, sermonem esse de maternitate, vt præscidente à gratia habituali sanctificante, non vero vt carente eadem gratia habituali; supposita enim eleuatione ad ordinem supernaturalem, attenta Dei potentia ordinaria, non datur status medius, vnde si gratia careret, vtique hæc carentia esset priuatio propriè dicta, adeoque peccatum habituale, quod in prædicta priuatione situm est, vt alibi ostendimus. Recolendum est etiam quod supra, agentes de adoratione humanitatis Christi, & unionis hypostaticæ dicebamus, nempe supernaturalis, ac hypostatici ordinis perfectiones sumi posse dupliciter, vel vt pertinentes dum taxat ad ordinem physicum; vel vt dicentes moralem rectitudinem, à qua persona, eiusque voluntas dirigitur in finem ultimum, & quæ dicit ex natura sua repugnatiam,

cum
peccato læthali, auer-
tente ab eodem
ultimo fine.

Hoc po-
sito.



S. I.

Ponitur prima assertio, & authoritate Scripture probatur.

Dicendum est primò , maternitatem Beatissimè Virginis, vt prescidentem à gratia sanctificante habituali, non esse formam sanctificantem Virginem, adeoque nec dignificantem eius opera virtuosa in ordine ad promerendam vitam æternam. Hæc assertio , vt fatetur citatus Ripalda sect: 14. nū. 108. est multorum Recētiorum, qui hanc nouam controversiam in terminis attigerunt . Probatur ergo primò authoritate Scripturæ , nam Matth. 12. Cum Christus , concionem habens ad turbas, quæreretur à Matre, & Fratribus eius ; nuncianti adesse Matrem , & fratres eius , in hæc verba respondit . *Quæ est mater mea , & qui sunt fratres mei ?* Qui cumque enim fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est . Quibus in verbis apertè denotatur , æstimandam quidem Matris Christi dignitatem , vbi coniuncta fuerit cum adimpletione voluntatis Diuinæ, hoc est cum gratia , & charitate : secus si ab ipsis fuerit, seu præcisa , seu separata: & in hunc prorsus sensum exponuntur adducta verba à S. Ioanne Christi hom: 45. in prædictum cap: S. Mat: ait enim , sic Christum respondisse , *Vt significanter exprimeret , nullam etiam esse Matri , quoniam peperit , futuram utilitatem , nisi ut decet , uitam peragat .* Et post alia , iterum subdit : *Præterea illud etiam probat , nec matrem , nec fratres suos , nec quoscumque alios , sua frētos necessitudine , viriūtem negligere oportere .*

S. Matth

S. Ioann: Chriſof:

Nam si nullam mater , etiam in quantum mater utilitatem consequitur, nisi virtutem colat, multò minus aly necessitudine saluabuntur . Hoc eodem modo , post pauca exponit aureus Doctor illud Lucæ 11. *Quin s. Lucas imò beati , qui audiunt verbum Dei , & custodiunt illud , quæ sunt verba eiusdem Christi respondentis ad mulierem , quæ clamauit . Beatus venter qui te portauit , & ubera quæ sūxisti .*

45. Tripliciter huic autoritati occurrit P. Ripalda sect. 14. citata, P. Ripalda num. 105. & sequent: Primò dicit , per hæc Christi verba , solum denotari maiorem excellentiam sanctitatis gratiæ, comparatæ ad maternitatem, cum præcisione sumptam . Ex quo tamen non sequitur , maternitatem ex proprijs meritis non sanctificare . Vnde ly *Quin imò , non sumendum est aduersatiuè , sed comparatiuè .* Secundò dicit , maternitatem duplē claudere sanctitatem, vnam, qua sanctificat animam, aliam, qua sanctificat corpus , quare per eam responcionem, solum denotare, matrem suam potissimè laudandam, non propter effectus, quos habebat in corpore, sed per sanctitatis effectus , quos maternitas , etiam præcisa à gratia sanctificante , conferebat animæ , quæ sanctitas similis est illi , quam consequuntur omnes iusti Dei verbum , seu legem adimplentes . Tertiò dicit , Beatam Virginem concipientem, & gestantem Christum , duo exhibuisse ministeriorum genera , aliqua enim erant merè naturalia , vti est , exempli causa, ipsa gestatio in utero : aliud verò situm erat in custodia legis Diuinæ , & primum confert cum hoc posteriori , & quia illud primum, vtpotè merè naturale, erat expers omnis meriti , & laudis , ideo postponit huic posteriori, quod etiam matris erat proprium . Hactenus ille . Cate-

Ceterum hæ omnes responsiones omnino insufficentes apparent, & quidem duæ priores aperte contradicunt expositioni S.Io: Chrisost: cum enim ipse dicat, maternitatem Virginis, vt præcisam à legis Diuinæ custodia nullam allatum fore Virgini spiritualem utilitatem, adeoque & sanctitatem, vtique huic è regione oponitur, assere per illam, vt sic præcisam haberi aliquam animæ, aut corporis sanctitatem, quæ sit minor in comparatione ad sanctitatem gratiæ habitualis. Tertia expositio præterquam quod apparet omnino voluntaria, nec ullo nititur fundamento; adhuc tamen impugnari potest, ex eo quod Christi responsio debebat congruere verbis eius mulieris: euidens est autem, mulierem illam non laudasse Virginem, ex mera gestatione naturali, cū enim vocavit beatum vterū, vtiq; loquebatur de aliqua eius supernaturali perfectione, à qua beatus, seu sanctus denominabatur videtur igitur omnino contrarium textui, voluisse Christum gestationem merè naturalem omnis meriti expertem, cū custodia legis Diuinæ conferre. Et sanè mulier illa nō erat adeo rerum supernaturalium ignara, imò nemo audientium tantum ignorantia laborabat, vt nesciret actionem naturalem omnis meriti expertem, postponendam actioni custodiæ legis Diuinæ, vndè censendum nullatenus est, voluisse aliquo modo eam actionem naturalem sic laudare, vt oportuerit à Christo instrui, anteponendam esse custodiæ legis Diuinæ, vndè actioni merè naturali, quis enim hoc ignorat?

Quibus omnibus addimus, hunc dicendi modum videris, aperte contrarium doctrinæ S. August: . Nam in libro de Virg. capit. 3. in hunc modum loquitur; *Materna propinquitas nihil Marie profuisset, nisi*

*felicius Christum corde, quam carne gestasset. Quæ verba, quia directè feriunt opinionem huius authoris, suspicamur ex composito ab ipso non fuisse relata, nam aliqua aliæ verba ex eodem capite adduxit in eadem sectione. Rursus idem Sanctissimus Doctor tract. 10. in Ioann. post initium, incidenter exponens illud Lucæ 11. Beatus venter, qui te portauit &c. Hæc ait. *Hoc in ea magnificauit Dominus, quia fecit voluntatem Patris, non quia caro genuit carnem.* Et iterum post pauca. *Et mater mea, quam appellatis felicem, inde felix, quia verbum Dei custodit, non quia in illa Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, sed quia custodit Verbum Dei, per quod facta est, & quod in illa caro factum est.* Quo certè nihil clarius dici potest aduersus opinionem Ripalde.*

P. Suar:

46. Quartò demum loco adducit P. Suar: qui tom. 2. in 3. par: disput: 1. sect. 2. §. *Vt respondeamus Verba Christi Domini ex Lucæ, 11.* intelligi posse de coniunctione materna Beatissimæ Virginis cum Christo, vt homine, præscindendo ab eius Deitate, de qua mulier illa nihil cogitabat, cum matris vbera, eiusque ventrem laudabat, vnde hanc solum coniunctionem maternam Christus postposuit sanctitati gratiæ: non verò eam coniunctionem, quam habuit Virgo cum Christo, vt complectente humanam naturam, & personalitatem incretam: de qua maternitate præsens dubium procedit.

Verum hæc expositio æque displicet, ac præcedentes, nam gratis omnino asseritur, mulierem illam nihil cogitasse de Christi Diuinitate, imò oppositum, satis efficaciter ostendi potest, tum quia, vt vidi mus à Sanctis Chrisostomo & Augustino supponitur omnino, mulierem illam loquutam fuisse de coniun-

DISPVTATIO III. DVBIUM III.

III

Beda
coniunctione materna Virginis cum Christo Filio Dei, ut ex eorum verbis clarè apparet. Quibus addimus Venerabilem Bedam, qui lib: 4. in Lucam cap: 49. docet, hanc mulierem cognouisse mysterium Incarnationis Verbi Diuini, illudque clamoribus illis magna fiducia fuisse confessam, ait enim. Magnæ deuotionis, & fidei hæc mulier ostenditur, quæ Scribis, e Pharisæis Dominum tentantibus, simul & blasphemantibus, tanta eius Incarnationem præ omnibus sinceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur &c. idem que habetur ex alijs Patribus. Secundò idipsum habet Glosa interlinealis, cum ait, Magna fiducia inter blasphemos confiteri Dei Filium. Tertiò idem non obscurè colligitur ex eo, quod afferat Nicolaus de Lyra in hunc locum, notat enim, hanc mulierem fuisse famulam S. Marthæ sororis Lazari, cum ait, ista à Sanctis Doctribus dicitur, fuisse Sancta Marcella famula Beatæ Marthæ sororis Lazari, non igitur ignorabat, imò optimè calluisse, credendum est, Christum esse Filium Dei, cum id omnino didicisse censendum ex Domina sua, quæ Christum omnino, vt Dei filium fuerat confessus, vt patet ex Ioann: 11. Tu es Christus Dei filius, qui in hunc mundum venisti. Et sanè quis non statim videat, mulierem illam non aliunde extimulatam fuisse ad exclamandum magnis vocibus, & commendandum, vt beata, & vterum, & vbera Virginis, nisi ex actuali cognitione de eius Diuinitate? Res, meo videri, adeo clara est, vt majori non indigeat expensione. Omittimus, alias Sæctorum Patrum adducere authoritates, tum quia adductæ, vtpotè satis expressè sufficiunt. Tum, vt morem geramus P. Ripaldæ, qui in adducendis au-

Glossæ

thoritatibus pro sua opinione fusimus est, æquè ac parcissimus in afferendis illis, quæ eius assertioni sunt contrariæ.

S. I I.

Ratio conclusionis, & impugnatio prime responsionis.

47. **P**robatur nunc assertio nostra ratione, quæ in hunc modum potest efformari. Forma, quæ ex proprijs meritis sanctificat, dicit saltem de potentia ordinaria, seu ex natura sua repugnantiam, cum peccato læthali, sed eiusmodi repugnantiam non dicit maternitas Virginis, cum præcisione sumpta, ergo Maternitas Virginis, cum præcisione sumpta, non est forma sanctificans. Maior quoad præsens supponitur ex materia de gratia, vnde in eius probatione non immorramur, solum adducimus, quod dixit P. Suar: lib. 7. de gratia cap: 12. vbi cum num. 3. pro conclusione statuisset gratiam, & peccatum, esse duas formas incōpossibiles, vbi num. 8. probat suam assertionem ex Concilio Trid: in hunc modum loquitur *Sine dubio Concilium Tridentinum attente consideratum*, ita huic fauet sententia, *ut iam sine magna temeritate negari non posse videatur*. Diximus autem in maiori, saltem eam repugnantiam esse secundum potentiam ordinariam, quia reuera, iuxta satis communem Thomistarum sententiam, credimus, dari repugnantiam metaphysicam etiam per absolutam Dei potentiam insuperabilem, vnde à fortiori possumus, naturalem repugnantiam, inter formam sanctificantem & læthalem culpam, supponere, qualis reperitur inter calorem, & frigus.

P. Suar.

Eam

Eam etiam pluribus in locis docet Angelicus Præceptor, ut videre est apud Suar. capite citato.

Minor cuius probatio omnino spectat ad præsens institutum suadetur breuiter aduertendo, Maternitatem Virginis duo importare, nempe rationem fundandi proximam, quæ vtique est miraculosa Concepcionis Christi, siue ad hanc actiuè immediate concurrerit, siue solum passiuè, quod nihil quoad præsens refert. Deinde est ipsamet formalis relatio maternitatis, quæ ex ea ratione fundandi resultat, ut contingit in alijs relationibus. Porro vtraque hæc ratio nedum est supernaturalis, verum etiam ordinis hypostatici, ratione termini, quem ambæ rationes attingunt; de quo dubio præcedenti dictum satis est. Hoc posito probatur minor nostræ rationis.

48. Et incipiendo à ratione fundandi, quæ est miraculosa concepcionis, nihil aliud dicit, nisi actualem concursum ad miraculosum effectum ordinis hypostatici, situm in eo, quod Virgo manens Virgo, ac sine viri coefficientia, concipiatur, & pariat, & ad summum iuxta aliquorum fortè non improbabilem sententiam, instrumentaliter attingat modum substantialem creatum hypostaticæ unionis, quæ humanitatem cum Persona increata Verbi coniungit. Non appetet autem, quomodo hæc virtus factua huius miraculi ordinis hypostatici dicat ex natura sua connexionem cum remotione omnis culpæ lethalis; nam sequitur conditionem gratiæ gratis datæ, cuius est solum quoad deceniam, & congruitatem exigere immunitatem à culpa mortali, ut est ferè communis Theologorum sententia, & manifestè appetet in gratia prophetiæ, quæ de facto reperta fuit in Caipha, qui absque miracu-

lo prophetauit, nesciens, quid diceret. Et ratio hoc ipsum conuinicit, gratia enim gratis data, est ad utilitatem aliorum, non verò eius, qui illam habet, vndē ex sui natura non postulat subiectum à peccato mortali alienum. Quæ omnia confirmantur auctoritate Angelici Preceptoris 1. 2. quæst. 111. art. 1. decentis in corpore, quod gratia gratis data, non datur ad hoc, ut homo per ipsam iustificetur, sed potius, ut ad iustificationem alterius cooperetur, & rursus ad 3. in hunc modum loquitur. *Gratia gratum faciens, addit aliquid supra rationem gratiæ gratis datæ, quod etiam ad rationem gratiæ pertinet, quia scilicet hominem gratum facit Deo;* & ideo gratia gratis data, qua hoc non facit, sicut in pluribus alijs coningit, & sic opponuntur duæ parties divisionis, sicut gratum faciens, & non gratum faciens. Repebit hoc ipsum 1. ad Rom. lect. 3. in principio, & iterum 2. 2. quæst. 178. art. 2. Vbi expressè docet à peccatoribus fieri possè vera miracula ad prædicatę veritatis confirmationem, cum ait. *Vera miracula non possunt fieri, nisi virtute Diuina, operatur enim ea Deus ad hominum utilitatem,* & hoc dupliciter, uno quidem modo ad prædicatę veritatis confirmationem. Alio modo ad demonstrationem Sanctitatis alicuius, quam Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis. Primo autem modo miracula possunt fieri per quemcumque, qui veram fidem prædicat, & nomen Christi inuocat, quod etiam interdum per malos fit, & secundum hunc modum, etiam mali possunt miracula facere. Vnde super illud Matth. 7. *Nonne in nomine tuo prophetauimus, &c.* dicit Hieronymus. *Prophetare, vel virtutes facere, & Daemonia euocare, interdum non est eius meriti, qui operatur, sed inuocatio nominis Christi hoc agit, ut homines Deum honorent, ad cuius inuocationem*

salman.

tionem sunt tanta miracula. Ex quo aperte constat, quod cum Deus non faciat miraculum, cum per malum operatur miraculum, utique gratia gratis data non dicit ex sui natura repugnantiam cum peccato, alias esset miraculum, gratiam gratis datum homini malo conferre. Vide si placet N. Salman. in Arb. Gener. Vir. num. 164.

49. Hinc rursus habetur, quod dum concursus Virginis ad miraculosam conceptionem Christi sit gratia gratis data ordinis hypostatici, nec ordinetur ad demonstrationem Sanctitatis Virginis, sed ad humani generis, per Christum redimendi, utilitatem; utique ex sui natura non dicit repugnantiam cum peccato mortali, sed solummodo quoad decentiam, & congruentiam, uti apparet etiam in Fide, & Spe Virtutibus, Theologalibus. Quoad miraculosum igitur conceptionis concursum, qui est ratio fundandi, iam apparet, quomodo ex sui natura non sit peccati lethalis expulsius: vnde probatum hoc ipsum relinquitur de relatione, ad quam nullo modo pertinet sanctificare, ex hoc quod omnem sui perfectionem habeat à ratione fundandi, quæ si fuerit gratia gratis data, hoc ipsum, & eidem relationi competit.

Confirmatur magis hoc ipsum, si Maternitas Virginis esset forma sanctificans, nedum deberet ex natura sua, dicere repugnantiam cum peccato mortali, verum etiam cum pura carentia sanctitatis, sed hanc repugnantiam ex sui natura non dicit, ergo Maternitas Virginis non est forma sanctificans. Maior quoad primam partem constat ex dictis. Quoad secundam liquet, nam per sui positionem naturam puram, adeoque purè carentem gratia, sanctam redderet. Minor suadetur quia, ut afferit author quem impugnamus,

De Adorat. Sanctor. & pecul. SS. V.

eiusmodi sanctitas maternitatis, & animam, & corpus Virginis sanctificat; & vt supponimus aliquid creatum est; vnde fit, vt ea posita in Virgine, superflueret quæcumque alia gratia sanctificans habitualis, & creata, nam omnes huius effectus haberentur per maternitatem, & modo excellentiori, cum eiusmodi maternitas sit ordinis hypostatici, superioris ad merè supernaturalem, ad quem gratia pertinet: hoc autem nemo, vt credimus, dicet. Igitur non dicit maternitas, ex natura sua repugnantiam cum pura natura, & cū nuda carentia sanctitatis, & consequenter sanctitas non est.

50. Vim huius rationis, vt eluderet citatus author sec. 1. nu. 3. supponit gratiam sanctificantem, solum morali modo repugnare peccato, vnde fit, vt licet maternitas hanc eandem repugnantiam dicat, seu cum peccato, seu cum pura natura, non inde sequitur, maternitatem non esse formam sanctificantem. Hoc autem suppositum latè probat eodem tomo 2. disp. ultima vbi sec. 14. num. 187. in fine ait se mirari P. Suar. loco à nobis adducto, asserere, hunc dicendi modum non posse defendi, sine nota magnæ temeritatis, post Concilium Tridentinum, conaturque dictum P. Suarez mitius exponere. Verum quicquid sit de censura P. Suarez. faltem aliunde, rationibus satis efficacibus ostendi optimè posset naturalis repugnatio, inter gratiam sanctificantem, & lethalem culpam: & maximè iuxta nostram sententiam, qua tenemus habituale, & lethale peccatum essentialiter situm, esse in priuatione eiusdem sanctificantis gratiae. Quia tamen non est præsentis instituti, id examinare, esset enim eius limites nimium egredi, idcirco ab huius impugnatione solutionis abstinentem, censuimus: sicut & citatus

P

author

Reipala.

author, pertractans præsentem materia, à probatione huius suppositi abstinuit. Videri tamen possunt ea, quæ satis communiter circa talem difficultatem in materia de gratia authores asserunt. Solummodo addimus, quod cum sententia Ripaldæ huic supposito maximè innaturat, ut ipse met fatetur, vtique ex hoc ipso non parum infirmatur, etenim majori, forte probationum fulcimento indiget, quod ipse supponit, tanquam præcipuum fundatum, quam id, quod in hoc fundamento superedificatur: afferemus tamen alias responsones, quas aduersus rationem nostrâ excogitauimus, ut ex earum impugnationibus firmior appareat, eiusque efficacia magis innotescat. Quare sit.

S. III.

Adducuntur, & impugnantur alii responsones.

51. **P**otest igitur alio modo rationi factæ occurri, dicendo, quod etiam gratia gratis data, miraculorum patratiua, absolute sumpta, non dicat ex natura sua repugnantiam cum peccato læthali, secus sit dicendum de hac peculiari gratia gratis data, ex eo quod eius terminus sit summè sanctus, nempè Christus Deus homo, videtur enim ex illo desumere, quod sanctitatis creatæ est propriū, nempè hoc, quod est ex natura sua repugnare cum peccato, atque adeò de illa non est discurrendum, sicut de alijs gratijs gratis datis, quæ sunt ordinis inferioris.

Cæterum hæc responso quamuis fuerit sufficenter impugnata ex ijs, quæ superius dicta sunt, cum egimus de adoratione Humanitatis

Christi, prout affectæ vnione hypo-postatica, adhuc tamen possumus, illam magis impugnare. Si de ratione huius peculiaris gratiæ gratis dataæ esset, dicere naturalem repugnantiam cum peccato, aut cum nuda carentia Sanctitatis, id maximè haberet ex termino, quem attingit, sed ex termino id non habet, ergo nullo modo. Maior constat ex ipsam solutione, minor, in cuius probatione sita est omnis difficultas, suadetur, tum quia eiusmodi attingentia nihil exprimit de ordine morali, sed dumtaxat quid physicum, nempè hoc, quod est causare terminum, causare autem, ut perse patet, quid physicum est; at sanctitatis est proprium, pertinere ad ordinem moralem, cum ipsius sit rectificare animam, & voluntatem in ordine ad finem. Denique etiam, quia ideo gratia gratis data, ut sic, non sanctificat habentem, quia est in utilitatem aliorum, non vero in propriam eius personæ, quæ illam habet, ut patet de gratia miraculorum, quæ fiunt in confirmationem prædicatæ veritatis: secus autem si fiant ad ostendendam aliquius sanctitatem, quam Deus vult in exemplum virtutis, alijs proponere, nam hæc declaratio cedit in bonum eius, cuius sanctitas demonstratur, & ideo, iuxta cursum ordinarium, non sciungitur à Sanctitate, ut docuit Angelicus Præceptor 2. 2. qu. 179. art. 2. citato. Ex quo habetur, quod cum huiusmodi miraculosa Virginis Conceptione, eiusque maternitatis relatio sint propter utilitatem aliorum, seu omnino in ordine ad Christum Dominum, & secundariò ad humani generis utilitatem: habetur inquam in ea, quantumvis peculiari, & ad peculiarem terminum, non esse ponendam aliquam vim sanctificatiam Virginis, cum adsit eadem prorsus ratio, ac in alijs gratijs gratis datis,

P. Suarez.
Konin.

Maximè , quia hoc ipsum declaratur exemplo , meo videri , sa- tis accomodato , hoc autem desu- mitur ex ijs , quæ dici solent in ma- teria de Eucharistia , in qua , vt do- cent P. Suarez disput . 50. fere per totam , & Egidius Koninch ibidem artic.4. dub. 5. & alij , asseritur per Characterem Sacerdotalem , & ver- ba consecrationis , ita substantia Panis , & Vini transubstantiatur in Corpus , & Sanguinem Christi , vt si de facto non existeret , virtute con-secrationis fieret , vt Corpus Chri- sti de nouo existeret , ac poneretur à parte rei . Ecce ergo Characterem Sacerdotalem , qui de potentia or- dinaria cum peccato coniungitur , attingentem eundem terminum , quē attigit Beatissima Virgo . Cur igitur huius maternitas ex eodem termi- no , per conceptionem attacto , desu- met rationem formæ sanctificantis , cum Character hanc rationem for- mæ sanctificantis ab illo non habet .

52. Dices secundò , præsertim ad occurrentum confirmationi à nobis factæ , quod virtus illa ordinis hypostatici , qua mediante , eleua- ta est virtus naturalis generatiua Beatissimæ Virginis , in ordine ad concipiendum Christum , & conse- quenter etiam relationem materni- tatis , ex illa conceptione sequutam , sanctificare Virginem , & quoad animam , & quoad corpus , sancti- tate quadam superioris ordinis , non excludente eam , quæ habetur in illa per gratiam sanctificantem habitua- lem , hoc ipso enim quod sint diuersi ordinis , vna non excludet aliam . eo fere modo , proportione seruata , quo in Christo omnes Theologi ad- mittunt duplicem sanctitatem , aliam habitualem , & creatam , aliam verò per essentiam talé , qualis est ea , quæ habetur per personam Verbi Diuini , transcendentaliter claudentem Diuinam Essentiam .

De Adorat. Sanctor. & pecul. SS.V.

Contra tamen est . Impossibile est eandem animam sanctificari dupli- ci sanctitate creata , quātumuis aliquo modo diuersi ordinis , ergo corruit solutio tradita ; Antecedens ; quod dumtaxat probatione indiget , suadetur , & explicatur in hunc mo- dum . De ratione cuiuscumque , creatæ sanctitatis est animam , & voluntatem ex illa emanantem ple- nè , ac perfectè Deo vltimo fini su- pernaturali subordinare , non enim intelligi potest sanctitas , non intel- lecta eiusmodi totali subordinatio- ne ad finem , sicut intelligi nequit læthale peccatum eidem sanctitati contrarium , non intellecta , seù non posita totali auersione ab eodem vl- timo fine supernaturali , cui nulla- tenus subordinatur voluntas Pecca- toris . Vndè fit , dari non posse du- plicem totalem subiectionem ad eundem vltimum finem , quamuis sit diuersi ordinis , quia si per gra- tiā sanctificantem , iam anima , & voluntas est totaliter subiecta , su- perueniens sanctitas , etiam diuersi ordinis nihil operaretur , cum iam eam voluntatem inueniret totaliter subordinatam , respectu eiusdem vl- timi finis supernaturalis , nam cer- tissimum est , vltra vltimum finem supernaturalem inspectum à gratia sanctificantे , alium non dari .

53. Respondebis fortè , posse per superuenientem sanctitatem ma- ternitatis nouo , & excellentiori modo subordinari voluntatem , re- spectu eiusdem vltimi finis superna- turalis . Vel saltem satis esse , ma- ternitatem superuenientem , quan- tum est ex se , esse sanctificatiuam , adeoque in actu primò subordinare voluntatem eidem vltimo fini su- pernaturali , quamuis suspendatur eius exercitium , ex eo quod præ- supponat gratiam sanctificantem , sicut secundum mortale peccatum non subtrahit in exercitio volunta-

tem Peccatoris , ab eodem vltimo fine , etiam si ea m subtraheret , si id non præsuppon eretur præstum iam à primo læthali peccato .

Sed quoad primum dicitur , id asse-

Ripald. ri non posse à P. Ripalda , qui se f.

14-disput. 79, num. 105. apertissimè concedit , sanctitatem , quam putat haberi à maternitate esse inferioris ordinis in ratione sanctitatis ab ea,

quæ habetur per gratiam sanctificantem , conuincitur enim authoritate Christi Domini , ex Lucæ 11.

cum dixit. *Quin imo beati, qui audiūt Verbum Dei,* asserit enim , cum

Maldon. Maldonato ly , *Quin imo sumi comparatiuè , & sic esse exponendum .*

Quasi dicat: (verba illius sunt) felicissimum quidem est , Deum parere , & lactare , sed illud felicius , Dei monitis , ac præceptis parere , ac propterea illi placere .

Deindè si maternitas nouo modo excellentiori subordinaret voluntatem Virginis eidem vltimo fini supernaturali , vtique antè conceptio nem Christi , quo tempore , maternitate careret , deesset illi is nouus subordinationis modus , saltem per negationem illius , ex quo fieret , quod posset , retinendo totalem subordinationem , quam habet per gratiam , amare aliquid , non subordinatum fini supernaturali gratiæ sanctificantis , quia cum iste non adæquaret omnem modum , quo voluntas est sibi subordinabilis , non peteret , vt sibi subderetur , secundum illum nouum modum , quem finis , vt præcisè attactus per gratiam , non attingit , quique relinquitur solum superuenienti maternitati , cuius est nouo modo talem voluntatem subordinare . Constat autem , impossibile esse , voluntatem iusti amare , aliquid non subordinatum fini supernaturali gratiæ sanctificantis , alias posset amare duos vltimos fines .

54. Quod secundò loco in hac

euasione dicitur , pariter sustineri non potest à Ripalda ; si enim maternitas , quantum est ex se , est apta nata , subordinare voluntatem vltimo fini , ità absente gratia sanctificante præstaret , quod eadem gratia præstat , oporteret sanctitatem gratiæ habitualis , adæquari à sanctitate maternitatis , quod citatus author , loco adducto , negat . Deindè hoc impugnatur ex ijs omnibus , quibus probauimus , vim sanctificandi nullatenus competere maternitati , cum sit essentialiter gratia gratis data . Vndè non valet paritas de peccato adducta , quia peccata omnia mortalia sunt ex natura sua auersua ab vltimo fine , vndè secundum peccatum , quantum est ex se , in exercitio totaliter voluntatem auerteret , nisi totaliter inueniret auersam . Quamuis alio modo posset , de peccatis phylosophari , vt dici solet in tractatu de peccatis , quod tamen in præsenti explicare , nimis prolixum esset .

Id autem quod dictum est de duplice gratia creata , videlicet , & increata Christi Domini , non vrget , cum sit satis dissimilis ratio . Tum quia gratia increata non subordinat , propriè loquendo animam , & voluntatem , vltimo fini ; sed vnit illam sibi terminando animæ substantiam ; vndè vtraque est sanctificatio totalis diuersi ordinis , & sub diuersa ratione finis vltimi , nempè , vt vnihi immediate , & hæc est propria ratio sanctificationis essentialis , seu vt inspecti per modum termini extinseci , & hæc est propria cuiuscumque creatæ sanctitatis . Tum etiam quia si remoueretur per absoluta Dei potentiam vnio cum sanctitate essentiali , adhuc remanente gratia habituali , perseveraret anima , & voluntas , omni prorsus modo subordinata fini vltimo supernaturali , loquendo de subordinatione , quæ

que haberi potest per sanctitatem creatam: at posito, quod maternitas esset sanctitas creata, hac ablata, aut non existente in Virgine, eius voluntas remaneret, quoad aliquem modum possibilem, haberi per sanctitatem creatam, non subordinata ultimo fini supernaturali, quod esse non potest, ut num. præcedenti ostendimus. Tum demum, quia ut acutè notarunt N. Complutenses in lib. Physic. disp. 15. num. 60. Non repugnat, vnum eundemque numero effectum esse à causa creata, & increata totaliter, secus autem à duplice causa creata totali. Cuius discriminis ratio desumitur ex hoc, quod sola causa increata continet omnem prorsus determinationem, alterius causę vniuocē, exempli causa, sanctificantis; vndē sit ut effectus ortus à duplice causa creata, & increata, formaliter loquendo, penderet ab una dumtaxat causa, quia terminus formalis illius dependetia est illa numero vis actiua, cum his numero circumstantijs, siue eminenti modo existens in Deo, siue formaliter in creatura reperta: Ex qua doctrina apparet, disparem omnino rationem esse, inter duas sanctitates creatas, ex una parte, & creatam, & increatam ex altera.

§. I V.

*Ponuntur duæ aliae Assertiones,
& probantur.*

55. **D**icendum est secundò Beatisimam Virginem, ut affectam maternitate, præscidente à gratia sanctificante, & habituali eiusdem Virginis, esse dignam veneratione hyperduliae, ut præcisè sistente in ordine physico supernaturali, non tamen adoratione hyperduliae adæquate, ac propriè acce-

pta. Hæc assertio omnino constat ex dictis disputatione præcedenti num. 31. & sequentibus: vbi diximus, habitum supernaturalis hyperduliae sumi, & moraliter, & physicè, & secundum hanc vtramque rationem exercere actum suum erga personam sanctam, sanctitate ordinis hypostatici, seu ut melius dicamus, sanctitate coniuncta cum perfectionibus hypostatici ordinis, qualis est sanctitas habitualis, tūm Humanitatis Christi, tūm Beatissimæ Virginis. At eandem hyperduliam, ut physicè supernaturalem, atque adeò inadæquate sumptam, exercere actum suum circa perfectiones ordinis hypostatici, ut præscindentes à gratia sanctificante. Quare in probatione huius assertionis non immorabimur: etenim ibi dicta omnino coniuncta, quod hic assertimus, cum maternitas Virginis sit perfectio quædam ordinis hypostatici, adeòque excellentissima, aliunde tamen, cum sub præcisione iam dicta, non afferat moralem sanctitatem, propterea non meretur, nisi venerationem hyperduliae inadæquate sumptam, ut ibidem expostum, ac probatum est. Addere solum placet, quod etiam si maternitas Virginis omnino ex natura sua non sit formalis sanctitas, nec exigat cum illa coniungi, taliter vide licet, quod sine miraculo separari ab illa non possit, ut probatum est: nihilominus secundum statum sibi omnino connaturalem, ac decentem, habet coniungi cum sanctitate gratiæ, id enim est commune omnibus gratijs gratis datis: vndē oritur, ut adoranda sit per actum hyperduliae, ut præcisè physicè supernaturalem, qui est effectus habitus cui, realiter loquendo, competit esse moralem supernaturalem, & qui adæquate sumptus versatur circa sanctitatem ordinis hypostatici

tici, vt s̄apē dictum est. Vide dicta, loco citato.

56. Dicendum & tertio, posito, quod Maternitas Virginis esset coniuncta cum peccato lethali, adhuc illi non esset denegandus omnis prorsus honor, saltem indirectus, qui versaretur erga Virginem, vt excellentia maternitatis affectam. Hæc assertio aperte deducitur ex doctrina, quam habet Angelicus

S. Thos.

Præceptor in 3. diſt: 6. qu. 2 ar. 3. vbi cum quæſisset. *Vtrum peccatores debeant honorari dulia*, in hæc verba quæſito responderet. Dicendum, quod *dulia reverentiam, & honorem importat, quæ creature exhiberi potest,* *cum autem honor (ut dicit Philosop. I. Ethic. trax. 4. phus) non debeatur, nisi rebus Diuinis non debetur propriè, & directè nisi habenti gratiam, & virtutem, quæ diuinos faciunt, sed habet aliquis uirtutem multipliciter, vel sicut actu uirtuosus, & huic directè debetur, & propriè, & secundum se honor: vel sicut habens aptitudinem naturalem ad virtutem: & sic cuilibet habenti imaginem est exhibendus honor, nisi sit confirmatus in malo, quia ligatus est in illo ordo ad virtutem: vel sicut ordinatus ad inducendam; vel conservandam virtutem, & sic debetur omnibus Pralatis, qui ad hoc ordinati sunt, ut alios dirigant ad virtutem.* Haecenus S. Doctor.

Ex qua authoritate, in hunc modum efformamus rationem pro nostra assertione; Quamuis maternitas Virginis esset cum lethali peccato coniuncta, adhuc in ipsa datur aliquid physicè diuinum, sed ratione huius exigeret aliquem honorem, saltem exigentia indirecta, ergo quamuis maternitas Virginis esset cum peccato mortali coniuncta, adhuc indirectè esset honore aliquo digna. Maior omnino est manifesta, cum daretur in illa, ut supponimus, maternitas, quæ cum sit ordinis hy-

postatici, reuera est aliquid, spectans ad supremum gradum supernaturalium perfectionum physicè sumptarum, ut explicatum est: constat autem omne supernaturale, & maximè supremum reuera esse quid Diuinum siue physicè, & moraliter simul, vt constat in sanctitate, seu purè supernaturali, seu supernaturali, & hypostatica, quæ est perfectè quid diuinum, à creatura participatum, seu physicè tantum, quod imperfectè, seu inadæquatè quid diuinum est, vt liquet ex dictis.

57. Minor probatur, quia cum honor debeatur rebus Diuinis, vtique si maternitas, vt ostensum nunc est, excellentia quædam diuina est, ratione illius erit debitus Virgini honor, non tamen directè, ac per se, cum enim non dicat sanctitatem actualem, quatenus nec est formalis sanctitas, nec rigorosè ex sui natura petit coniungi cum illa, quia tamen, secundum statum suum omnino connaturalem exigit talem coniunctionem, verè ratione huius omnimodæ connaturalitatis est in potentia ex se proxima coniuncta cum sanctitate, & consequenter ratione huius promeretur indirectè honorem, vt exprefse afferit S. Doctor. Consequentia liquet.

Confirmatur Peccatori, quatenus est imago Dei, ac in potentia sanctus, & virtuosus, debetur iuxta nunc dicta ex Sancto Tho: aliquis honor dulie, debito saltem indirecto, ergo à fortiori Beatissimæ Virgini, ratione excellentiae maternitatis, quam actu habet, erit debitus aliquis honor, debito saltem indirecto. Antecedens constat, tam ex Sancto Doctore, quam ex ijs, quæ supra nos dubio primo huius disp: numero 10. & sequentibus diximus, ex mente Sanctorum Augustini, & Thomæ. Consequentia suadetur, nam sicut actuale peccatum mortale

mortale non obstat, quo minus peccatori exhibetur indirectè aliquis honor secundum quod est in potentia virtuosus: à fortiori posito, quod in Virgine esset simul maternitas, & peccatum, ratione maternitatis, quæ actu, modo exposito, est aliquid Diuinum, aliquis honor deberetur, cum eiusmodi maternitas vi omnimodæ connaturalitatis esset coniuncta cum Sanctitate. Tum etiam quia ut dicit Sanctus Thomas, sola confirmatio in malo, & ligatio potentia virtutis, seu capacitatris ad Sanctitatem, & virtutem obstat exigentia, seu directè, seu indirectè honoris, adeoque, & Dæmones, & Damnati nullo sunt prorsus honore digni: quare cum in Virgine habente maternitatem, nullatenus supponatur adesse eiusmodi confirmationis in malo, aperte sequitur: saltem indirectè, esse aliquo honore dignam.

58. At statim pulsat animum quæstio, qualis videlicet debeat esse honor, Virgini Matri existenti in peccato indirectè debitus, & à quo principio eiusmodi actus honoris eliciatur? Et quoad primum, dicendum, eiusmodi actum debere esse honorem hyperdulie physice & moraliter sumptæ cuius ratio constat, cum ex eius obiecto, quod est aliquid spectans ad ordinem hypostaticum physicæ, & moraliter acceptum. Tum ex verbis Sancti Tho: nam sicut propter sanctitatem, ac virtutem in potentia, quam dicit homo malus, secundum quod est ad imaginem Dei honorari potest per duliam, honoratione indirecta, quia ad hanc virtutem, ut dicetur dubio sequenti, pertinet elicere adorationem Sanctorum: pari quoque modo cum hyperdulie sit proprium, exhibere honorem perfectionibus ordinis hypostatici, utique eiusdem erit, indirectè pa-

riter honorem reddere maternitati, prout in potentia est cum sanctitate coniuncta, adeoque prout in omni sua prorsus connaturalitate considerata sanctitatem postulat. Ex quo explicatum relinquuntur secundum, quod ad primum reducitur.

Adhuc tamen abigendus est scrupulus, exponendumque breviter, in quonam sita sit eiusmodi indirecta honoratio: & quia omne indirectum supponit directum, & per illud, tanquam per aliquid prius, ac notius manifestatur, ideo prius assignanda est directa tendentia huius motus honorationis, & planum est, hanc sitam esse in attingentia sui primarij obiecti, quod si fuerit sermo, ut debet esse, de hyperdulia physice & moraliter sumpta, utique est maternitas Virginis potens coniungi cum gratia sanctificata. Ex quo sit quod eiusmodi tendentia dicatur indirecta, quatenus non versatur circa maternitatem cum peccato coniunctam ratione sui, sed ratione obiecti directi, quod est praedicta maternitas, modo dicto, coniungibilis cum gratia, eo pari modo, quo, honor dulie, qui exhibetur peccatori, ut capaci sanitatis, non redditur directè capacitati, sed sanctitati, & ratione huius reflectitur in ipsamet capacitatem, quæ, etiam si actu non sit sanctitas, est tamen illa in potentia, ita ergo quoad praesens. Hinc ratio formalis intrinseca terminandi hanc honorationem indirectam, est excellentia intrinseca, quæ splendet in eo, quod subiectum sit capax sanitatis, quæ indirecta terminatio supponit in aptitudine directam adorationem, quam terminaret sanctitas, si eandem capacitem exploreret, per sui positionem in illa.

59. Dices hæc indirecta honoratio est aliqua actualis honoratio, ergo ratio formalis terminandi

nandi illam , tenens se ex parte obiecti , debet esse actualis aliquam excellentia , non verò merè potentialis , vti ponitur à Sancto Tho: & à nobis : alias non esset proportio inter actum , & rationem formalem terminandi illum , quæ tamen proportio omnino videtur exigī . Respondetur ipsamēt potentialēm capacitatēm sanctitatis esse aliquam actualem excellentiam , ad cuius intelligentiam , notanda est doctrina , quam habet Angelicus Preceptor 3. contra Gentes cap. 20. vbi loquens de materia prima , ait . *Licet unum quodque sit bonum, in quantum est ens non tamen oportet, quod materia, que est ens solum in potentia, sit bona solum in potentia: ens enim ab solutè dicitur: bonum autem, & in ordine consistit, non enim aliquid solum bonum dicitur, quia est finis, vel quia est obtinens finem: sed etiam si nondum ad finem peruererit, dummodò sit ordinatum in finem, ex hoc ipso dicitur bonum: materia ergo non potest simpliciter dici ens, ex hoc quod est in potentia ens, in qua importatur ordo ad esse: potest autem ex hoc simpliciter dici bona, propter ordinem ipsum: in quo apparet, quod bonum quodāmodo amplioris est ambitus, quam ens: propter quod Dionysius dicit 4. cap. de Diuin. nominib. quod bonum se extendit ad existentia, & non existentia, &c. Ex his clarè habetur solutio obiectio- nis , & quomodo capacitas illa ante actualem sanctitatem possit simpliciter dici bona , ratione ordinis ad eandem sanctitatem , & consequenter haberi actualem excellentiam , per sanctitatem solum in potentia, vt patet ex exemplo materiæ primæ .*

Nota tamen circa hanc doctrinam , eam potissimum verificari , quoad denominationem simpliciter talem , in ordine boni physici , de quo ibi loquitur Sanctus Doctor :

non verò quantum ad denominatio- nem simpliciter, in ordine boni morali- sis : nàm vi solius capacitatis ad sanctitatem , nequit aliquid simpli- citer denominari moraliter bonum: sed dumtaxat secundum quid , & hæc denominatio nobis quoad præ- sens sufficit , cuim dicamus , vi talis capacitas haberi dumtaxat actualem excellentiam ad terminandam honorationem indirectam , quæ pa- riter , est secundum quid talis: quare doctrina tradita , & exemplum ex materia prima acceptum , debet in- telligi , debita proportione seruata: ac spectatis naturis rerum; cum igi- tur omnino plus exigatur ad bonita- tem moralem , quam physicam. hæc enim illam initiat tanquam eius fundamentum : idcirco non est de- vtraque omnino similis ratio , quod tamen non obstat præsenti doctrine , vt consideranti notum fiet . Et per hoc tacita excluditur obiectio .

§. V.

Soluuntur aliqua argumenta pri- me Assertioni contraria .

60. **V**ti iam in limine dubij presentis monuimus, contendit Pater Ripalda lib. 4. de ente supernaturali disp. 79. per plures se- ctiones , maternitatem Beatissimæ Virginis omnino ex proprijs meritiis , esse formam sanctificantem , & consequenter significantem opera Virginis , in ordine ad vitam æternam promerendam. Ad hanc autem opinionem suam confirmandam , primò adducit quamplures authori- tates , quarum aliquæ ex Sacris Litteris , aliæ verò ex Sanctis Patri- bus desumuntur . Quia tamen ad singulas responsum præbere , & nobis onerosum nimis , & non minus moleustum esset lectori ; idcirco breuem

trademus doctrinam, qua omnibus prædictis testimonijs, facili negotio poterit occurri. Eò vel maximè, quia citatus author, fortè quia candidæ veritatis amicus, tandem post ingentem laborem, quem in congerendis ijs authoritatibus insumpsit sect. 6. n. 42. fatetur, nihil ex adductis à se testimonijs posse efficaciter concludi: sed omnia quæ, sèù ex sacris Litteris, sèù ex Sanctorum. Doctrina afferri possunt probabilissima non carere solutione, vt ex mox dicendis innotescet. Prætermittenda ergò censuimus verba prædictarum authoritatum, quæ apud citatum authorem, quisque pro suo libito poterit legere.

61. Prima ergò solutio, quæ tribui potest ijs authoritatibus, quibus Beatissima Virgo, vt Dei Mater Sancta deprehendatur, est ea, quam adducit idem Ripalda, loco nunc adducto, num. 41. his verbis. *Prima est, dignitatem Matris Dei afferre quidem secum Sanctitatem, & gratiam; at non sibi identificatam, sed distinctam, nempe gratiam habitualem, omnibus iustis communem, altissimè intensam, quam vendicat de congruo, eamque solum congruitatem, denotare voluisse Patres, cum Virginem prædicant altissimè Sanctam, quia Dei Mater est.* Hanc solutionem approbat tanquam probabilem, imò verosimiliorem appellat. In quo apparet, quantum hic author à semetipso sit diuersus, qui verosimiliorem appellat solutionem, qua dicitur, maternitatem Virginis nedum non esse ipsam formam sanctificantem, verum etiam, nec ex sui natura, sèù physicè, ac iuxta potentiam ordinariam postulare coniunctionem cum forma sanctificantem, sed solum colligationem quandam fundatam in decentia, & congruitate, quod vt patet longissimè abest ab hoc, quod est afferere, maternitatem esse ex

De Adorat. Sanctor. & pecul. SS.V.

proprijs meritis formam sanctificantem. Vnde & videas, huic authorem conscienti sibi fuisse infirmitatis fundamenti propriæ opinonis, ac potius voluisse, se exhibere laudatorem Virginis, quām veritatis sibi notæ amatorem. In quo, et si videatur, excessisse, vt Theologus, commendari poterit, vt Sanctissimæ Virginis cultor: quare etiā eius laudemus pietatem, placuit tamen pro veritate decertare, hanc enim amicissimam Deiparæ credimus, cum eam Mundo pepererit.

62. Secunda responsio est nomine gratiæ, sèù sanctitatis, quam Virgini, vt Dei Matri, adeoque eius maternitati, tanquam formæ tribuunt, intelligi gratiam gratis datum, nām hoc ipso, quod ista omnino connaturaliter sumpta, à sanctitate separata non existat, potest etiam, absolute loquendo, nomine sanctitatis insigniri. Eo vel maximè, quia non est qualiscumque gratia gratis data, sed inter gratias gratis datas supremum omnino locum tenet, vnde nedum congruerter, sed maximè congruenter colligationem cum gratia sanctificante importat. Ex hac autem maxima congruentia colligationis maternitatis cum gratia sanctificante habetur tertia solutio: indè enim fit, vt in sacris Litteris, & Sanctis Patribus nunquam facta fuerit mentio maternitatis Virginis, nisi secundum quod sumitur coniuncta cum eadem gratia: tūm quia de facto sic semper fuit, nec scriptura, & Patres ad eiusmodi præcisiones attendant, nec de eis multum current, eo quia parum referant ad dogmata fidei, in quibus exponēdis præcipuus eorum labor insumitur, hæc speculabilia relinquentes disputanda Theologis, Scholasticis, ad exercenda, & acuenda ingenia, & consequenter reddenda expeditiora ad subtiliora, & ob-

Q scuriora

scuriora fidei mysteria indaganda,, vnde & eiusmodi præcisions inutiles censendæ non sunt . Tum demum: quia si congruentissimum est, maternitatem esse inseparatam à gratia sanctificante, vtique eiusmodi coniunctio cum gratia spectabit ad perfectionem status illius , Scriptura autem , & Patres loquuntur de maternitate , tanquam de excellentissima perfectione ordinis hypostatici , & consequenter de illa,, vt coniuncta cum gratia sanctificante . Iuxta ergo has solutiones facile solui possunt , siue quæ ex Scriptura , siue quæ ex Patribus afferri possent , vtendumque erit ea , quæ fuerit textui magis accommodata . Supersunt ergo argumenta ex ratione , quibus oportet responsum præbere .

63. Secundò igitur in hunc modum ex ratione arguitur . Dignitas Matris Dei est sublimior dignitate, quæ habetur per gratiam sanctificantem habitualem , sed hæc formaliter sanctificat , ergo etiam , & maternitas . Maior suadetur : quia in humanis maior est dignitas maternitatis naturalis , quam sit dignitas naturalis filiationis , & à fortiori longè maior , quam dignitas adoptiæ dumtaxat filiationis , & propterea maioris æstimationis , & reverentiæ est esse matrem , quam esse filium , vt patet ex decalogi præcepto , quo mater præcipitur honoranda à filijs , & non è conuerso ; quapropter cum habitualis gratia reddat homines filios Dei adoptios , erit minoris excellentiæ , quam maternitas , quod tamen non esset , hoc ipso , quod maternitas Dei non sanctificaret . Tùm etiam: quia maternitas ex eo, quod est perfectione ordinis hypostatici , dicit infinitatem moralem simpliciter , vt explicuimus supra dub. 2. huius disp. num. 36. & sequent. at gratia

Virginis , qua ntumuis excellentissima hac infinitate non gaudet , & consequenter est omnino simpliciter inferior , cum finiti ad infinitum non sit proportio . Minor , & consequentia constant : sanctificare enim est maximæ perfectionis argumentum , cum sanctitas idem sit , ac puritas .

Confirmatur Beatissima Virgo ratione maternitatis Dei habet dominum super omnes homines , & Angelos : & quod maximum est super ipsum Christum Dominum , ergo sola maternitas , cum præcisione considerata , est maioris omnino dignitatis , quam sit gracia sanctificans eiusdem Virginis , & consequenter erit formalis sanctitas . Antecedens communiter quoad omnes partes docetur à Sanctis Patribus , illudq; (inquit Ripalda) probat Illustrissimus Noster Ferdinandus Salazar Prouerb. cap. 8. vers. 16. à nu. 122. vsque ad 148. manifestissimis testimonijs Athanasij, Damasceni, Rupertii , & aliorum . Et sanè quoad dominum in puras creaturas ostenditur , quia cum tale dominium competat Christo Domino , ex ipso deriuatur ad matrem , quæ ad eundem ordinem hypostaticum spectat . Rursus quantum ad Christum Dominum suadetur ex illo Lucæ 2. Et erat subditus illis , vbi sermo est de subiectione Christi respectu Virginis . Prima consequentia est manifesta , quia eiusmodi dominum non habetur ratione solius gratiæ sanctificantis , cum præcisione sumptæ , sicuti habetur ex vi maternitatis dumtaxat : eidens est autem dominum prædictum esse maximæ excellentiæ notam . Secunda consequentia constat ex dictis .

64. Respondetur ad argumentum breuiter aduertendo , quod etiamsi dignitas sit aliquid morale , adhuc dupliciter sumi potest: primò

vt fundatur in excellentia physica, secundo in excellentia morali. Dif-
crimen autem inter has duas ex-
cellentias, fundantes dignitatem col-
ligitur ex dictis; ea dicitur ex-
cellentia physica, quæ dumtaxat mo-
do physico attingit terminum, ex
quo desumitur: hoc modo supra di-
cebamus, vniōnem hypostaticam
attингere Personam Verbi, quam
vnit humanæ naturæ Christi Domini:
at moralis excellentia differt ab
ista in eo, quod cum sit formalis
rectitudo rectificat animam, eiusque
potentias in ordine ad finem vlti-
mum sub ratione finis, seu boni, &
consequenter est animæ munditia,
seu sanctitas, ex natura sua dicens
repugnatiam cum qualibet fæditate
culpæ læthalis, ab eodem fine vlti-
mo auertentis animam, eiusque
potentias.

Nunc ergo ad argumentum dici-
tur, quod si fuerit sermo in eius
maiori de dignitate, quæ fundatur
in excellentia physica, vtique ex-
cellentior est dignitas maternitatis,
quam sit ea, quæ competit gratiæ
sanctificanti, cum præcisione sum-
ptæ: id enim manifestè constat ex
dictis supra in hac eadem disp: dub:
2. n. 36. citato. secus si fuerit ser-
mo de dignitate, fundata in ex-
cellentia morali, seu rectitudine, nam
quoad istam gratia sanctificans ex-
cedit maternitatem, cum præciso-
ne pariter acceptam; quia materni-
tatis non est animam, eiusque po-
tentias rectificare in ordine ad finem
vltimum, sub ratione talis. Per
quod patet ad primam maioris pro-
bationem, nam idcirco matris di-
gnitas est excellentior dignitate fi-
lij, quia ibi est sermo de dignitate,
fundata in excellentia physica, que
habetur ex hoc, quod mater sit cau-
sa filij; Cæterum maternitatis di-
gnitas, & ea, quæ conuenit filiatio-
ni adoptiue Dei, & consequenter

De Adorat. Sanct. & SS. Virg.

gratiæ sanctificanti, à qua habetur,
sunt dignitates diuersi ordinis, ha-
bentes, vt explicuimus, diuersa fun-
damenta, vnde se habent sicut ex-
cedens, & excessum secundum di-
uersas rationes formales ipsarū. In-
de tamen nullatenus deducendum,
quod maternitas ratione eius exces-
sus, quo gratiæ præcellit, possit san-
ctificare, quia spectat, vt sèpè di-
ximus, ad ordinem hypostaticum
physicè sumptum, cuius non est
sanctificare, seu rectificare animam,
& potentias in ordine ad finem vlti-
mum, vt tales. Et hoc adeo verum
est, vt si daretur Virgini optio, sic
videlicet, vt proponeretur materni-
tas, vt merè carens filiatione ado-
ptiua gratiæ, aut filiatio adoptiua,
vt maternitate carens, vtique potius
hanc posteriorem, quam priorem,
illam eligeret. Et hoc iuxta senten-
tiā Ripaldæ, qui, vt supra vidi-
mus, illud Christi Domini Lucæ
11. Quinimo &c. ait cum Maldona-
to, intelligendum comparatiè, ta-
liter, quod sanctitas gratiæ ado-
ptantis, sit maternitate maior.

65. Et per hoc etiam soluta re-
linquitur secunda probatio, nam in-
finitas moralis fundatur in ex-
cellentia physica, vt diximus, & con-
sequenter impertinens est in ordine
ad sanctificandum, cum solius re-
ctitudinis gratiæ sit propriū reddere
Sanctum. Neque vrget probatio
consequentia, quia cum ea infinitas
moralis non sit infinitas in omni ge-
nere, seu ordine, mirum non est,
eam non continere finitam simili-
citer dignitatem gratiæ, quæ est al-
terius ordinis vt explicatum est.

Ad confirmationem respondetur,
concedendo antecedens, si fuerit
sermo de dominio orto, ex aliqua
perfectione ordinis hypostatici, phy-
sicè sumpti, vnde iuxta eundem
fensem concedenda est consequen-
tia, ex quo tamen nullatenus sequi-
tur

tur, maternitatem esse formam sanctificantem, quia hæc debet esse perfectio ordinis moralis, ut ex dictis satis est manifestum. Quod vero dicitur ad probandam consequiam, non est ex toto verum: vidimus enim supra dub: 1. n. 5. Sanctos, ratione gratiæ habitualis, habere dominium in reliquas alias creatureas inferiores, quibus ut nobilissimæ huius vniuersi partes, principiantur. Quod à fortiori de altissima Virginis gratia sentiendum. Amplius eadem gratia sanctificans, iuxta omnes Theologos, est semen gloriæ, adeoque & radix supernalis Beatitudinis, hæc autem, ut suo loco ostensum est, iuxta sententiam Angelici Præceptoris, sita est in possessione Dei, seu in clara, & intellectuali eius visione, vnde fit nec gratiæ sanctificanti suum in Deum deesse dominium. Non tamen negamus, peculiari titulo Dei Matris competere dominium in Christum Dominum, inde tamen non infertur esse formam sanctificantem, ut expositum est.

66. Adde, & illustrabitur magis hæc responsio. Quamvis Virginis, ex solo Matris Dei titulo competit dominium in Christum Dominum, eiusmodi tamen dominium non leuiter crescit ex coniunctione ad gratiam sanctificantem Virginis. Pro quo notanda est doctrina, quam habet Angelicus Præceptor p. p. q.

s. Tho. 109. art. 4. Vbi cum quæsiuisset, Vtrum boni Angeli habeant prelatiōnēs super malos, ostendissetque Sanctos Angelos Dæmonibus principari: in hunc modum tertio loco aduersus seipsum arguit. Prelatiō Angelorum sequitur nature ordinem, ut supra dictum est, sed si Dæmones de singulis ordinibus ceciderunt, ut communiter dicitur, multi Dæmones, multis bonis Angelis sunt superiores ordine naturæ. Non ergo boni Angeli præ-

lationem habent super omnes malos. Cui argumento in hæc verba respondet. Ad tertium dicendum, quod Angelus, qui est inferior ordine naturæ preest Dæmonibus quamvis superioribus ordine nature: quia virtus Diuina iustitiae, cui inherent boni Angeli, potior est, quam virtus naturalis Angelorum. Vnde & apud homines, spiritualis iudicat omnia, ut dicitur 1. ad Chorint: 2. Et Phylosophus dicit in lib: Ethic: quod virtuosus est regula, & mensura omnium humnorum actuum. Ex hac autem per eleganti S. Thom: doctrina appetat gratiæ sanctitatem, tantæ esse excellentiæ, ut vim habeat euehendi inferiorem bonorum Angelorum naturam, ut in superiores malorum naturas principatum obtineat. Et inde nos deducimus, maximam Virginis habitualem sanctitatem, ex sui coniunctione ad maternitatem, posse non modicè eius dominium, quod habet titulo solius maternitatis, augere, aut saltem conducere ad hoc, ut magis ea virtus dominatiua explicetur, ita ut, hoc augmento, aut saltem explicatione careret, si cum ea non coniungeretur, vnde etiam fit, ut hoc augmentum, explicationem non exprimat, prout præscinditur ab eadē gratia, quamvis reuera eam non neget, sed implicitè claudat, sicut & gratiæ sanctificantem realiter inuoluit,

s. V I.

Soluuntur alia argumenta eidem primæ assertioni contraria.

67. **T**ertiò arguitur. Dignitati Matris Dei competit participatio formalis Deitatis, quæ formæ sanctificantis est propria, ergo erit forma sanctificans. Antecedens, quod maximè probationem deside-

desiderat, suadetur: quia formalis participatio Deitatis propria formæ sanctificantis, sita est in eo, quod sit radix omnium supernaturalium virtutum; hæ enim sunt illius proprietates. Porro maternitatem Virginis esse harum virtutum emanatiuum principium, ostenditur ex eo quod Dei Matri incumbat diligere filium Dei, in eum credere, ab eo sperare, eum colere, alios in eius obsequiū prouocare, nihilque tanto filio inimicum, & odiosum peragere: quæ omnia complectuntur ferè omnes supernaturalium virtutum actus; quorum in Virgine concedenda sunt permanentia principia eorundem elicitua: hæc autem indubitatum est esse sepnaturalium virtutum habitus. Imò hæc arctiori titulo coniungerentur cum dignitate Matris Dei, quæ est dignitas, nedum supernaturalis, verum etiā ordinis hypostatici: quam cum dignitate amici Dei, & filij adoptui, cum posterior hæc dignitas ad altiorem eum ordinē non pertingat.

Confirmatur. Participatio formalis Deitatis, quæ est propria formæ sanctificantis est radix beatificæ visionis, sed hæc competit materniti Virginis, ut præscidenti à gratia sanctificante, ergo maternitas, ut sic præcisa, est forma sanctificans. Maior probatione non indiget. Minor suadetur: tum quia materniti Virginis competit ratione sui participatio Deitatis: hac autem participata vtique habetur ius ad gloriam: Tum quia (quicquid sit de emancipationibus filiorum, iure positivo inuentis) ex ipso naturæ iure bona filiorum obnoxia sunt iuri, & potestati parentum, propter vnitatem, & identitatem, quæ inter vtrosque intercedit. Imò hoc ipsum constat iure positivo, quo mater in legitimam successionem filiorum vocatur. Ut sancit Iustinian:

in §. Sed nos in stitutione de S. G. Iustinian Tertulliano. Sed nos in constitutione, quam in codice nostro nomine decorato posuimus, matri subueniendum esse existimamus, respicientes ad naturam, & puerperium, & periculum, & morte sepe ex hoc casu matribus illatam: Et dedimus ius legitimum plenum matribus, ut sic vocentur in liberorum suorum successionem. Quare sicut filius naturaliter parentibus subiacet, ita, & bona ipsius. Cum ergo Christus naturaliter dicat ius ad gloriam, hoc ipsum dicet eius mater ex solo titulo maternitatis.

Respondeatur ad argumentum, negando antecedens, quatenus in eo est sermo de participatione Deitatis propria gratiæ sanctificantis, aliqualem enim Deitatis participationem ei non denegamus, sicut à nemine negatur habitibus Theologalium virtutum Fidei, ac Spei, quæ de potentia ordinaria coponi possunt cum peccato lethali. Ad probationem autem antecedentis, quatenus contra hoc potest retorqueri; dicitur Matri Dei, secundum connaturalem prorsus sui statum, solum deberi exercitium talium actuum, adeoque & principia permanentia eorundem elicitua: excipe tamē Fidem, & Spem informes, quæ cum peccato non repugnant. Ratio autem huius est, quia ea permanentia principia actuum, quæ in argumeto enumerantur, sunt proprietates rigorosæ gratiæ sanctificantis, cum igitur gratia sanctificans solum congruenter, seu quantum ad connaturalissimum Matri Dei statum, cum maternitate coniungatur: idem prorsus de ijs permanentibus principijs est dicendum, quæ non nisi mediante gratia haberri possunt. Nec timendum uidetur id assérere de maternitate, cum omnes hoc ipsum adstruant de charactere sacerdotali, qui est princi-

principium instrumentaliter actiuè concurrens ad transubstantiandum panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi ; & hoc taliter , vt virtute talis instrumenti posset de nouo poni idem corpus, si à parte rei non supponeretur existens. De quo supra iam diximus.

68. Sed vrgbis ; vt docet S. Tho: 3 . p: q. 63 . art. 2 . character spectat ad secundam speciem qualitatis , adeoque habet rationem potentiae , quæ cum non tribuat bene, vel male operari , sed solum operari , subdi potest malo vsui habentis ipsum , & consequenter concurrere ad actum malum : vnde fieret, quod si maternitas illi comparetur, potuerit etiam Beatissima Virgo peccare concipiendo Christum , quod omnino falsum videtur , ergo non est similis ratio .

S. Tho. Respondetur primò: negando assumptum iuxta doctrinam S. Tho: 3 . p: q. 32 . art. 4 . vbi ostendit, quod ad immediatam Verbi Diuini conceptionem Beatissima Virgo mere passiuè se habuit, ministrando vide licet materiam: nam hoc modo quælibet mater ad naturalis filij generationem concurrit. Manifestum est autem ad peccandum exigi concursus actuum peccantis ; Ex quo magis confirmatur efficacia adductæ paritatis ; nam si sacerdos instrumentaliter actiuè concurrens respectu corporis Christi Domini , non dicit, nisi secundum omnimodam prorsus connaturalitatem status , colligationem cum gratia sanctificante : hoc ipsum dici poterit de maternitate , cuius ratio fundandi non est nisi passiuus concursus. Duximus autem quoad immediatam Verbi Diuini conceptionem , quia antecedenter ad ipsam, Matrem, siue Dei , siue naturalem actiuè concurrere non negamus , imo asserimus cum Sancto Doctore loco ad-

ducto. Id tamen non refert ad praesens, vt constat.

Respondetur secundo non improbabiliter dici posse , quod etiamsi maternitas Virginis ex hoc , quod non est forma sanctificans , non sit ex natura sua expulsua peccati , vt duximus supra probando primam assertionem ; inde tamen non fit , ex sui natura non postulare immunitatem subiecti à peccato. Eo pari modo , quo actus supernaturalis penitentiæ, eiusque habitus ex natura sua nequit coniungi cum peccato mortali , non tamen propterea est forma sanctificans , idemque contingit in amore super omnia Dei authoris naturalis respectu hominis , ad supernaturalia eleuati , nec tamen propterea est forma sanctificans. Iuxta igitur hunc sensum sustineri potest maternitatem Virginis omnino ex natura sua nō repugnare cum peccato. Aliunde tamen dici optimè potest , ex natura sua pugnare cum peccato , non quia sit sufficiens illud expellere , adeoque subiectum sanctificare: sed hoc contingit ex alijs capitibus, nempe cum sit quid physicum , spectans ad supremum prorsus ordinem , scilicet hypostaticum , pertingit ad hoc , vt nequeat de potentia ordinaria coniugi cum peccato: in quo superare potest omnes gratias gratis datas , & Sacerdotalem Characterem. Et ratio horum videtur: quia cum inter matrem , & filium sit peculiaris omnino coniunctio , orta ex hoc, quod aliquid de substantia matris deriuetur ad filium , oritur ex hac participatione peculiaris quædam repugnantia cum peccato , quamvis hæc repugnantia non sit omnino adæquata , qualis esset, si ex natura sua esset sufficiens ad præexistens peccatum expellendum , & consequenter ad sanctificandum. Et hoc ipsum dici potest , & à fortiori de

vniione

vnione hypostatica , secundum quod est modus substantialis creatus , præscindens à Persona Verbi.

J. August. 69 . Et hoc posset etiam explicari ex eo quod asserit S. Augustinus in libro 9. de Assumptione Beatæ Mariæ , vbi probat , corpus Virginis non esse incineratum , quia est eiusdem naturæ cum corpore Filij , quod ex suo sumptum est: Quare sicut ex hac peculiari corporum conuenientia colligit S. Augustinus similitudinem in prærogatiua corporeæ incorruptionis . Non dissimiliter & nos colligimus conuenientiam in immunitate à spirituali corruptione , quam ponit peccatum . Vnde apparet non potuisse secundum potentiam ordinariam contingere , vt Virgo permittere retur peccare etiam venialiter , concipiendo Christum Dominum .

Ad confirmationem argumenti respondetur , concedendo maiorem , & negando minorem , quantumuis enim maternitati Virginis competit participatio quædam formalis Diuinæ perfectionis , inde tamen non sequitur eam esse radicem claræ visionis Dei: vt instari potest in virtutibus Theologalibus Fidei , & Spei , ex proprijs meritis sumptarum . Exigitur ergo participatio perfectionis Diuinæ secundum proprium naturæ Diuinæ conceptum , qualis competit dumtaxat gratiæ sanctificanti , de qua sola per se omnino verificatur , quod sit fons aquæ salientis in vitam æternam . Et ratio est , quia visio clara Dei est participatio intellectionis essentialis , qua Deus seipsum intelligit , vndè solum haberi poterit ut proprietas ab ea perfectione creata , quæ fuerit formalis participatio essentiæ , seu naturæ Diuinæ , vt talis: sicut actio propria hominis solum est proprietas habentis naturam humanam . Quod autem virtus concipiendi Christum

& cōceptio , ac maternitas ex illa sequuntæ non sint participationes perfectionis Diuinæ , secundum naturæ Diuinæ conceptum , facile appetet ex dictis : nam vt diximus tria predicta spectant ad gratiam gratis datum , patratuum miraculorum , quæ est formalis participatio attributi omnipotentiae , seu scientiæ Dei , hæ enim in Deo coincidunt ut suo loco ostensum est .

Per quod etiam soluta omnino relinquitur secunda probatio , nam sicut in naturalibus predicta successio fundatur in naturæ identitate , & unitate: non dissimiliter quoad præfens oporteret fundari in eadem naturæ identitate , quæ non habetur per ea , quæ pertinent ad maternitatem . Quod etiam dicitur de iure positivo , corruit , cum in Virgine non sit idoneitas ad claram Dei visionem: hanc enim radicari oportet in participatione formalis Diuinæ naturæ , vt talis: & propterea si ab humanitate Christi , & illius vniione hypostatica creata , præscindamus Personam Verbi , & gratiam habitualem , non datur pariter idoneitas ad eandem claram Dei visionem , & hoc ex eadem prorsus ratione: Ita cum in Dei Matre Persona Verbi solum ut extrinsecus terminus importetur , hoc ipso , quod ab illa præscindas gratiam sanctificantem , nullum in ea datur principium , vi cuius sit idonea ad claram Dei visionem , quæ radicatur , ut saepe diximus , in formalis naturæ Diuinæ participatione , solius gratiæ habitualis propria .

70 . At vrgebis : ergo ex vi solius maternitatis non ponetur mutuus benevolentiae amor inter Christum , & Matrem ipsius , sed poterit Mater Christi existens in peccato odio haberi à Deo , quod tamen videtur absurdum , cum ex ipsa natura insitum sit filijs , parentes

tes diligere, & ab ipsis filios redamari. Respondetur: concedendo sequelam quoad supernaturalem Charitatis amorem, quia habitus Charitatis est proprietas rigorosa gratiae sanctificantis, vnde hac non habita, vtique talis amor haberi non poterit, quamvis naturalis amor non deesset; Et ratio horum à priori est, quia origo talis amoris est naturalium eorum, qui se amant, & redamant identitas. Vnde Tullius orat: 3. in Verrem dixit: *Cum filijs viui bona nostra partimur, quia pro eadem persona habentur.* Et Arist: 8. Ethic: *Filij à parentibus sunt velut alteri ipsi inseparati;* Quo fit; non dandum inter Matrem Christi, eiusque filium mutuum Charitatis amorem, non presupposita unitate in natura supernaturali gratiae sanctificantis: bene autem amorem præcisè naturalem, qualis est inter naturalem matrem, & filium; cum adhuc præcisa gratia sanctificante à Virgine, daretur inter ipsam, & Christum identitas specifica quoad naturam humanam.

71. Circa hoc tamen notandum duximus; quod tribus modis de Matre Dei possumus loqui. Primo de ipsa, vt dicente maternitatem præscendentem à gratia sanctificante, cum hac tamen realiter coniunctam: & hoc modo, nemo dubitat dari in Virgine, Dei Matre, realiter loquendo, principium permanens, elicitiū amoris Charitatis erga Christum. Secundò, ita vt Mater Christi sit quoad naturam humanam in puris naturalibus, nihilque supernaturale intrinsecum, habeat præter ea, quæ requiruntur ad constituendam ipsam Dei Matrem, vt talem. Et iuxta hanc considerationem posset habere habitum, vi cuius Christum diligenter amore naturali super omnia, qualiter homo in puris naturalibus Deū finem, & authorem naturalem

super omnia diligere posset. Adhuc tamen eiusmodi naturalis amor super omnia, quo Virgo Dei Mater Christum diligenter, esset physicè quoad modum supernaturalis, ratione elevationis, quam haberet natura Virginis, ac habitus naturalis amoris in ea existens, vi coniunctionis ad ea supernaturalia, quæ Virginem Matrem Dei constituerent, quæque etiam pertinent ad ordinem hypostaticum, vt sèpè dictum est.

Et ratio huius est, quia sicut virtutes acquisitæ ordinis naturalis ex coniunctione ad Charitatem supernaturalē redduntur ex illius participatione, quoad modum relationis in finem supernaturalē, supernaturales, & generaliter causa inferioris ordinis, ex coniunctione ad superioris ordinis virtutem, semper quoad modū perfectior redditur, dummodo eius fuerit capax: vt eruditè satis ostendunt N. Salmant: tract: de vitijs, & peccat: disp: 10. n. 60. & sequentibus, soluentes omnes obiectiones, quæ contra hanc doctrinam obici possunt. Pari quoque modo principium naturale elicitiū eius amoris super omnia, coniunctum cum physica perfectione ordinis hypostatici, habet ex hac coniunctione, quoad modum physicum eleuari, & consequenter fieri amor naturalis super omnia, quoad modum physicum supernaturalis: imò hypostaticus, seu vt melius loquamur hypostatici ordinis, ad hunc enim Mater Christi vt talis spectat.

72. Et hoc ipsum confirmari magis posset: supponendo breuiter ex Phylosopho 9. Ethic. & D. Tho: ibidem lect: 7. in fine, qui afferunt matrem magis diligere filios, quam Pater amet, eiusque maioris dilectionis assignant duas rationes, videlicet: *Tum quia magis laborant portando, & pariendo eos, quam patres.* *Tum etiam quia magis possunt scire, quod sint earum filij quam*

s.Thom. quam patres: Quibus rationibus tertiam aliam adiungit. S. Doctor in 3. dist: 29. quæst. 1. art. 7. ad 4. cum ait *Tertio*: quia statim patres secum tenent, & nutriunt; non autem patres, sicut & consanguineos, cum quibus conuersati sumus, magis diligimus, quia amicitia naturali adiungitur amicitia socialis. Et hoc totum (nempe quod dictum est in his tribus rationibus) credit ad hoc, quod plus de suo ponit mater in filio quam pater. Vnde habetur vrgentior impulsus ad amandum, nam ut docuit etiam Angelicus Doctor 2.2. quæst: 26. art. 12. Naturale est cuilibet, ut diligit opus suum: sicut videmus, quod Poeta diligit poemata sua. Et hoc ideo, quia unumquodque diligit suum esse, & suum uiuere, quod maximè manifestatur in suo agere; cum ergo filius sit magis opus proprium matris, quam patris, propter rationes dictas, mater magis amore naturali diligit filium.

Quibus rationibus addere possumus aliam, Matris Dei propriam, nempe hoc, quod est, conceptionem Virginis fuisse miraculosam, adeoque rariorem, & consequenter ex sua prætiositate impulsuam ad ferventiorē amorem. Ex quibus omnibus apertissimè constat, naturalem eūamorem super omnia erga Christum, auctum ualde fuisse ex coniunctione ad supernaturalem conceptionem, ac maternitatem, redditumque fuisse quoad modum physicum ordinis hypostatici. Et quoad modum physicum dicimus, non quoad entitatem, quia amor quoad physicam entitatem supernaturalem, petit radicari in natura, quoad physicam entitatem supernaturalem, quod non habet Mater Dei vt talis, cum solum participet attributum omnipotentiæ, vt iam supra notauiimus.

Tertiò demum maternitas sumi
De Adorat. Sanctor. & pecul. SS.V.

poteſt, vt de potentia absolute co- niuncta cum peccato, iuxta dicta supra n. 68. in secunda responsione. Et hoc modo ſolum daretur in Vir- gine purus omnino amor naturalis, qualis datur ia quacumq; matre na- turali respectu proprij filij ex natura- li cauſa ortus: & rursus nō desineret adhuc talis amor eſſe quoad modum physicum supernaturalis, & hy- postatici ordinis ex coniunctione ad conceptionem, & maternitatem, pertinentes ad ordinem supernatu- ralem, & hypostaticum; vti nuper explicatum eſt: in quo, ſuppositis modò dictis, non appetet peculiaris difficultas. Et hæc licet obiter di- cta ſint, ad vberiorem tamen adduc- tæ confirmationis ſolutionem inſer- uient, neque omnino à praesenti in- ſtituto vi dentur aliena.

73. Quartò arguitur Materni- tas Virginis sanctificauit corpus il- lius, sanctitate propria materni- tatis, ergo etiam animam eiusdem. Antecedens quoad primam partem docetur à pluribus Sanctis Patri- bus, & admodum clare habetur ex illo Lucæ 11. *Beatus uenter, qui te* *s.Lucas portauit &c.* Quoad secundam pro- batur; quia ea sanctitas, vtique non eſt illa, quæ gratiæ sanctificantis eſt propria, etenim huius tantummodo animus rationalis eſt capax, vnde erit propria maternitatis, vt ab illa preſcindentis. Consequentia ſuade- tur à Patre Ripalda fec: 13. n. 93. ex Nyſſeno Orat: 3. de Natali Do- mini dicete. O beatum uerum illum, *P.Ripal.* qui bonitatis ſue praſtantia ad ſe tra- xit animi bona. In reliquis omnibus *s.Greg.* *Nyſſen.* vix animus purus Spiritus Sancti pre- ſentiam capit. Hic autem verò fit Spi- ritus Sancti receptaculum: Miratur Nyſſenus(prosequitur citatus author) ueri Virginei Sanctitatem, que tan- ta fuit, vt eam in animam deriuari. Et Spiritum Sanctum, cuius proprium eſt in animis degere, ac manere in ſe R attrah-

attraxerit &c. Tum etiam: quia Sanctitas magis est propria animæ quam corporis, si igitur corpus sanctificatur per maternitatem, quanto magis anima?

Tum etiam quia Matri Vnigeniti Dei debetur puritas, seu integritas carnis, hoc est Virginitas, ergo etiā puritas, & integritas mentis, quæ est sanctitas animæ. Tum demum: quia corpori Beatissimæ Virginis ratione maternitatis debetur maxima quædam, & quodammodo miraculosa pulchritudo, & venustas, immo & incorruptio, & in cœlos assumptio: multo igitur magis ex eodem titulo maternitatis debita erit pulchritudo, & venustas supernaturalis, quæ est sanctitas: atque adeo vi eiusdem maternitatis, debet omnino eius anima esse à peccati fœditate aliena, ac cœlesti luce Sæctitatis irradiata: cum animi turpitudo sit peior, maiorique abominatione digna.

Respondetur: antecedens esse verum de sanctitate, prout coincidit cum perfectione physica ordinis hypostatici, qualis est maternitas, eiusque fundamentum, ut sèpè dictū est: & iuxta hunc sensum intelligenda sunt verba illa S. Lucæ: per quod patet ad probationem secundæ partis antecedentis, nā maternitati concedimus aliquam propriā sanctitatem, omnino distinctam ab ea, quæ competit gratiæ sanctificanti. Quantum ad consequentiæ probationem ex Nysseno desumptam, primò clare constat, ipsum loqui de Sanctitate illa secundaria, quæ à sanctitate animæ Virginis deriuata est etiam in corpus eiusdem, adeoque de ea, quæ ad connaturalissimum Matri Dei statum exigebatur, habuit enim sanctitas Animæ Virginis, ut peculiari modo redundauerit in corpus eiusdem, in quo residebat & fundamentum, & maternitas eiusdem Virginis.

74. Oportet autem peculiarem hanc redundantiam gratiæ Sanctificantis in corpus Virginis breuiter exponere. Itaque primò dicitur cum S. Tho. exponente Angelica m salutationem opus: 8. Virginem appellatam fuisse gratia plenam, quia tribus modis, seu quantum ad tria id habuit. Primò quia vitavit omne peccatum, & omne bonum opus exercuit, vt ibidem declarat Sanctus Doctor. Secundò plena fuit gratia, (loquitur Angelicus) quantum ad redundantiam anime ad carnem, vel corpus. Nam magnum est in sanctis habere tantum de gratia, quod sanctificet animam: sed anima Beata Virginis ita fuit plena, quod ex ea refudit gratiam in carnem, ut de ipsa conciperet filium Dei, & ideo dicit Vgo de S. Victore *Quia in corde eius amor Spiritus Sancti singulariter ardebat, ideo in carne eius mirabilia faciebat in tantum, quod de ea nasceretur Deus, & homo. Luce 1.* Quod enim nasceretur in te Sanctum vocabitur Filius Dei. Sanctitas ergo Virginis refusa est in corpus, vt gratia gratus data miraculosæ conceptionis Verbi Diuini connaturalissimo in statu ab ea haberetur. Quid autem sit hæc sanctitas in corpus refusa, melius exponet in secundo dicendi modo, quem mox subiiciemus. Tertiò dicitur Virgo plena gratia, quantum ad refusionem in omnes homines, de quo ibi S. Doctor.

Secundò exponi potest eiusmodi redundantia ex quodam dicendi modo, quem refert, & probabilem censet Angelicus Doctor 3. p. quæst. 27. art. 3. cum ait de Virgine sanctificata. *Posset intelligi quod totaliter fuerit sublatus fomes hoc modo, quod præstitum fuerit Beate Virgini ex abundantia gratiæ descendantis in ipsa, ut talis esset dispositio virium anime in ipsa, quod inferiores vires nunquam mouerentur sine arbitrio rationis.*

tionis, sicur dictum est fuisse in Christo, quem constat peccati somitem non habuisse, & sicut fuit in Adam ante peccatum per originalem iustitiam, ita quod quantum ad hoc gratia sanctificationis in Virgine habuit vim originalis iustitie. Et quamvis haec positio ad dignitatem Virginis Matris pertinere videatur &c. prosequitur Angelicus Praeceptor ostendendo hunc dicendi modum esse minus probabilem, non tamen ipsum omnino reiicit, cum enim proprium assignat, inquit. Et ideo videtur melius dicendum &c. qui loquendi modus aperte satis insinuat, praecedentem non carere sua probabilitate. Ex eo autem habetur: nendum quomodo redundauerit gratia Virginis, existens in anima ad eius corpus: verum, etiam, quisnam fuerit proprius effectus eiusdem redundantiae, nempe perfecta subiectio virium inferiorum ad superiores, quae perfecta obedientia complectitur, nendum, omnia supernaturalia dona, siue in uoluntate siue in appetitu sensitio existentia, verum etiam virtutes omnes per se acquisitas, & Virginis per accidens infusas, & omnia hec a virtutibus nostris, ac donis supernaturalibus quoad modum diuersa, ut in tractatu de homine Innocenti aliquando forte demonstrabimus.

75. Nunc quantum ad id quod addit P. Ripalda fatemur multum admirationis peperisse in nobis modum loquendi ipsius, cum enim in verbis Nysseni relati ab eodem authore dicatur, quod Vterus Virginis ad se traxerit animi bona; ex hoc infert Ripalda: *Miratur Nyssenus uteri Virginei Sanctitatem, quae tanta fuit, ut eam in animam deriuaret.* Si enim sanctitas Vteri Virginei iuxta Nyssenum attracta fuit ab anima ad corpus: hoc enim, si Linguam latinam calleo,

De Adorat. Sanctor. & SS. Virg.

clarè significant illa verba: *O beatum uterum illum, qui bonitatis sua præstantia ad se traxit animi bona:* & hoc ipsum sequentia verba sole clarius ostendunt. Si inquam hoc dicit Nyssenus: quomodo verum erit, eundem Nyssenum velle, iuxta glossam Ripalda, Sanctitatem Vteri Virginei deriuatam fuisse in animam. Certè nisi dedissem verba huius authoris, mihi nō credidisses. Nisi velimus dicere aliquod arcanum, aut in verbis Nysseni, aut in verbis Ripalda latere, quod mihi est ignotum. Et quidem de tenuitate mei ingenij id suspicari non est temerarium. Et quicquid sit de verbis, indubitatum omnino esse debet Sanctitatem moralem, ac propriè dictam de qua loquitur Nyssenus ab anima descendere in corpus sic enim rectus ordo postulat, & ita contingebat in statu innocentie; ut explicat S. Tho: pluribus in locis,

Demum & si concedamus, maternitatem, eiusque fundamentum primariò in corpore Virginis existentia, perfectionem suam deriuare ad animam, nihil aduersus nostram conclusionem sequetur: nam solum id erit uerum quoad physicam perfectionem, non vero quoad moralem, illam enim dumtaxat non autem istam maternitati eiusque fundamento tribuimus. Ad aliam probationem dicimus, eam concludere de sanctitate propriè dicta, qualis est moralis, omnis enim moralitas fundatur in libertate, quae animi primariò est propria: securus de sanctitate largo modo sumpta, dicente videlicet perfectionem purè physicam, & corpoream, etsi pertinentem ad ordinem hypostaticum; eiusmodi enim perfectio potest recipi etiam in re inanimata, tenente se ex parte accidentium Eucharisticorum, & in alijs perfectioni-

bus supernaturalibus, eleuantibus sensibilia sacramenta. Ad alias probationes constat ex dictis, nam ex corporis perfectiones solum quoad connaturalissimum statum exigunt coniunctionem cum gratia sanctificante animæ, quantumuis enim miraculosæ non excedunt limites gratiæ gratis datæ. Nonnulla alia adducit citatus author, quæ referre non est opus, nam ex hac tenus tradita doctrina, ut credo, potest non difficulter solutio haberi. Vnde quæ hucusque dicta sunt sufficientiunt.

§. VII.

Soluuntur argumenta contraria alijs assertionibus.

76. **S**ecundæ nostræ assertioni aduersantur, saltem ex parte, P. Suar: tomo 2. in 3. p. disp: 22. sec: 2. in fine, & P. Ripalda lib. 4. disp. 79. sect. 8. nū. 64. Primus itaque ait, quod si daremus euentum, in quo Maternitas, eiusque fundamentum ponerentur in Beatissima Virgine constituta in puris naturalibus, adeoque non habente gratiam sanctificantem habitualem, tunc ratione solius maternitatis esset adorabilis, & videtur aperte loqui de adoratione hyperdulicæ absolutè sumptæ, & consequenter prout dicit quid physicum, & morale, & in hoc posteriori nobis contradicit, qui talem adorationem dicimus elici ab habitu hyperdulicæ prout præcisè est ordinis physici, & hypostatici, id exigente natura excellentiæ, quæ est ratio formalis terminandi talem adorationem. Eandem etiam hyperdulicæ adorationem tribuit P. Ripalda Virgini Matri, nedum vt alias existenti in puris naturalibus, verum

P. Suar.
Ripalda

etiam vt priuatæ gratia sanctificate, falso assertens idem sentire P. Suar: hic enim expressè negat, Virginem existentem in peccato, & habentem dignitatem Matri Dei, esse adorabilem cultu religioso, constat autem priuationem gratiæ esse peccatum, & iuxta hunc sensum uidetur loqui P. Ripalda, qui talem adorationem hyperdulicæ tribuit Virgini Matri Dei, quamvis alias in peccato existenti. Ex quo apparet vtrumque authorem aliquo etiam ex capite nostræ tertiaræ assertioni contradicere, quatenus Suar: nullam ponit adorationem erga Matrem Dei, posito quod alias in peccato existaret. Ripalda vero ponit adorationem directam; & nos sequuti S. Tho: admisisimus solum indirectam hyperdulicæ adorationem.

Fundamentum P. Suar: est. Posito Virginem Dei Matrem habere puram parentiam gratiæ sanctificantis, adeoque quodammodo constitutam esse in puris naturalibus, adhuc sola dignitas Matri Dei esset excellentia sufficiens ad terminandam hyperdulicæ adorationem, ergo absolutè loquendo adorabilis esset ea adoratione. Antecedens probat P. Suar: quia talis dignitas secundum se est sufficiens ad exigendam prædictam adorationem, & aliunde nullum daretur peccati impedimentum, vnde nihil obesset, quo minus eam terminaret, eaque digna esset, nam solummodo peccatum, & inimicitia cum Deo videatur posse excludere talem adorationem.

Possumus rursus hoc ipsum confirmare: Adoratio hyperdulicæ adequate sumpta nunc defacto non debetur Virgini ratione excellentiæ gratiæ sanctificantis, sed ratione dignitatis Matri Dei cū præcisione sumptæ, atqui in prædicto euentu eiusmodi dignitas eodem modo se haberet;

haberet, ergo digna esset adoratio-ne hyperduliæ adæquate accepta. Maior videtur manifesta, quia adoratio hyperduliæ solummodo debetur personæ ratione excellentiæ spe-ctantis ad ordinem hypostaticum, ad quem non pertinet gratia Virgi-nis, sed eius dumtaxat maternitas. Minor suadetur, quia hoc ipso, quod non coniungeretur cum labo peccati, eodem modo se haberet, sola enim peccati fæditas eam di-versam reddit, & quodāmodo ma-culat. Consequentia liquet. Adde sola dignitas Matris Dei cū præci-sione sumpta est excellentia ex pro-prijs meritis adæquata, & ordinis supre-mi, ergo indepen-deuter à coniunctione cum gratia sanctifi-cante exiget adorationem aliquam adæquate acceptam, & consequen-ter adorationem hyperduliæ, ne-dum vt pertinētis ad ordinem phys-icum, vt nos diximus, verum etiam moralem: siquidem adorationem oportet proportionatam esse ratio-ni formalī terminandi adoratio-nem.

77. Respondetur ad argumen-tum, antecedens esse verum de ado-ratione hyperduliæ inadæquate ac-cepta, & consequenter vt elicita ab habitu hyperduliæ, physicè sum-pto, vt sàpè dictum est; secus lo-quendo de adoratione hyperduliæ, procedente ab habitu physicè, & moraliter accepto. Ad probatio-nem dicitur, quod cum maternitas, eiisque ratio fundandi, pertinentes ad ordinem hypostaticum, nullam dicant moralem sanctitatem, datur im-pedimentum, vt sic dicamus, ne-gatiuum, situm in pura carentia sanctitatis moralis, hæc enim est excellentia, quæ est ratio formalis terminandi adorationem hyperdu-liæ, physicè, & moraliter sumptam, vt constat ex dictis.

Ad confirmationem respondetur:

hyperduliæ adorationem adæquate sumptam debitam esse excellentiæ, quæ habetur ex toto hoc coniuncto; nempe maternitate, & gratia sancti-ficante, vnde neutri sigillatim sum-ptæ debetur. Et ratio est, quia gra-tia Virginis seorsim accepta non spectat ad ordinem hypostaticum, vnde vi illius Virgo non exigit hy-perduliam: Maternitas autem, eiusque ratio fundandi etsi spectent ad ordinem hypostaticum, non di-cunt tamen aliquam moralem san-ctitatem, & consequenter non postu-lant terminare hyperduliæ actum, physicè, & moraliter acceptum. At gratiæ, & maternitas simul sumptæ vtramq; prædictam rationem com-pleteuntur: & per consequēs hyperduliæ actum physicè, & moraliter acceptum exigunt.

Adde totum illud coniunctum ex gratia sanctificante Virginis, eius-que maternitate consurgens, perti-nere ad ordinem hypostaticum, ne-dum ratione maternitatis, verum etiam ratione gratiæ, vt sanctifican-tis Dei Matrem. Et hoc ideo, quia vt docuit Angelicus Præceptor 3. part. quæst. 7. art. 10. ad 1. Beata Virgo dicta est plena gratia, non ex parte ipsius gratiæ, quia non habuit gratiam in summa excellentia, qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratiæ, sed dicitur fuisse plena gratia per comparationem ad ipsam; quia sci-lacet habebat gratiam sufficientem ad statum illum, ad quem erat electa à Deo: ut esset scilicet Mater Vnigeniti eius. Si igitur gratia Virginis erat commensurata statui maternitatis Vnigeniti Dei, & eiusmodi status, iuxta omnium sensum, est hyposta-ticus, clarè appetet eiusdem Virgi-nis gratiam, vt sanctificatiuam sta-tus Matris Dei suo modo ad ordi-nem hypostaticum pertinere: & consequenter complexum illud ra-tione vtriusque partis in ordine hy-postatico

postatico collocandum : quamuis non eodem prorsus modo ; nam Matri Dei , ut tali id competit immediate , gratię verò mediante statu Matris Dei: sicut è conuerso id contingit quantum ad sanctitatis munus. Per quæ patet ad id , quod additur, non enim maternitas, eiusque ratio fundandi, cum præcisiōne à gratia , dicunt excellentiam adæquate sumptam, prout hæc complectitur physicum, & moralem ordinem , sed prout præcisè sistit in ordine physico hypostatico .

78. Secundò ad idem arguit P. Ripalda Sancti Patres , & Theologi vnanimi consensu asserunt , dignitatem Matris Dei ex proprijs omnino meritis exigere adoratio nem hyperduliae , ergo ut præcisa à gratia sanctificante , eam adæquate sumptam promeretur. Antecedens probat adducendo aliqua eorum , testimonia : & rursus ex eo quod Patres , & Theologi nullam mentionem facientes alterius tituli , absolutè tribuunt Matri Dei adoracionem hyperduliae , & consequenter in talem dignitatem, etiam præscindentem à gratia sanctificante , eam adoracionem refundunt .

Confirmat hoc ipsum. Demus diuidi à Virgine gratiam habitualem , adhuc erit adorabilis adoratione hyperduliae , qua præferatur omnibus iustis , ergo sola dignitas Matris Dei præcisè sumpta promeretur eam adoracionem. Antecedens probatur: quia si necessarium esset prætermittere alterutrum honorem , vel Sanctis, vel Dei Matri exhibendum: satius , & honestius esset Sanctorum , quam Dei Matris cultum prætermittere . Consequentia liquet .

Respondetur ad argumentum : negando antecedens , si fuerit sermo de ea adoratione adæquata sumpta , vt sæpè diximus : ad illius

primā probationem dicitur; Patres omnino loqui de dignitate matris secundum quod de facto est , & per consequens , ut coniuncta cum gratia sanctificante: non enim ad eiusmodi præcisiones attenderunt. Quoad Theologos dicendum paucos in terminis rem hanc attigisse , & licet qui hanc difficultatem pertractarunt non ita distinxerint , vti distinctum est à nobis , qui adorationem physicè sumptam , à seipsa adæquate accepta , seu etiam moraliter considerata , secernimus , id parum refert , cum possit aliquid , quod fortè nōum est , adstrui , dūmodo habeatur sufficiens fundamentum , quo nos non carere arbitramur. Ad secundam probationem eodem modo dicimus: sermonem esse apud alios de dignitate matris in connaturalissimo statu , in quo cum sanctificante gratia coniungitur , & hoc modo absq; mentione alterius tituli adoracionem hyperduliae adæquate sumptam promeretur .

79. Ad confirmationem respondeatur; antecedens esse verum , si adoratio tunc debita Virgini Matri , præcisè carenti gratia sanctificante consideretur physicè : secus verò si moraliter sumatur , quia tunc ea adoratio procederet ab habitu hyperduliae physicè tantum sumpto: at adoratio debita Sanctis esset adoratio dulie physicè , & moraliter accepta : vndē hæc saltem quoad moralitatem illam excederet . Ad probationem verò antecedentis negatur assumptum : posito enim , Virginem Dei Matrem carere gratia sanctificante, satius , ac honestius esset Sanctos , quam Beatam Virginem Dei Matrem venerari . Et hoc quia aperte colligitur ex verbis Christi Domini Lucæ 11. *Quin imò beati*, s. Lucas *qui audiunt verbum Dei* . Siquidem secundum expositionem Maldonati , quem superius retulit , & secutus est Pater

Pater Ripalda, ly *Quin imo.* Sumit
tur comparatiuè, ita vt custodia le-
gis Diuinæ, atque adeo moralis
Sanctitas gratiæ præferatur dignita-
ti Matri Dei, cum præcisione sum-
ptæ. Tum etiam: quia maxima om-
nino excellentia creaturæ rationalis
sita est in gratia, & Charitate, quæ
illam in ordine ad ultimum finem
supernaturalem rectificant. Tum
rursus: quia honestas potissimè spe-
ctat ad ordinem moralem, ad quem
spectat sanctitas moralis, non verò
perfectio physica, etiam hypostatici
ordinis. Vnde deducimus, quod si
humanitas Christi, eiusque vno hy-
postatica, prout est modus substan-
tialis creatus per possibile, aut im-
possible separarentur ab omni San-
ctitate morali, seu creata, seu in-
creata, honestius esset adorare per
duliam Santos, quam prædictam
humanitatem, & unionem sumptas
cum tali negatione: posito verum
esse, vt omnino verum putamus, ta-
lem unionem esse quid dumtaxat
physicum, & ordinis hypostatici.
Ethoc propter adductas rationes.
Vide verba S. Ioan: Chrysostomi,
quæ supra adduximus §. I.

80. Tertiò arguit idem Ripalda in fine illius sectionis 8. Quam-
uis poneremus Beatissimam Virgi-
nem existere in peccato mortali, ad-
huc ratione dignitatis Matris Dei
esset adorabilis adoratione hyper-
dulicæ, ergo exigentia huius adora-
tionis omnino fundatur in dignita-
te Matris Dei cum præcisione acce-
pta. Antecedens, inquit ipse, quam-
uis negetur à P. Suar: loco citato,
ex eo, quod peccatum talem adora-
tionem videatur impedire, proba-
tur tamen, quia honestum est hono-
rare reges, & prælatos quantumuis
alias peccatores, Deusque præcipit
honorem, & obsequium à subditis
eis exhiberi: honor enim directè
collimat in dignitatem personæ,

quæ cum peccato composita, etiam
eadem, ac prorsus indemnus perse-
uerat. Consequentia probatione
non indiget.

Respondetur ad argumentum
iuxta dicta in tertiae assertionis pro-
batione: antecedens solūmodo ve-
rum esse de adoratione indirecta,
quam nō impedit existentia in pec-
cato, sed sola confirmatio in malo, vt
vidimus ibidem ex D. Tho: in 3.
dis: 9. quest. 2. art. 3. Vnde etiam
constat Prælatis malis deberi ho-
norem, & adorationem indirectam,
ratione virtutis, ad quam inducen-
dam, seu conseruandam sunt desti-
nati.

Verum contra hanc doctrinam,
& consequenter in tertiam assertio-
nem possimus in hunc modum ar-
gumentari. Posito quod Dei Mater
existeret in peccato mortali non di-
ceret proximam capacitatem ad
sanctitatem, ergo nec directè nec
indirectè esset adorabilis. Ante-
cedens suadetur: quia proxima capa-
citas ad aliquam formam haben-
dam dicit remotionem omnis impe-
dimenti, quā tamen non dicit Mater
Dei existens in peccato, cum istud
sit impedimentum ad gratiam ha-
bendam, ita vt, secundum Scholam
Thomisticam, nec de potentia ab-
soluta simul esse possint. Consequen-
tia suadetur: quia remota capacitas
ad sanctitatem non videtur suffi-
cientis ad terminandam indirectam
adorationem hyperdulicæ physicæ, &
moraliter sumptæ.

81. Ut huic argumento fiat sa-
tis: sciendum dupliciter aliquod su-
biectum impediri posse à receptione
alicuius formæ; primò destruendo
formam subiecto debitam; nihil ta-
men auferendo de positiva capaci-
tate subiecti: vt contingit dum quis
opponet aliquod corpus opacum
inter solem, & aërem, qui est luci-
dus, nam in aere remanente tene-
broso

broso, solum destruitur lux, & nihil auferitur de eius positiva aptitudine ad lucem habendam. Secundò ponendo aliquid positivum in tali capacitatem, quod & destruat formam, & post destructionem in eadem capacitatem relinquatur, ita ut nemo in illa detur priuatio formae, sed positivum aliquid, impediens formae rectio-nem, ut cum in subiecto capaci frigoris, nendum istud destruitur, sed etiam ponitur calor positivè contrarius frigori. Tradidit hanc doctrinam Angelicus Praeceptor de Malo quest. 2. art. 2. his verbis: *S.Thom.*

Habilitas diminui potest dupliciter, uno modo per subtractionem, alio modo per contrarij positionem. Per subtractionem quidem, sicut aliquid corpus est habile ad calefaciendum, per calorem, quem habet, unde diminuto calore diminuitur habilitas calefacien-di. Per appositionem autem contrarij: sicut aqua calefacta habet naturalem aptitudinem, vel habitualem ad infri-gationem: sed quanto plus fuerit apposita de calore; tanto minuitur habili-tas ad frigus.

Secundò nota: per peccatum non diminui entitatem eius positiva capacitatibus, quam natura rationalis habet ad gratiam sanctificantem: talis enim positiva capacitas est ipsa met entitas obedientialis potentiae, quae aut realiter non distinguitur ab entitate naturali, aut est ipsa naturalis entitas, ut respiciens terminum, seu formam supernaturalem, & consequenter formaliter dicens subiectionem ad agens supernatura-le: nihil igitur de huius entitate per peccatum destruitur: si enim aliquid de ea per peccatum tollere-tur, cum sit finita, & limitata, poterit tandem per multiplicata pec-cata totaliter destrui, adeoque omnino corrumpi posset naturalis inclatio, quam creatura rationalis habet ad virtutem, quod omnino

repugnat, vt probat Angelicus Do-*S.Thom.* ctor 1. 2. quest 85. articul. 2. Duo ergo possunt esse effectus peccati in homine viatore, nempe destructio gratiae, quæ per huius priuationem inducitur, & productio habitus, aut vitiosæ dispositionis. Peccatum enim habituale secundum nostram sententiam in priuatione gratiae sanctificantis consistit, de quo alibi.

82. Consultò autem diximus in homine viatore, quia si fuerit sermo de damnatis, ultra prædicta ponitur per peccatum confirmatio in malo. Porrò haec confirmation in malo, ut docet D.Thomas opus 2. cap:

174. sita est in hoc, quod intellectus totaliter Diuino lumine priuetur, & affectus à Dei bonitate obstinate queratur. Cum enim ultimus finis omnino immobiliter appetatur, ut ibidem dicit S. Doctor, & status dam-natorum sit omnino finalis, sicut & beatorum status, sit inde ut. *S.Thom.* Anima quemcumque finem fibi ultimum praestituisse inuenitur in statu mortis, in eo fine perpetuo permanebit, appetens illud ut optimum, siue sit bonum, siue sit malum, secundum illud Ecclesiastes 11. Si cæciderit lignum ad anstrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco cæciderit, ibi erit. Sic igitur post hanc uitam, qui boni in morte inueniuntur, habebunt perpetuò voluntatem firmatam in bono: qui autem mali tunc inueniuntur, erunt per-petuò obstinati in malo. Ex quo colli-gimus damnatorum hominum con-firmationem in malo sitam esse in eo, quod hoc ipso, quod eorum intellectus sit totaliter diuino lumi-ne priuatus, immobili cognitione practica malum finem apprehendunt, iudicantque summum bonum propriū, preponendo illud cuicunque alteri: ex quo pratico iudicio sequitur in voluntate immobilis omnino amor eiusdem mali ultimi finis: & ex ultiroque actu confirmatio in

in malo, seu obstinatio in illo.

Nunc ad argumentum absolutè loquendo negatur antecedens, quia tunc simpliciter non esset in peccatore proxima potentia ad gratiam, quando peccatum, aut diminueret aliquid de entitate eius capacitatis, quam dicit ad eandem gratiam, vel quando poneret aliquid posituum, ligans talem capacitem, & ut sic dicamus obstruens os illius per aliquid posituum, resistens immobiliter gratiæ receptioni, quorum nullum ponitur per peccatum in uiatore: nam solùmodo ponitur priuatio gratiæ, aut hábitus, seu vitiosa dispositio, quæ duo ultima quantumuis maximam habuerint intensionem, non sunt incompossibilia, cum actuall gracia sanctificante, & primum nempè priuatio, nedum tollit, imò supponit capacitem, quantumuis elongatam à forma, & vi huius elongationis, seu distantiæ dici potest secundum quid potentia remota: secus autem continet in confirmatis in malo, cum illis istis positius actus, tum intellectus, tum voluntatis ligent talem capacitem, præcludantque ianuam receptioni gratiæ, vnde simpliciter habent potentiam remotam. Per quod patet ad probationem antecedentis, nam quamuis priuatio gratiæ, & gracia sint incompossibiles, non inde habetur tolli simpliciter potentiam proximam: vt appareat manifestè in aere tenebroso in quo datur proxima capacitas ad lucem, quamvis hæc simul cum sui priuatione sit incompatibilis.

83. Tandem aduersus eandem tertiam assertionem argumentari possumus: quia Virgini Dei Matri, posito quod in peccato mortali existaret, adhuc ratione maternitatis videtur exhibendam illi esse aliquam directam adorationem, ergo male illi tribuimus adorationem.

De Adorat. Sanctor. & pecul. SS.V.

dumtaxat indirectam ratione gratiæ cuius modo nunc dicto esset capax; Antecedens probatur quia cum tale peccatum nullatenus destrueret physicam perfectionem ordinis hypostatici, quam diximus esse propriam maternitatis, eiusque rationis fundandi, vtique vi huius exigeret adorationem hyperdulicè physice supernaturaliter acceptam, hæc enim est proportionata maternitati, eiusque rationi fundandi physicè sumptis, & pertinentibus ad ordinem hypostaticum, vt sèpè diximus. Consequentia constat: quia saltem diminutè processimus non assignando omnem adorationem Matri Dei, etiam in eo statu debitam.

Respondetur negando antecedens: tanta est enim peccati fæditas, ac malitia, vt hoc ipso, quod in aliquo subiecto fuerit, impedit exhibitionem omnis adorationis erga quamcumque excellentiam, speciem etiam ad ordinem physicum. Quapropter dicimus quod ad hoc vt maternitas omnino ex proprijs meritis, adeoque directè terminet aliquam adorationem, necessarium fit, vt vel tantum præscindat à gratia sanctificante, cui realiter est coniuncta; vel saltem supponat subiectum, cui inest pertinere ad purum ordinem naturalem, hoc est dicat membram parentiam gratiæ sanctificantis. Hinc actuale peccatum coniunctum cum dignitate matris impedit omnem prorsus directam adorationem. Et hoc, tum quia actuale peccatum denominat subiectum, in quo est infinitè vile propter infinitam simpliciter moraliter rationem offendæ Dei, cui peccator est obnoxius, vnde excellētia physica maternitatis, quantumuis aliunde maxima, ex tali coniunctione fit minima, & nullius æstimabilitatis. Quod videre est in Angelis malis,

S quorum

s. Tho. quorum physica superioritas in natura, hoc ipso quod coniungatur cum peccato, pro nihilo habetur, estque in illis, ac si non esset, vnde Angelis bonis qui sunt in naturalibus minoris excellentiae non præminet. De quo S. Tho: p. p; quest. 109. art. 4. ad 3.

84. Tum rursus: quia peccatum quantumvis primario pertineat ad ordinem moralem, eumque omnino per se primo laedit; adhuc per se secundo vitiatur, ac deturpat quicquid etiam spectat ad ordinem physicum, cuiuscumque excellentiae fuerit, cum eo coniunctum. Quod declarari posset exemplo, nā posito, quod Angelus peccauerit contra finem ultimum supernaturalis, naturalis dilectio, qua necessario diligit Deum authorem naturæ, quæ proinde physica est, ac diversi ordinis à peccato, sic vitiatur, ac deturpat ex coniunctione ad culpam, vt cesset quoad denominationem dilectionis super omnia Dei authoris naturalis. De quo vide N. Salman. trac. de Angel. disp. 9. n. 42. non dissimiliter physica maternitatis perfectio, et si ordinis hypostatici, ex consortio ad peccati labem ita inficeretur, ac deturparetur, vt et si quoad entitatem perseueraret, cessaret tamen denominatione excellentiae simpliciter, & consequenter ex proprijs meritis nulla esset adoratione digna, adeoque nec directè adorabilis. Tum demum: quia adorationis actus, qui directè dicitur terminari ad maternitatem, etiamsi procedat ab habitu hyperduliae; præcisè vt spectante ad ordinem physicum, adhuc tale esse physicum est omnino per se coniunctum cum moralitate eiusdem habitus, imò cum illa identificatum, vnde non est proportionata excellentiae maternitatis, coniunctæ cum peccato, atque adeo ad il-

lam directè terminari non potest, sed oportet ut sit realiter separata à peccati deformitate: hinc solum adorari poterit pro eo statu indirectè, ratione videlicet gratiæ, cuius est capax. Per quæ patet ad omnia, quæ in argumento allata sunt.

D V B I V M IV.

Vtrum omnis supernaturalis adorationis actus à Religione elicitus?

Non obscurè ex dictis colligitur, triplicem esse supernaturalis adorationis actum; nempe supremum, medium, & infimum: Primus Latria, secundus Hyperdulia, tertius demum Dulia communiter vocatur. Horum maximo debitum cultum Deo exhibemus: secundò colimus pertinentia ad ordinem hypostaticum. Ultimò veneramur Dei Sanctos: quod ergo in præsenti dubio inuestigamus est, an omnes eiusmodi actus una, eadēq; Religionis virtus eliciat, an verò pro uno quoque eliciendo, ponendæ sint peculiares, ac distinctæ virtutes. Et quidem quantum ad supremum latræ actum, indubitatum omnino est elici à virtute Religionis, sicut & duos alios ab eadem Religione imperari posse, nemo ambigit.

§. I.

Duabus assertionibus expeditur proposita difficultas.

85. **D**icendum est primò: actus Dulie, quo Sanctos colimus non est à virtute Religionis elicitiū, sed à propria, ac distincta virtute, quæ etiam Dulia appellatur. Hanc assertionem expressè docet

S. Tho. docet S. Tho: 2. 2. quest. 103. art: 3. vnde desumemus rationē ad probandam conclusionem , verba S. Doctoris sunt . *Dulia , quæ debitam seruitutem reddit homini dominanti , alia virtus est à latrīa , quæ exhibet debitam seruitutem Diuino dominio.*

p. Suar. Idem docet P. Suar: tomo 1. in 3. p. disput: 52. sect: 3. referens D. Bonauenturam in 3. distinct: 9. art 2. quest. 4. aitquè , esse communiorē inter recentiores Theologos , qui de hac materia scripserunt . Probatur ratione Angelici Præceptoris , quæ sub hac forma proponi potest .

S. Bona.

Obiectum formale virtutis Religionis , & virtutis Dulie obiectū pariter formale sunt inter se specie distincta , sed virtutes specie distinguuntur per eorum formalia obiecta , ergo virtus Religionis , ac virtus Dulie sunt specie inter se distinctæ , adeoque actus dulie non est à virtute Religionis elicitus . Maior probatur quia formale religionis obiectum est cultus exhibitus Deo ratione plenarij omnino dominij , quo gaudet super omnes prorsus creaturas , quæ totaliter illi subiiciuntur : obiectum verò formale dulie est cultus exhibitus homini , secundum quod habet participatiōnem quandam dominij Diuini , qua habet particularem solum potestatem super aliquem hominem , vel super aliquam creaturam . Videtur autem manifestum : has duas rationes formales terminandi germinum hunc adorationis actum esse inter se , nedum specie , verum etiam genere , & ordine diuersas : cum plenum , ac totale dominium , super omnes prorsus creaturas , debat esse essentialiter increatum , & Diuinum : secus verò paticipata ea potestas , qua unus homo alterum præcellit , & non totaliter ; & rursus qua omnibus prorsus creatu-

De Adorat. Sanct. & SS. Virg.

ris non principatur , sed aliquibus tantum . Minor constat ex communi metaphysicorum consensu , quo asseritur potentias , & habitus distinguenda esse ad distinctionem specificam formalium obiectorum , quæ inspiciunt . Vnde prima consequentia probatione non indiget : secunda verò probatur , quia Religio , sicut & quælibet alia virtus non elicit nisi actus , qui in proprium , at formale obiectum tendunt .

Confirmatur : Formalissimum Religionis obiectum est cultus reddendus primo omnino principio , ac vltimo prorsus fini , sed hoc est omnino distinctum ab obiecto dulie , ergo he duæ virtutes habent obiecta omnino formaliter distincta , adeoque dulie actus non erit à virtute Religionis elicitus . Maior patet : tum ex Sancto Tho: 2. 2. q. 8 t. ar. *s. Thom,* 1. ad 3. dicente : latrīa , seu Religionis actum deberi Deo , quia scilicet ipse omnia fecit , & quia summum in omnibus rebus obtinet principatum ; quæ duo maximè propria sunt primi principij , ac vltimi finis ; he enim dux rationes in uno , eodemque oportet ut coincident . Tum rursus : quia Religio maximè accedit ad virtutes Theologales , ex eo quod quamvis eius obiectum , quod non sit Deus , eius tamen obiectum , seu finis cui , Deus est , qui habet rationem primi principij , & vltimi finis , & sub hac formalissima ratione à virtute Religionis inspicitur , tanquam videlicet supremus omnino Dominus , princeps vniuersalis , nedum extensiù , verum etiam intensiù , ita ut omnibus , & singulis creaturis , & quoad omnes earum , formalitates perfectissimo prorsus imperio dominetur . Minor probatione non indiget : cum Dulie respiciat excellentiam creatam , & in ordine creato non vndeque suam , quæ est valde aliena à ra-

S 2 ratione

ratione primi principij, ac vltimi finis. Consequentiae liquent ex dictis.

86. Huic rationi eiusque confirmationi occurri potest dicendo: quod etiam si Religio habeat obiectum formale diuersum à Dulia, adhuc tamen poterit eminenter elicere actum Duliæ, cum eius obiectum formale eminenter contineat formale obiectum duliæ: & sane sicut Religio, seu latria est eminenter dulia, qua Deum ut supremum Dominum colimus; imò etiam pietas, qua Deum ut Patrem veneramur: vt expressè docet Sanctus Thom:
 2. 2. eadem quæst. 103. art. 3. ad 1. & rursus quæst. 101. art. 3. ad 2. cur non poterit eadem Religio virtus eminenter continere actum duliæ, quo creatam excellentiam colimus, atque adeo illius actum elicere. Et vrgeri magis potest hoc ipsum sic; excellentior est dulia, qua Deum, ut formalissimè supremum Dominum veneramur, quam sit illa, qua homines, ut dominos colimus: sicuti excellentius omnino est Diuinum, quam creatum dominium: quare si latria, ut tendit in Deum sub formalissima ratione Dei, potest eminenter esse Dulia, qua Deum sub formalissima ratione Domini colimus: cur nō poterit inferiorem eam duliam, qua hominibus dominantibus cultum exhibemus eminenter pariter continere?

Ad huius impugnationem notanda est doctrina, quam habet Angelicus Praeceptor quæst. 2. de Verit: art. 2. vbi hæc habet Sciendum igitur, quod res aliqua inuenitur perfecta duplicitate. Vno modo secundum perfectionem sui esse, quod ei competit secundum propriam speciem: Sed quia esse specificum unius rei est distinctum ab esse specifico alterius rei: ideo in qualibet re creata huiusmodi perfectioni habita in unaquaque re tantum

deest de perfectione simpliciter, quantum perfectius (legendum credem) quantum perfectionis in alijs speciebus inuenitur: ut sic cuiuslibet rei perfectio, in se considerata si imperfecta, veluti pars totius perfectionis universi, quæ consurgit ex singularum rerum perfectionibus, inuicem congregatis. Et nota S. Doctorem, loqui ibidem de rebus superioribus ad inferiores comparatis, inde enim probat necessitatem specierum intelligibilium, per quas res etiam inferiores sunt in intellectu cognoscendis, siue sit humanus, siue supremus in ordine creato, nempe Angelicus: subdit enim. Vnde ut hinc imperfectioni aliquod remedium esset, inuenitur alius modus perfectionis in rebus creatis secundum quod perfectio, que est propria unius rei, in altera inuenitur. Et hæc est perfectio cognoscendis, in quantum est cognoscens.

87. Nunc efformatur impugnatio, omnis res creata etiam si superior ita est perfecta, ut careat perfectione specifica, quæ in qualibet alia re creata inuenitur, ergo quāvis Religio sit virtus perfectior dulia, adhuc non poterit obiectum formale huius inferioris virtutis attingere, adeoque nec huius actum elicere. Antecedens quamvis constet ex adducta S. Tho: doctrina, ex illa tamen potest in hunc modum magis explicari: omnis creata perfectio, quamvis superior, est pars suo modo integralis adæquatæ perfectionis huius uniuersi: est autem de ratione partis, ut talis excludere comparem eiusque entitatem, & perfectionem: vnde quia Deus nullam à se entitatem, ac perfectionem excludit, ideo impossibile est habere rationem partis. Tum etiam: quia omnis creata perfectio, quantumvis superioris ordinis, nequit esse immunità constitutione ex proprio genere, propriaque differentia: hæc enim

enim duo sunt limites cuiuscumque essentiae finitae, intra quos omne finitum, & per consequens creatum, detineri oportet, solumque ens infinitum eisdem non limitatur. Tum rursus : quia hoc vniuersum siue physicum, siue morale est vnum, vnitate ordinis, habentis fundatum in cōexione partium ad inuicem: porrò eiusmodi colligatio maxime consurgit ex mutua talium perfectionum indigentia, per quam superiores indigent inferioribus ad famulatum, & inferiores superioribus ad regimen, & imperium: cef-saret autem eiusmodi concatenatio, si in superioribus non daretur indigentia inferiorum, & è conuerso: sicuti cessaret humanum commercium, ac mutua gentium communicatio, si vna ferret omnia tellus. Imò ex hoc potissimum nascitur homo nudus, quia est animal sociale, alijisque conuiuens: ex hoc enim, quod nationes mutua ope egent, nutritur ex reciproca communicatione amor, foueturque vita socialis. Ita vt ex diuisione perfectio-num, vnde videtur oriri minor vni-tas: quæ negationem diuisionis importat: inde consurrexit strictius vnionis vinculum; eo fere modo, quo ex elementorum perpetuo dis-sidio pax, & conseruatio vniuersi habetur.

88. Ex quo probata omnino relinquitur prima consequentia, nam si Religio attingeret proprium, ac formale obiectum Dulitæ eminenter, non esset creata perfectio: quia non constaret proprio genere, ac differentia: nec tantum perfectionis illi deesset quantum in altera inuenitur, cum propriam formaliter, alienam verò eminenter completere: secunda etiam consequentia liquet: virtus enim elicitiua alicuius actus, oportet quod huius formale obiectum attingat, vt inductione

manifesta conuincitur.

Confirmatur. Quantumuis Charitas sit virtus excellentior Spes, Theologali, & in eodem ordine voluntiuo cum illa, non propterea tamē est eminenter spes, imò nec eminenter elicere potest actum amoris concupiscentiæ, qui ad eandem pertinet spem, ergo quamvis Religio sit superior ad dulitæ virtutem, adhuc fieri non potest, vt huius virtutis actum eliciat. Antecedens quoad primam partem constat ex communi Patrum, ac Theologorum sensu, quo distinguuntur realiter tres virtutes Theologales, nem-pè Fides, Spes, & Charitas. Quoad secundam verò suadetur ex Apostol. 1. ad Chorin: 13. vbi de Charitate afferitur, quod *Non querat, quæ sua sunt*. Quod adeo verum esse putant N. Salmant: tractat. de ultimo fine disput: 2. num. 74. vt inde inferant, nullum actum, qui præcisè habeat rationem utilis immediatè à Charitate posse imperari, sed tale imperium executioni mandari per aliam inferiorem virtutem; manifestum est autem, quod amor concupiscentiæ respiciat obiectum sub ratione boni proprij, adeoque, quod querat, quæ sua sunt, feraturque in bonum vtile appetenti. Consequentia probatur à fortiori, nam si Charitati virtutum Theologalium perfectissimæ non conceditur eminentialis continencia alterius virtutis inferioris, multò minus id erit concedendum Religioni respectu virtutis dulitæ, quāuis hæc sit inferior illa. Videatur etiam quoad hanc doctrinam Caeten: 2. 2. quest. 124. art. 2. ostendens aduersus Martinum de Magis: martyrium esse actum fortitudinis, non verò Charitatis.

89. Nec refert, si contra hanc doctrinam obijicias, quod dixit S. Tho: p. p. quest. 57. art. 1. *Quod S. Tho:*
talis

talis est ordo in rebus: quod superiora in entibus sunt perfectiora inferioribus & quod in inferioribus continetur defcienter, & partialiter, & multipliciter, in superioribus continetur eminenter, & per quandam totalitatem, & simplicitatem. Non inquam id refert, quia loquendo de superioribus creaturis respectu inferiorum, hoc est intelligendum iuxta expositiones, quas ijs verbis adhibet Caietan: & quæ referuntur à N. Salman, tract: de Angel: disput. 7. num. 3. & sequentibus; Ea autem quæ secundo loco ponitur est, prædictum axioma, clausum in ijs verbis intelligendum esse quantum, possibile fuerit naturæ illius superioris creaturæ: ostendimus autem, non esse possibile virtutem superiorem creatam, constantem generis, & differentia, habentemque rationem partis in ordine ad integrandum bonum totale, claudere in se perfectionem alterius compartis, quamvis inferioris: loquendo de continentia adæquata, & perfecta. Eo vel maximè: quia loco adducto intendit S. Tho: probare, res materiales per earum species debere existere in mente Angelorum, & consequenter Angelum per suam essentiam non continere res materiales eminenter, quamvis sit creaturarum supremus, si enim illas hoc modo contineret, non indigeret speciebus superadditis, sed omnes illas in comprehensione sue propriæ essentiæ cognosceret: hoc autem nedum non obest, verum etiam traditam doctrinam valde confirmat.

90. Ad ea verò, quæ opponebantur facilis est solutio, cum enim eminentialis ea dulia, qua Deum, ut supremum Dominum colimus, respiciat eandem excellentiam, quam respicit Religio, nempè excellentiam Diuinam, & incretam,

solumque sit diuersitas, quoad titulum dominij, non oportet respetu Diuinæ excellentiæ diuersas ponere virtutes; secus quoad præsens, vbi excellentiæ sunt omnino diuersæ, imò diuersi prorsus ordinis: Et per hoc patet responsio ad secundum, nam quamvis perfectior, ac excellentior sit dulia eminentialis, qua Deum, ut supremum Dominum veneramur, hoc ipso tamen, quod eius formale obiectum cui sit excellentia Diuina optimè fieri potest, ut à Religione eminenter continetur: non enim inde infertur aliqua illimitatio in Religionis virtute, cum eius specifica ratio habeatur tanquam ex proprio obiecto, ex cultu exhibito excellentiæ Diuinæ, intra quam, & consequenter intra rationem formalem propriam Religionis, continentur diuersi iij tituli supremi Domini, Patris, Dei, ac similes, qui excellentiam Diuinam, ut talem nec excedunt, neque sunt in ordine prorsus inferiori, ad illam, uti de creata excellentia dicebamus. Ex dictis autem est manifestum potissimum attendendum ad formale obiectum virtutum, à quo earum specificatio, atque adeo & distinctio desumitur.

91. Dicendum est secundò. Hyperdulia actum non elici à virtute Religionis, sed à peculiari virtute, destinata ad eliciendam adorationem, qua colimus perfectiones proprias ordinis hypostatici, de quibus iam dictum est. Hæc assertio manifestè colligitur ex S. Tho: loco adducto in præcedenti assertione, nam ideo distinguit Duliam à Religione, quia excellentia increata, quam respicit Religio est omnino diuersa à creata excellentia, quæ à Dulia inspicitur: Porro hæc ratio hoc ipsum etiam conuincit de hyperdulia, quæ respicit pariter creatam excellentiam, quamvis in summo

S. Tho;

premo ordine constitutam , nempe
in hypostatico . Et propterea S. Do-
ctor 2.2. quæstio 103. artic. 4. ad 2.
asserit hyperduliam esse potissimum
Dulicæ speciem , maximè enim re-
uerentia debetur homini ex affini-
tate , quam habet ad Deum , quæ
affinitas ordinis hypostatici prout
dicit quid creatum , est propria , vt
omnes fatentur . In huius ergo pro-
batione assertionis non est cur im-
moremur , siquidem ex dictis pro-
precedenti sufficienter probata re-
linquitur .

g. I I.

*Soluuntur argumenta aduersus
utramque assertionem pu-
gnantia .*

Marsil.
P.Suar.

92. **O**ppositam primæ nostræ
assertioni opinionem docuit Marsilius in 3. quæst. 8. art. 1.
relatus à P. Suar. tomo 1. in 3. part.
disput: 52. sect. 3. docet itaque ci-
tatus author , habitudinem latriæ ,
quæ est actus à Religione elicitus ,
coincedere cum ea , quæ dulicæ est
propria , quem dicendi modum
probabilem etiam censet adductus
Suar. Arguitur autem pro illo in-
hunc modum . Habitus quo diligimus
Deum , & Sanctos est unus , &
idem , ergo idem pariter Religionis
habitus elicit actum , quo colimus
Deum , & quo Sanctos adoramus .
Antecedens est manifestum , siquidem
per eandem Charitatem ama-
mus Sanctos bonos , per participa-
tionem Diuinae bonitatis , & Deum
bonum per essentiam . Consequen-
tia ex ipsa paritate rationis videtur
manifesta .

Opposuit sibi hoc ipsum argu-
mentum S. Thom: 2.2. quæst. 103.
citata , vbi ad secundum respondet
concedendo antecedens , & negan-

do consequentiam ; assignat autem
disparitatem his verbis. Dicendum: s. Tho:
quod ratio diligendi proximum Deus
est: non enim per Charitatem diligimus in proximo , nisi Deum : & ideo
eadem Charitas est , qua diligitur Deus ,
& proximus : Sunt tamen aliæ amici-
tiae differentes à Charitate , secundum
alias rationes , quibus homines aman-
tur . Et similiter cum sit alia ratio ser-
uandi Deo , & homini , aut honoran-
di utrumque , non est eadem virtus
dulia , & latria . Sic ille .

93. Sed contra , inquit P. Suar.
loco adducto , sicut alicuius amo-
ris proximi , proxima ratio esse po-
test Diuina bonitas : ita alicuius
adorationis Sanctorum proxima ra-
tio esse potest Diuina excellentia :
siquidem , etsi creaturæ rationales
capaces propriæ excellentiæ , vt in-
plurimum non adorentur eadem
adoratione qua Deus : adhuc non
omnino inconuenit , eas sic adora-
re ablato erroris periculo: sicut crux
Christi eadem adoratione colitur ,
qua Christus , vt ex dicendis notum
fiet , Amplius sicut adorantur San-
cti propter intrinsecam sanctitatem
supernaturalem creatam: ita propter
eandem possunt supernaturaliter
amari , & in comparatione isto-
rum actuum tota difficultas con-
sistit , nam etiam hic actus amoris ab
eadem Charitate elicetur , qua Deus
super omnia amat , ergo eadem
ratione ille actus adorationis à Re-
ligione elicitiè procedet .

Confirmat hoc ipsum : quia vir-
tus inclinans ad colendam principa-
lem ratione alicuius ordinis , conse-
quenter inclinat ad omnes partici-
pationes eiusdem ordinis : sunt enim
hę ita inter se coniunctæ , vt vix se-
iungi possint; Vnde fit , vt eisdem fere
actibus externis colatur Deus pri-
mariò , & secundariò Sancti . Ha-
c tenus Suar.

Quibus addere possimus : non
esse

esse ita exploratum Charitatem in proximo non diligere bonitatem, aliam, nisi Diuinam: probabilissimum est enim proximum illius obiectum esse bonitatem creatam, ut talem, & consequenter actum amoris proximi specie essentiali in ordine physico distingui ab actu amoris Dei. Quæ est etiam doctrina N. Salmant: tract. de vltimo fine, disput: 1. num. 97. iuxta quam satis probatam sententiam, non videtur habere locum responfio S. Doctoris, cuius præcipuum fundamentum est, quod per Charitatem in proximo solus Deus, eiusque increata bonitas diligatur, vnde ex hoc capite solutio erit diminuta.

94. At omnino sustinenda allata à S. Doctore disparitas, vnde pro viribus conabimur germanum illius sensum aperire. Ut autem id prestatemus notanda est doctrina, quam tradidit idem Angelicus Preceptor 2.2. quæst: 25. art. 1. ad 2. vbi hæc habet; *Amor respicit bonum in communi, sed honor respicit proprium bonum honorati; defertur enim alicui in testimonium propria virtutis, & ideo amor non diversificatur specie propter diuersam bonitatem diuersarum: dummodo referatur ad aliquid unum bonum commune: sed honor diversificatur secundum propria bona singulorum.* Vnde eodem amore Charitatis diligimus omnes proximos, in quantum referuntur ad unum bonum commune, quod est Deus: sed diuersos honores diuersis deferimus, secundum propriam virtutem singulorum. Et similiter Deo singularem honorem latræ exhibemus propter eius singularem virtutem. Sic ille.

Animaduertendum rursus: Charitatem esse virtutem Theologalem, ex eo, quod proprium obiectum quod, eam specificans, est bonitas increata. Religio autem non est virtus Theologalis, quia proprium

obiectum quod illius, non est Deus, sed cultus Deo exhibitus, & consequenter obiectum eam specificans est quid creatum, quamvis obiectum cui illius sit Deus. Hinc habetur impossibile esse, Charitatem non respicere bonitatem increata, alias posset non respicere obiectum eam specificans. Et rursus non esset virtus Theologalis, quæ talis dicitur ex hoc, quod Deum aliquo saltem modo immediate respiciat, vnde oportet omnes illius actus Diuinam bonitatem in seipsa attingere, idem etenim est specificatiuum habitus, & omnis actus ab eodem habitu eliciti. Secus contingit in omnibus adorationis actibus horum enim obiecta quod cum sint quid creatum; non oportet omnes illos transire ad attingendam Diuinam excellentiam, sed datur aliquorum ex illis integra specificatio independenter ab eadem Diuina excellentia. Et hoc voluisse, credimus, S. Doctorem loco nuper adducto, cum asserit, omnem Charitatis actum ferri in bonum commune, non vero in singulares bonitates: nam cum obiectum Charitatis sit bonum commune, nempè Diuinum omnes singulares bonitates ab ea communi formalizantur, atque adeo de materiali se habent. Quod non euénit in honore, seu honoratione, quæ attingit singulares excellentias, ut tales, quatenus adæquatum illius obiectum quod est omnis cultus, quem non est opus formalizari ab aliquatione communi Diuina, cum hæc non sit specificatiuum honoratiæ actionis, sicut bonitas Diuina est specificatiuum Charitatis, quod proinde oportet omnem aliam complecti bonitatem, & consequenter actus ad illam terminatos.

95. Nunc ad primam obiectio-

nem

nem dicitur , quod etiam si non negemus proximam rationem adorandi creaturam , vt excellentem , sublato erroris periculo , posse esse Diuinam excellentiam , quatenus excellentia creata sumitur formalissimè , vt participatio Diuinæ excellentiæ , adeoque vt non ponens in numero cum illa , vti infra dicetur de imaginibus formalissimè sumptis , & constat exemplo in obiectione adducto . Etsi inquam hoc fieri possit , & tunc adæquatum illius adorationis obiectum complectetur creatam , & increatam excellentiam : adhuc tamen perseuerat discri men , allatum inter Religionem , & Charitatem , quia id , quod Religio habet , facta illa reduplicatio ne formali , & consequenter per accidens , & ex suppositione actus intellectus coadunantis simul vtramque excellentiam , ac proponenti illam per modum vnius adorationis actu , à Religione elicito : non tamen id habet per se , sed hoc dum taxat competit Charitati , cuius specificatiuum obiectum , cum sit bonitas increata , nequit ab eius respectu , & attingentia absolui : etiā quando attingit bonitatem creatam . Et inde habetur , quod intendimus , etenim de ijs , quæ per accidens , & facta aliqua accidental i suppositione contingunt non est curandum : sed de ijs , quæ per se eu niunt ; & cum per se Charitas , & creatam , & increatam bonitatem simul attingere debeat (si enim increatam cum creata non attingeret , absolu eretur à suo proprio specificatiuo , & ille actus ab ea procedens non esset actus virtutis Theologalis vt talis : quæ duo fieri nullatenus possunt , alias destrueretur essentia Charitatis) fieri non potest , vt de tur alius habitus , quo bonitas crea ta diligatur , loquendo tamen de bonitate creata ex Charitate dile

De Adorat. Sanctor. & paul. SS. V.

ta , non ex alijs amicitijs , quas S. Tho: admittit inter homines , de quibus amicitijs nihil modo .

E conuerso res se habet in Religione , respectu cuius , vt ostendimus , solum est per accidens vtramque excellentiam Diuinam videlicet , & creatam simul attingere : Quare de hac attingentia per accidens minimè curandum , & consequenter propter illam non est ne gandus alius virtutis habitus , cuius proprium obiectum sit cultus excellentiæ creatæ exhibitus . Nam si istud obiectum est per se attingibile , vt ostendimus , oportet omnino ad mittere , per se loquendo , habitum illud attingentem .

96. Ex quibus diluitur , quod secundò loco dicebatur , nam sanctitas , vt dilecta ex Charitate , non est amabilis , nisi simul cum bonitate Diuina , repugnat enim Charitatis actum sistere in bono creato , quodcumque illud fuerit , sed oportet eo mediante transire ad bonitatem increatam , quæ est proprium specificatiuum illius . Non ita loquendo de quolibet adorationis actu , quia datur aliquis habens pro obiecto specificatiuo cultum creatum , exhibitum excellentiæ creatæ , & in hac sistens , & hoc omnino per se loquendo . Quapropter verum , est difficultatem omnem sitam esse in istis actibus , sed oportet eorum naturas secundum ea , quæ per se loquendo dicunt attente perpendere , vti fecit Angelicus Doctor , cum ex illis allatam disparitatem intulit . Quod non videtur fecisse P. Suarez loquens de actu adorationis adæquatè sumpto , tam secundum ea , quæ dicit per se , quam secundum ea , quæ habet per accidens , illum que comparans ad adæquatum Charitatis actum , quoad ea , quæ solum per se loquendo affert .

Ad confirmationem dicitur : au

T tece-

cedens esse verum loquendo de participationibus alicuius ordinis, ut reduplicatiū talibus, & consequenter ut non ponentibus in numero cum eo, cuius sunt participationes. Verum sic attingere tales participationes dupliciter contingit, nempe per se loquendo, & ex propria natura actus illas attingentis, & hoc ostendimus esse proprium solius Charitatis, cuius formale specificatuum est bonitas increata, à cuius proindè attingentia nullus eius actus absolui potest: Nō verò si fuerit sermo de Religione, nā huic solum per accidens competit attingere eas participationes formalissimè sumptas: & per consequens relinquit locum alteri habitui, nempe dulizæ, cuius sit proprium attingere cultum exhibitum excellentiæ creatæ, in qua omnino sistat. Et hoc, quia adorationis actus adéquatè sumptus non est Theologalis: unde aliquis adorationis actus absolui potest, ut diximus, ab attingentia excellentiæ Diuinæ, & hoc omnino per se.

97. Ad id, quod additur: respondetur admitti à nobis probabilitatem illius modi dicendi, ex quo nihil aduersus traditam doctrinam habetur: nam oportet, talem actum media bonitate creata transire ad ipsam increatam, tanquam ad proprium specificatuum habitus Charitatis, & quia adhuc eiusmodi actus non exuit conditionem actus virtutis Theologalis, cuius est Deum in seipso tangere: quæ non dantur in quocumq; actu adorationis, sed dumtaxat in eo, qui à Religione elicitor, hic enim solus attingere omnino debet excellentiam Diuinam, ut obiectum cui, secus loquendo de alijs adorationis actibus singulares excellentias creates attingentibus ac in eis, ut in obiecto cui sistentibus.

Adde primò, & explicabitur magis hoc ipsum, quia ut dixit S. Doctor 2. 2, quæst. 25. citata omnium proximorum, quantumuis diuersorū unus est prorsus Charitatis actus, quo amantur: hoc enim evidentissimum signum est, non sisti per talēm actum in bonitate proximi, sed fieri transitum ad bonitatem Diuinam vñificantem illum actum, qui à proximorum diuersitate, diuersificari posset, ac deberet si in proximorum bonitatibus sisteret. E conuerso in adorationibus contingit, quas constat diuersas esse, iuxta diuersas excellentias creatas, ut patet saltem in actibus Dulizæ, & Hyperdulizæ, inde enim satis apertè sequitur, figi tales actus in creatis excellentijs, non verò ad Diuinam, per se loquendo, transire; nam cum hæc sit vna, & eadem, omnino vnum redderet actum, nec obstaret diuersitas in creatis excellentijs, ut diximus de Charitatis actu. Adde secundò: maximè proprium esse amoris amantem ad amatum transferre, & consequenter bonitati amatæ vñire, vnde Theologalis Charitatis munus erit per actum suum trasformare amantem in bonitatem Diuinam, ac isti illum coniungere, vnde creata bonitas erit medium, per quod voluntas amantis transit ad bonitatem Diuinam in seipsa attingendam: & hoc modo verificatur, quod dixit Angelicus Præceptor, Charitatis actum in proximo non attingere nisi solum Deum, hic enim est, in quo, tanquam in ultimo adeoque formaliori obiecto,figitur Theologalis Charitatis actus. Id autem non ita competit honorationi; cuius proprium est sistere in honorante, ac deferre cultum excellentiæ, secundum quod sibi proponitur ab intellectu, & consequenter diuersificari, iuxta diuersas excellentias sibi propositas, & con-

sequen-

sequenter ex sui natura non postulat per creatam excellentiam vsque ad Diuinam pertingere, ibidemque motum suum terminare.

98. Secundæ nostræ assertioni p. Suar. opponitur P. Suar. tomo 2. in 3. par. disp. 22. sect. 3. circa finem, vbi primò probabiliter afferit: hyperdulie actum, quo colimus Beatissimam Virginem Matrem Dei proficiisci elicituè à Religione, à qua oritur Christi, ac Dei adoratio, vnde quoad hunc actum à præcedenti opinione noa dissentit. Fundamentum illius est, quia etsi dignitas Matris Dei creata sit, intrinsecè tamen respicit excellentiam increatam, à qua desumit valorem suum, ergo adorationis actus, quo illam colimus, elicituè procedet à virtute Religionis, à qua elicetur actus, quo Diuinam excellentiam in seipsa adoramus. Antecedens ex se notum est. Consequentia suadetur, quia prædictus intrinsecus respectus ad increatam excellentiam sufficere videtur, vt ab uno eodemque habitu eliciatur actus, quo & increata excellentiam intrinsecè inspectam, & creatam intrinsecè inspicientem, adoramus, id enim postulat eiusmodi connexio, & vsus humanus hoc ipsum comprobat, nam eodem honore, quo honoramus Regem, & eius pariter matrem honorare consuetum est, vnde ab eodem habitu vtriusque honoratio procedet. Et ideo Patres communiter afferunt: totum honorem Matris ad Filium referri. Idque confirmat exemplo humanitatis Christi prout affectæ vnione hypostatica, prout est modus substantialis creatus, præscindens à Persona Verbi, quam ipse supponit adorari per actum à virtute Religionis elictum.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, ad cuius primam probationem li-

De Adorat. Sanctor. & pecul. SS. V.

quet ex superius dictis de adoratio-ne humanitatis Christi prout affectæ vnione creata, præscindente à persona Verbi, nam, vt ibi diximus, proprium obiectum cui Religionis est excellentia intrinsecè increata, quam non dicit nec maternitas Dei, nec prædicta humanitas cum, vnione, modo dicto accepta: valor autem ille solum est extrinsecè increatus, adeoque insuffiens ad exigendam adorationem à virtute Religionis elicitam. Ad exemplum allatum, fatemur, id in humano vsu contingere, quia mater Regis, ac Rex sunt in eodem ordine creato, vnde fit, vt mater Regis habeat aliquid intrinsecum de dignitate Regia in omni sua amplitudine sumpta. Cæterum quoad præsens est omnino diuersa ratio, cum mater increati Regis nihil intrinsecum habeat de increata excellentia, etiam adæquatè, & in omni sua vniuersalitate considerata. Quod demum, afferitur ex Patribus non conuincit, nam fatemur omnem honorem matris debitum refundi in filium, quatenus ipsa ratione maternitatis Verbi postulat adorationem propriam eorum, quæ spectant ad ordinem hypostaticum, nempè adorationem hyperdulie: non tamen inde habetur eandem Religionis virtutem, inclinare ad adorandum filium, & matrem, quia in ista non adest intrinsecè increata excellentia, solius filij propria, & cui dumtaxat debetur actus adorationis, à virtute Religionis elictus. Hinc fit, omnem filij honorem non posse in matrem referri, sicut increata excellentia filij nequit intrinsecè in matre reperiri. Ad confirmationem liquet, tum ex superius dictis, tum ex ijs, quæ nunc dicta sunt, utrobique enim est eadem ratio quatenus nullibi datur aliiquid intrinsecè increatum.

99. Secundò citatus author po-

T 2

nit

nit virtutem quandam singularem, destinatam ad eliciendum actum, quo Mater Dei adoratur, aitque illius actum ferri in excellentiam. Matris Dei, non ut reduplicatiū relatam ad filium, sed in illam, prout est excellentia quædam singulareis Matris Virginis, qua nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Id autem probat, quia eiusmodi dignitas ut est propria Virginis, est excellentia omnino singularis, in qua omnis alia pura creatura exceditur ab illa, ergo mirum non est, si pro ea dumtaxat collenda ponatur singularis quædam virtus, eliciens actum, quo adoretur. Antecedens tum ex se constat, tum ex eo, quod asserit Angelicus Doctor par. p. quæst. 25. art. 7. videlicet, non posse Deum efficere puram creaturam Virgine melioram. Consequentia liquet; cum inter virtutem, eiusque obiectum debeat esse correspondentia; & adequatio. Unde (concludit citatus author) hic etiam dicendi modus probabilis censendus est; quid autem verius sit, alijs iudicandam relinquo.

P.Suar:
S. Tho:
Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, si fuerit sermo de virtute diuersa, tum à Religione, tum ab hyperdulia, ac Dulia; vt enim ostendimus pro sanctitate perfectionum ad ordinem hypostaticum, ad quem omnino spectat excellentia Matris Dei;

omnino sufficit yna virtus hyperdulia; ad probationem verò dicendum, quod etsi Deus nequeat puram, creaturam Virgine excellentiorem producere, adhuc ex hoc non habetur talem excellentiam superare ordinem creatum, quicquid autem intra illum continetur, exigit solum adorationem hyperdulie. Neque per hoc tollitur correspondentia, & adequatio inter virtutem, & obiectum; nam sicuti istud spectat ad supremum ordinis creati, ita & virtus hyperdulie, quæ est excellentissima omnino species dulie, quæ perfectiones creatæ sanctitatis veneramur. Et sane non esse sic defaciili multiplicandos virtutum habitus videtur omnino magis rationi ac veritati consentaneum; alias non posset aliquis falsitatis conuinciri, si pro diuersis excellentiarum gradibus distinctas poneret virtutes; singularis est enim dignitas Præcursoris, quo nullus maior inter natos mulierum surrexit: singularis est dignitas S. Petri Principis Apostolorum, Christi Domini vices gerentis, singularis est pariter excellentia Apostolatus; & tamen pro omnibus prædictis, singulares pone-re virtutes, quibus eosveneremur, & voluntarium, & inauditum appetet. Unde standum omnino arbitramur traditę hactenus doctrinæ, quæ menti D. Tho: apprime congruit.



DISPUTATIO IV.

DE VSV IMAGINVM.

SACRARVM Vsus Imaginum, earumdem præcedit adorationem, cum ad hanc veluti ad finem ordinetur. Hinc antequam illarum cultum, & venerationem explicemus, hanc præmittere disputationem necessarium duximus, vt per eam paretur via ad ea, quæ in sequenti disputatione sunt dicenda. Erit autem sermo de Vsu Imaginum nedum pro statu legis Euangelicæ, verum etiam & veteris: Ut inde evidentius innotescat, quam perantiquus in Dei Ecclesia is fuerit.

DVBIVM PRIMVM.

s. I.

An Statue, & Imagines in Veteri Testamento omnino fuerint prohibite?

PRAESENS dubium necessariò præmittendum duximus: per illius enim decisionem paratur via ad ostendendam honestatem adorationis Sacrarum Imaginum, cui presenti hac disputationem viam parare intendimus; si enim imaginum, ac statuarum vsus, ruddori, magisque ad idololatriam proclivi Hebræorū populo vetitus omnino non fuit, tanquam illicitus, efficax satis indè habetur argumentum idem in lege Euangelica asserendum, in qua litterarius labor metam attigisse videtur, & consequenter multum lucis humanis mentibus intulisse, ad abigendas errorum caligines.

Premiteuntur aliqua difficultatis decisioni necessaria.

1. **S**atis compertum est apud Scriptores, nominum significaciones non esse spernendas, ex ijs enim notitia rerum, quibus ea nomina imponuntur non leuiter pendet. A nomine ergo imaginis sumendo exordium, sciendum, quod imago Græcè dicitur IKON à verbo pariter Græco IKO, quod significat assimilo. Hinc notauit S.Thos. 1. par. quæst. 93. art. 9. quod etiamsi similitudo sit quid præambulum ad imaginem, quatenus est quid communius, conueniens videlicet pluribus, quibus ratio imaginis non competit, niliominus secundum quod similitudo dicit expressionem quandam, pertinet ad perfectionem imaginis, & est quid consequens ad illam. *Dicimus enim (loquitur Sanctus Doctor) imaginem alicuius esse similem, vel non similem ei, cuius est* S.Thom.

150 DE ADORAT. SANCTOR: ET SS. V.

Hesich. Eustach. Homer. Lucian. P. Vasq.

*est imago, in quantum perfecte, vel imperfecte representat ipsum. Circa nomen Idolum Hesichius in suo Dictionario voce *Idolon*; docet, ex sententia Aristarchi, & Theodori significare vmbraem: Rursus Eustathius lib: 11. Odisseæ asserit, idolum esse imaginem inanem, qualia sunt phantasmata, quæ cogitatione sola nobis fabricari solemus. Quocirca Homer: 11. Odisseæ & Lucian: in dialogo de mortuis; animas mortuorum vocant idola. Ita refert P. Vasq: tom: 1. in 3. par: disp: 101. cap: 1. n. 3. & 4. Hæc quoad nomina, de quibus plura Vasq: ibidem.*

Oportet tamen adhuc declarare differentiam, quæ inter Imaginem, & Idolum intercedit, ex ea enim non modicam lucem accipient, quæ sunt dicenda. Id autem melius præstare non possumus, quam assignando proprias utriusque definitiones, per has etenim sicut, & eorum constitutiva, ita & distinctiva innescunt Imago igitur definitur à S. August: lib: 83. quæstionum, quæst: 74. his verbis. Similitudo in specie vel in signo speciei, producta ab eo, cuius est similitudo. Huius explicationem definitionis latè prosequuntur N. Salmant. tract. de Trinit. disp: 13. n. 3. in ea ergo exponenda non immorabitur, sed dumtaxat notamus circa illam, id quod ad præsens institutum valdè conducit, nempè respondere prototypum, cui assimilatur, & hoc non utcumque, sed ut constat ex definitione, sed tanquam ei, à quo producta fuit, saltem qua-

S. Thom. S: Aug.

si ab exemplari: idque probat Angelicus Præceptor 1. par. quæst: 35. art. 1. ex August. dicente loco adducto, quod unum ouum, quantumvis sit valdè simile alteri ouo, quia tamen unum ab alio non producitur, idcirco unum non est alterius imago. Nunc quoad definitionem

Idoli. ea traditur à Sanct. Augustin. lib: 7. quæstionum veteris testam. quæst: 41. vbi. inquit, illud nihil aliud esse quam falsæ Dei simulacrum. Idest ut optimè aduertit Sanderus lib: 1. de imaginibus: omne id vocatur idolum, quod etiam si rem subsistentem representet, non tamen ea ratione, quæ illi secundum naturam, vel gratiam inest. Quod apparet exemplo idoli V. G. Louis, istud enim Iouem, ut Deum, & Sanctum repræsentat, quod omnino fictitium est, cum neque ex natura, neque ex gratia aliquid prædictorum habeat.

*2. Ex his definitionibus licet modo colligere aliqua discrimina, quæ ostendunt Idolum esse quid omnino diuersum ab imagine. Primo ergo Idolum dicit fictionem, & errorem, adeoque Tertull: lib: de Idololat: c: 4. dixit: Idola esse imagines illarum rerum, quas colit manus error; Ad hoc etiam designandum sæpius scriptura appellat Idola simulacra Psal: 113. Simula-
cra Gentium argentum, & aurum
Actor: 15. Abstinete uos ab imolatis
simulacrorum. 1. Ioann: cap. vltim:
Filioli custodite uos à simulacris. Et
hoc ideo, quia ut optimè aduertit
N. Tho: Vualden: tomo 3. cap: 157. n. 1. cui consentit pariter San-
der: loco adducto, & subscribit P. P. Vasq.
Vasq. disp: 101. cap: 4. simulacrum
dictum est à simulando, vnde idem
erit, ac falsa, seu ficta imago. Cæ-
terum imago propriè dicta nihil fal-
situdinis, aut erroris habet admixtum;
dantur enim vera exemplaria quoad
eam rationem, secundum quam
repræsentantur. Neque huic obstat;
sæpè imagines Christi, & Sancto-
rum productas esse ab alijs prototypis,
quibus quantum ad lineamenta
assimilantur, nam sufficit intentio
facientis eas imagines in ordine ad
repræsentandum ea, quæ à parte
rei verè existunt, idest Christum Do-
minum*

minum, eiusque Sanctos, & rursus ex communi hominum acceptione, & demum ex certis quibusdam signis, cum quibus pinguntur, seu efformantur, pro talibus haberit: hoc enim posito verè prædictis imaginibus propria, ac realia Prototypa, idest Christus, & Sancti respondent. Sed quomodo hoc ipsum verificetur quantum ad prototypa incorporea, qualia sunt Deus, & Angeli, dicetur infrā.

Secundò apparet, quomodo solæ imagines, de quibus nunc est sermo, cum omni Proprietate tales appellantur: non autem Idolum, cum enim imago nata sit fundare, ac habere relationem similitudinis ad suum exemplar, & relativa debeant à parte rei verè existere: fieri nequit, ut idolum, cui non respondet, verum prototypum, sortiatur rigorosè loquendo rationem imaginis, quarè æquiuocè dicetur imago. Eo vel maximè, quia cū oporteat imaginem productam esse ab eo, cuius est imago, & representatum per idolum non existat, fieri nequit, ut istud possit cum proprietate imago appellari, nam quod non est quid verum, & reale nequit aliquid à se diuersum causare.

S. Athan
S. August

3. Notatu tamen dignum est solere ab Ecclesiasticis Scriptoribus sumi Idolum in latiori significacione prout videlicet nomine illius denotatur quicquid non est Deus, & nihilominus quasi Deus colitur, siue sit imago, vel simulacrum, aut res alia, de quo videri possunt, tum S. Athan: oratione contra idola, post duo folia. Tum Sanctus August: lib: 20. contra Faustum Manichæum cap: 5. vbi redarguens eius sectæ asseclas, vocat Manichæos Gentilibus deteriores, in hunc modum loquens *Verum vos illis esse longè deteriores, quod illi ea colunt, que sunt, sed pro dijs colenda non sunt:*

sunt enim idola, sed ad salutem nihil sunt. At Manichæi Deum malum, adorantes, rem penitus insubstinentem, & impossibilem venerabantur. Non enim Dæmonem propriè, vt Deum colebant, ille enim verè existit, sed pro Deo colendus non est, sed primam aliquam malam causam, quam chimericam esse, nedum Theologico, sed & phylosophico discursu potest demonstrari. Gentiles autem seu astra, seu tellurem, seu homines, seu elementa, vt Deos colebat, quæ licet existant, non tamen pro Dijs sunt colenda, ea tamen Gentiles non tanquam prima principia venerabantur, sed putabant Diuinum aliquid ijs inesse, quod etsi sit impossibile, quoad materiale tamen, in quo arbitrabantur quid Diuinum intrinsecè reperi, vere aliquid reale erant; per quod tacita obiectio, quæ fieri poterat aduersus verba S. Augustini soluta, relinquitur. Qui plura quoad hæc voluerit consulat P. Vasquez loco adducto.

Nunc propinquius ad dubij decisionem accedendo: indubitatum omnino est, cuiuscumque legis tempore prohibitā fuisse idolatriam, imò quemcumque cultum, qui eam aliquo modo redoleat: etenim eiusmodi prohibitio ab ipso naturali lumine rationis dictatur: quare hoc solūmodo apud huius materię Scriptores querit, an videlicet tēpore legis veteris extiterit aliquod positivū præceptum, quo omnis imaginū, ac statuarum usus fuerit interdictus: & hoc ob peculiares quasdā rationes, quæ tunc temporis vrgebant, modo verò Euangelica hac ætate cessarunt. Pro huius ergo decisione difficultatis sit.

S. I I.

Ponitur conclusio, & authoritate,
ac ratione probatur.

4. Dicendum est: vsum imaginum, ac statuarum non fuisse à Deo in veteri lege positum aliquo præcepto vetitum: si talis vñus secundum se sumatur: secus verò in ordine ad idololatrandū: hēc secunda assertionis pars est per se manifesta, cum idolorum cultus sit ipso naturali iure illicitus. Prima autem illius pars probanda est rationibus, ex Sacra Scriptura de sumptis, quas secundo loco adducemus: adeoque prius Sanctorum Patrum, & Theologorum autoritate est suadenda. Eam ergo docuit S. Augustinus quæst. 71. in Exodus, dicens. *Quod dictum est: non erunt tibi dī alieni præter me, hoc ipsum perfectius explicatur, cum prohibentur cœlenda figmenta.* Et iterum post pauca subdit. *Non erunt tibi dī alieni præter me: appareat huius rei diligenter executionem esse in ijs, qua subiecta sunt.* Quo enim pertinet non facies tibi idolum, neque ullum simulacrum: quacumque in Cælo sunt sursum, & quacumque in Terra deorsum, & quacumque in aqua sub terra. Non adorabis ea, neque seruies illis, nisi ad id, quod dictum est. Non erunt tibi dī alieni præter me. Ex qua S. Augustini autoritate apertè constat: ipsum aestimasse prohibitionem faciendi sculptile in primo præcepto clausam, non esse distinctum præceptum ab eo, quo præcipitur unum Deum esse colendum: & consequenter Deum non prohibuisse absolute Hebræis, facere sculptile, sed dum taxat secundum quod opponi poterat præcepto de uno Deo colendo, ac prohibitioni, qua iure naturali

vetita semper fuit idololatria. S. Augustinum per omnia sequitur Angelicus Præceptor tum 1. 2. quæst. 100. art. 4. in corp: vbi hēc habet Quia Facere sculptile, vel similitudinem non est prohibitum, nisi secundum, hoc ut non colantur pro dīs: nam in tabernaculo Deus præcepit fieri imaginem Seraphim, ut dicitur Exodi 25. conuenientius Augustinus ponit sub uno Præcepto. Non habebis Deos alienos, & Non facies Sculptile.

S. Tho.
Tum rursus 3. p. quæst. 25. art. 3. ad 1. ibidem magis exponens ait. *Dicendum, quod non prohibetur illo præcepto facere quamcumque sculpturam, vel similitudinem, sed facere adorandam.* Vnde subdit non adorabis ea, neque coles. Et quia sicut dictum est, idem est motus in imaginem, & in rem. eo modo prohibetur adoratio imaginis, quo adoratio rei, cuius imago est. Vnde ibi intelligitur prohiberi adoratio imaginum, quas Gentiles faciebant in venerationem deorum suorum, id est demonum. Et ideo præmittitur non habebis deos alienos coram me.

5. Quamvis autem S. Tho: locis adductis adeo expressè loquutus fuerit, obstat tamen videtur responsio eiusdem S. Doctoris eadem 1. 2. quæst. 100. art. 1. ad 2. vbi exponens quandam S. Isidori autoritatem ait, quod verba illa Exodi. *Non facies tibi sculptile addita sunt tanquam cœrimoniale determinatiuum illius præcepti moralis communis.* Non habebis Deos alienos coram me. Ex qua doctrina apertè satis deducitur, præceprum de non faciendis sculptilibus fuisse cœrimoniale, cum per modum cœrimonialis primum illud præceptum determinauerit. Ex quo etiam habetur quod ea prohibitio efformandi sculptilis cœrimonialis est, ut dicit S. Doctor, iam constat, Deum

Deum nō prohibuisse eam efformationem in ordine ad vitandam idolatriam, quia huius prohibitio sub iure naturali continetur.

Non parum laborant interpretes D. Tho: in huius enodatione obiectionis, vt vidēri potest apud Nostrum Dominicū à Sanctissima Trinitate in sua Bibliotheca Theolib. 4. sec. 11. cap. 33. post initium, vbi aliquas adducit, ac vti probabiles recipit. Nos aliam excogitauimus, quam faciliorem credimus, eamque ex doctrina Angelici Præceptoris desumemus. Notandum, ergo primo ex S. Doctore 1. 2. quest. 99. art. 3. ad 2. determinationem factam à præcepto cærimoniali duplicem esse: aliam quoad rem ipsam, eiusque, vt sic dicamus, substantiam, vti est, exempli causa, obseruatio diei Sabbati. Altera est quoad modum, quæ valde conduit ad præsens, & de qua loquens S. Doctor, in hunc modum eam explicat. *Colere Deum cum sit actus virtutis, pertinet ad præceptum morale, sed determinatio huius præcepti, ut scilicet colatur talibus hostijs, & talibus muneribus, hoc pertinet ad præcepta cærimonialia.* Et ideo præcepta cærimonialia distinguuntur à moralibus. Secundò nota ex eodem Sancto Tho: 3. p. quest. 25: art. 3. ad 1. quod in veteri lege Deo penitus incorporeo nulla imago poterat ponii, sed quia, *In novo testamento Deus factus est homo, potest in sui imagine corporali adorari.*

6. Nunc ad obiectionem dicuntur, quod cum asserit S. Tho: verba illa; Non facies tibi sculptile, addita fuisse, tanquam cærimoniale determinatum, loquitur de præcepto cærimoniali præscribente modum adorandi Deum, quatenus videlicet noluit Deus in veteri lege adorari per imaginem sui: hic enim modus adorandi Deum reser-

De Vsu Imaginum.

uatus est legi Euangelicæ, in qua Deus factus est homo: Neque talis modus non colendi per imaginem, cadebat sub iure naturali, quia, vt expressè ait S. Doctor 3. p. verè cessauit in lege Euangelica: sicuti cesserunt legis veteris sacrificia, quia pertinebant ad modum, non ad essentiam cultus Diuini. Cum verò ait alijs in locis, quod non facere sculptile spectat ad primum præceptum de nō idololatrando, loquitur de tali prohibitione cadente super eam efformationem sculptilis, quatenus erat imitatio Gentilium, qui per imagines falsos Deos, dæmones videlicet, colebant. Eò vel maximè, quia omnino apparer incredibile, voluisse S. Tho: prohibitionem de non faciendo sculptili esse ordinis cærimonialis, cum in eadem quæstione art. 4. asseruerit conuenientius S. Augustinum eiusmodi præceptum reputasse pro vno, & eodem cum eo, quo interdictum cultus plurium deorum, hoc enim est apertè asserere, præceptum de non faciendo sculptili esse morale, non verò cærimoniale. Vnde P. Vasq; tomo 1. in 3. p. disp: 100. p: Vasq; cap: 1. asserit S. Tho: docuisse nostram sententiam. Ex quo etiam fit, omnino verosimile esse, quod asserruit Siluius in citatam quest. 100. 1. 2. art. 4. textum S. Tho: sic legendum esse. Quibusdam præceptis additur cærimoniale, vel determinatum præcepti moralis communis. Sicut in primo præcepto non facies tibi sculptile: & in tertio præcepto determinatur dies Sabbati. Iuxta, quam lectionem ly Non facies tibi sculptile, est quidem determinatum illius, Non habebis Deos alienos coram me, non tamen est cærimoniale determinatum, quoniam illa particula disiunctiva, vel, efficit, vt verba S. Doctoris intelligentur per sensum accōmodum, ita

ut respectu primi præcepti illud, quod adiungitur per illa verba Non facies tibi sculptile, sit determinatiuum; illud autem, quod additur ad tertium præceptum, cum determinatur dies Sabbati, sit verè cæmoniale determinatiuum. Et hæc lectio est prorsus conformior menti S. Doctoris cum 2.2. quæst. 122. art. 2. ad 2. dixerit: primum decalogi præceptum pro morali, non autem pro cæmoniali habendum. Quo etiam loco clare insinuat solutionem, quam nos tradidimus.

Beda. His Sanctis Patribus addendus Venerabilis Beda, cui, si credendum est P. Vasqu. disp: 100. cap: 1. tanquam primo authori tribuenda est hæc sententia, eam autem docuit in libro de Templo Salomonis: cap: 19: eandem etiam indicat Ion: 1. Aurelianens: lib. 1. de cultu imagin: in 5. tomo Bibliothecæ Sacré. Et demum eundem dicendi modum tradunt Burgens: in 2. additione ad Lyranum, in illud Exodi 20. Non facies tibi sculptile, quamvis in fine adnotationis in contrariam nō nihil inclinet. Noster Thomas Vualdens: tomo 3. cap: 152. Caietanus in cit. cap: 20. Exodi. Alanus Copus dialogo 4. cap: 21. Sanderus lib: 1. de imagin: cap: 7. & alij, quos omnes refert P. Vasq: loco cit: Quibus nos addimus P. Suar: tomo 1. in 3. p. disp: 54. sec: 2. in fine N. Dom: à Sanctissima Trinitate in sua Biblioth. Theol. lib. 4. sec. 11. c. 33. &

Caietan. *Copus.* *Sander.* *P. Suar.* *N. Dom.* *Capisuc.* Reuerendissimū Magistrum Apostol. Palatij. P. Capisucum in controuer- sijs selectis controuer: 26. §. 5. de cultu Sacrarum imaginum.

7 Probatur nunc eadē prima pars ratione. Si Deus omnem imaginum usum in lege veteri posituo aliquo præcepto vetuisset, vtique tale præceptum contineretur vel Exodi 20. cum dicitur Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem &c. vel

Leuit: 26. vbi habetur hoc ipsum,, ijs verbis: Ego Dominus vester. Non facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos non erigetis, nec insignem lapide ponetis in terra vestra, ut adoretis eum Ego enim sum Dominus Deus vester; atqui locis adductis non habetur eiusmodi prohibitio, ergo Deus in lege veteri non prohibuit absolute posituo aliquo præcepto omnem usum imaginum. Maior probatione non eget: fortè enim nullibi expressius habetur sermo de usu imaginum, ac illius prohibitione.

Minor probatur: quia si Exodi loco adducto absolute prohiberetur omnis imaginum usus, cum iuxta superius dicta, eiusmodi prohibitio coincidat cum præcepto de uno Deo colendo, & rursus indubitatum sit; cultum unius Dei à iure naturali præcipi, iam usus imaginum esset iure naturali vetitus, vnde illius prohibitio adhuc in lege Euangeliæ perseveraret, sicut & reliqua eiusdem iuris præcepta permanes- runt: hinc præberetur hæreticis validissimum argumentum aduersus Catholicam sententiam, qua eiusmodi usus, vt omnino licitus, ac honestus ponitur: fieri enim nequit, vt Deus honestum reddat, quod iuri naturali aduersatur, est enim naturale ius participatio quædam legis æternæ, quæ est ipsam rectitudine per essentiam. Secundò etiam loco, nempe Leuitici 26. non absolute prohibetur talis usus, sed expressè assignantur motiū, vi cuius prohibetur, videlicet ne imaginibus exhibetur adorationis cultus, qui uni solique Deo debetur, & conseqüenter ad vitandam idolatriam, vel saltem illius periculum, quod non leue erat respetu hebræorum, qui versabantur inter Idololatras, satisque erant ad idolatriam propensi, vt ex ijs, quæ in Sacra Scriptura enarrantur, non obscurè col- ligitur:

DISPVTATIO IV. DVBIUM I.

155

ligitur: nec enim Sapientissimus Salomon ab hac labe fuit immunis, vt apertè constat ex lib: 3 . Reg. cap: 11 . cum dicitur de illo *Cumque iam esset senex deprauatum est cor eius per mulieres, ut sequeretur deos alienos.* Et post pauca. Colebat Salomon Astarthem deam Sydoniorum &c.

Tum etiam probatur eadem minor quoad vtramque partem; etenim si locis adductis prohiberetur absolutè omnis imaginum vsus, Deus sibi ipsi fuisset contrarius: quod satis manifestè probatur ex eo, quod pluribus alijs locis, siue ex præcepto Dei factæ sunt imagines, siue earumdem usus ab ipso reprobatus non inuenitur. Et primum id cōstat ex cap: 25 . Exodi: cum Deus præcepit Moysi in hunc modum. *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies, ex utraque parte oraculi Cherubim unus sit in latere uno, & alter in altero.* Iterum Numer: 21 . iussit Deus Moysi sic. *Fac serpentem aneum pro signo, qui percussus aspexit eum uiuet.* Demum lib: 3 . Regum cap: 7 . habetur Salomonem fecisse plures imagines, etiam in templo Dei, de quo numquam inuenitur in Sacra pagina fuisse reprehensum.

8. Confirmatur. Primo decalogi præcepto non prohibetur, nisi quod fuerit naturali lumini rationis aduersum, atqui usus imaginum secundum se, & absolutè loquendo prædicto lumini non opponitur, ergo locis adductis non prohibetur imaginum usus absolutè, sed quantum idolatriæ cultum poterat inducere. Maior suadetur: quia iuxta veriorem omnino sententiam, primum decalogi præceptum est naturale, quare sicut prout affirmatiuum non præcipit, nisi cultum vnius Dei, qui ab eodem naturali lumine dictatur: ita secundum quod negatiuum non prohibet, nisi quæ

De Vsu Imaginum.

eidem naturali lumini fuerint aduersa, vidimus autē prohibitionem de non faciendo sculptili ad pri-
mum decalogi præceptum pertine-
re. Minor probatur: supponendo
breuiter ex Angelico Præceptore 1. 3 . Reg.
2 . quæst. 94 . art 4 . & 5 . in natu-
rali lege, atque adeo in practico
rationis dictamine distinguenda es-
se, sicut in ratione speculativa,
quædam tanquam principia prima,
in quibus numquam est defectus,
nec ulla prorsus mutatio, vnde
apud omnes habet æqualem rectitudinem, suntque omnibus æqualiter
nota. Alia autem sunt conclusiones
ex eisdem principijs deductæ, in
quibus potest esse defectus, & mu-
tatio, saltem ut in paucioribus, &
propter aliquas particulares cir-
cumstantias. Quod declaratur
exemplo: nam apud omnes est no-
tum reddendum esse depositum, ei-
tamen, qui illum repeteret ad im-
pugnandam patriam non esset red-
dendum: & per hoc patet, quod li-
cet hoc principium, depositum est
reddendum, secundum se sit immu-
tabile, ac indefectibiliter rectum;
ratione tamen peculiarium circum-
stantiarum deficit, ac mutationem
subit: & tantò magis mutationi
subditur, quanto magis ad particu-
laria deuenitur.

Hoc posito, si usus imaginum lu-
mini naturali aduersaretur & veti-
tus fuisset in lege veteri per pri-
mum decalogi præceptum, fieri non posset, vt absolutè loquendo
eiusmodi præceptum cessaret in le-
ge Euangelica: poneretur enim da-
ri mutationem, ac defectum in lege
naturali, ac secundum se sumpta,
non verò in paucioribus, & quoad
peculiares tātum modo circumstan-
tias, quod stare non potest, iuxta
doctrinam modo traditam. Quare
dicendum: perseverare idem præce-
ptum negatiuum de usu imaginum

V 2 ex

3 . Reg.

Exod.

Numer.

ex hoc, quod vetaret solum prædictum vsum, vt dicentem idolatriæ cultum, qui, vt per se notum est, adhuc in lege gratiæ est illicitus, non autem omnino secundum se sumptus.

§. III.

Adducuntur, & impugnantur euasiones aduersario-
rum..

9. **O**ccurrat Catherinus huic argumento dicens; Deum præcepisse quidem in lege veteri fieri imagines, & statuas, sed vsum fuisse dispensatione eius præcepti, quod primo loco in decalogo tradiderat: putat enim prædictum præceptum quoad eam partem, quæ vetabat imaginum vsum non fuisse naturale, & consequenter in eo potuisse ab eodem Deo dispensari.

Verum hæc responsio supponit duo, quæ omnino falsa sunt, horum primum est Deum dispensasse in præcepto decalogi, vt enim vidimus n. 7. Salomon in templo Dei plures exposuit imagines, independenter à Dei præcepto, vt constabit legenti caput 7. lib: 3. Regum, vbi 3. Reg: inter alia hæc habentur *Sculpsit quoque in tabulatis illis, quæ erant ex ere, & in angulis, Cherubim, & leones, & palmas quasi in similitudinem hominis stantis*, quod disertè narrat Leontius in quinto libro, seu dialogo Apologiæ pro Christianis, qui refertur in septima Synodo actione 4. quique vt ibidem appetet, lectus fuit à Stephano Diacono; non ergo imaginum vsum apud Hebræos licitus tantummodo fuit ex Diuina dispensatione, quam adfuisse ex nullo, vel leui signo colligi potest.

Nec dici potest tacitam saltem

extitisse dispensationem; tum quia omnino gratis, & voluntariè adstruitur, quod fieri non debet absque urgenti satis fundamento, quod non adest. Tum rursus: quia in re grauissima, qualis est dispensatio in ijs, quæ habebantur ex decalogo, & non qualitercumque, sed clare & expressè, non sufficeret præsumpta Dei voluntas, sed omnino exigita fuisse expressa, ac manifesta, vt contingit etiam in humanis. Tum demum quia dato quod satis fuisse præsumpta Dei voluntas respectu priuatae personæ, non tamen loquendo de eo, quod in publico, sanctissimoque templo vniuerso hebræorum populo proponebatur: sicut enim bonum commune maximum censemur, ita quicquid ipsum concernit diligentissimè pertractandum, adeoque insufficiens prorsus fuisse præsumpta dumtaxat Dei dispensatio.

Tum etiam: quia vt optimè docuit Angelicus Preceptor 1. 2. q. 97. art. 4. ad 3. *In lege humana publica non potest dispensare nisi ille, à quo lex autoritatem habet, velis cui ipse commiserit: ita in præceptis iuris Diuini, quæ sunt à Deo nullus potest dispensare, nisi Deus, vel cui ipse specialiter committeret.* Porrò quoad præsens est sermo de præcepto iuris Diuini positivi, & publico; vnde cum nullatenus ostendi possit quoad prædictas imagines à Salomone in templo publico expositas, Deum dispensasse, nec peculiarem commissionem ad sic dispensandum Salomonem accepisse, absque fundamento asseritur, dispensatum fuisse; & nota; S. Doctorem, non postulare quamcumque commissionem, sed specialem, vnde oporteret de ea clare, ac manifestè constare, nec sufficere quamcumque præsumptam.

10. Secundum quod falsò supponit

ponit allatum effugium est, primum de calogi præceptum quoad hanc partem non esse naturale, tale enim esse verior omnino sententia docet, de quo in tractatu de legibus disputatur. Et hoc ipsum clarè docuit S. Tho. quest. 14. de Verit. art. 11. ad 3. argumentum, ex ijs, quæ secundo loco ponuntur, vbi hæc habet,

s. Tho. Dicendum: quod mandata decalogi sunt de ijs, quæ naturalis ratio dictat, & ideo quilibet tenetur ea explicitè cognoscere. Quod à fortiori verum est de primo præcepto, quod est aliorum basis, ac fundamentum. Neque huic doctrinæ obstat, quod tertium præceptum de sanctificatione Sabbati sit partim morale, seu naturale, & partim cæremoniale, hanc enim obiectionem diluit S. Doctor 1. 2. quest. 100. art. 3. ad 2. in hęc verba Dicendum: quod præceptum de obseruatione Sabbati, est secundum aliquid morale, in quantum scilicet per hoc precipitur, quod homo aliquo tempore vacet rebus Diuinis, secundum illud Psalm. 48. Vacate & videte quoniam ego sum Deus: & secundum hoc, inter præcepta decalogi computatur, non autem quantum ad taxationem temporis, quia secundum hoc, est aliquid cæremoniale. Ex hoc enim aperte constat omnia præcepta decalogi, vt talia esse moralia, seu de ijs, quæ naturalis ratio dictat.

N. Dom. Addē ex Nostro Dominico à SS. Trinitat: Idcirco Deus primo illo præcepto, iuxta aduersarios, vetuit imaginum vsum, quia respectu Iudeorum imminebat periculum incendi in idolatriam; hoc autem, vitatum non fuisset si Deus dispensasset in illo, imò quodammodo auctum, nam authoritas suprema dispensantis plus venerationis ijs imaginibus conciliasset. Addimus nos, talem dispensationem non congruere Sanctissimis, ac grauissimis legibus, ab ipso Deo immedia-

tè promulgatis. Et hoc ideo, quia cum in aliqua lege dispensatur, utique fit in illa mutatio, ex hoc quod per dispensationem fieri debeat licitum, id quod ante illam ratione prohibitionis à lege factæ erat illicitum, vt docuit Angelicus Præceptor 1.2. quest. 100. artic 8. Eiusmodi autem mutatio quamvis non omnino dedebeat humanū legislatorū, qui defectu perfectissimæ prouideret nequit præscire omnes peculiares, & occurrentes circumstantias, in quibus honestior redditur, eiusdē legis cessatio: secus respectu primi, ac supremi legislatoris, qui ferens aliquam legem præuidet omnes futuras, ac singulares circumstantias; adeoque respectu illius non erit admittenda dispensatio, nisi virginissimo motu id exigente, quod tamen ab aduersariis non assignatur. Demum dato quod ea dispensatio posset adstrui, quod tamen non concedimus, quantum ad imagines priuato usui inseruientes, non tamen est asserenda quantum ad illas, quę in templo Dei exponebantur, quis enim non videat loci Sanctitatem maximam addere rebus, in eo collocatis venerationem, ac reverentiam? quare si Deus vetuit imaginum usum, ne Hebræi indè haberent occasionē idololatriandi, vt dicunt oppositæ opinionis sequaces, hac sua dispensatione, eandem periculi præbuisset occasionem.

11. Secundō responderet rationi adductæ P. Vasq. disp: 94. cit: cap: 6. num. 31. & 32: in lege veteri non fuisse absolute loquendo vetitum omnem imaginum usum, sed dum taxat earundem cultum, seu adorationem: & consequenter prohibitam fuisse omnem imaginem erectam, modo accommodato cultui, & adoracioni: modus autem cultui accommodatus est cum illa imago picta, aut sculpta est per se: secus autem

autem si fuerit solum tanquam aditamentum, & appendix, seu ornatus alterius rei. Et hoc posteriore modo afferit appositos fuisse Arcę Fæderis Cherubinos. Idque confirmat authoritate Tertulliani contra Marcionem cap: 22. dicentis, eos Cherubinos fuisse simplex Arcę ornamentum. Et rationem huius affert num. 33. Nam quoties, inquit ille, figura aliqua veluti appendix, & ornamentum alicuius operis additur, ad nullam sui veneracionem, seu adorationem mouet: sed in totum ipsum opus animus potius intenditur; veluti cum B. Virgo depingitur in cælum ab Angelis assumpta, animus adoratoris in ipsam Virginem fertur, non in Angelos, qui ipsam subleuant, aut comitantur (tametsi in ipsos quoque conuerti non repugnet) maiori tamen ratione hoc fieret, si tantum in ornamentum operis, & maiestatem seruirent. Tales erant Cherubini &c. Videatur ibi.

Quam doctrinam possumus magis confirmare ex dupli S. Thomę testimonio, is enim 1. 2. quæst: 102. art. 1. ad 6. loquens de Cherubinis Arcæ, inquit. Propter hoc non fuit unus tantum Cherubim, ut designaretur multitudo cælestium spirituum, & excluderetur cultus eorum ab his, quibus præceptum erat, ut solum unum Deum colerent. Et iterum quibusdam interpositis, subdit. Similitudines Seraphim non ponebantur ad cultum, quod prohibebatur primo legis præcepto, sed in signum ministerij. Vnde apparer doctrinam à Vasquez traditam, omnino consonam esse menti S. Doctoris.

Hanc P. Vasquez responsionem optimè impugnat N. Dominicus loco adducto. Primò quidem: quia nos hic solum intendimus ostendere, omnem imaginum usum non fuisse Iudeis vetitum, vt inde pare-

tur via ad ostendendum licitum esse in lege Euangelica, & usum, & cultum earundem, quare eti admittarur, Iudeos nullatenus coluisse imagines: adhuc habemus intentum. Secundò: locis superius adductis prohibetur omnis imaginum usus, si ergo talis prohibitio limitatur à P. Vasquez ad hoc, vt intelligatur non absolute de usu, sed tantum de adoratione, cur non licet nobis eandem prohibitionem limitare ad hoc, vt intelligatur de adoratione claudente cultum idolatriæ: maximè cum nostra limitatio non obscurè colligatur ex verbis Scripturæ, & clarè doceatur à Sanctis Patribus. Secus limitatio P. Vasquez.

12. Exemplum autem de Virgine in cælum assumpta omnino pugnat contra ipsum, quis enim neget posse illos secundariò adorari, & de facto sic contingere? Adde de facto, Iudeos veneratos fuisse Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim, quod docuit S. Hieronymus, rerum Iudaicarum peritissimus, nam scribens ad Marcellam, eamque adhortans, vt commigret Bethleem, sic ait *Venerabantur quondam Iudei Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim: & propitiatorium*. Hoc ipsum insinuat S. Io: Damasc: lib. 4. Orthodoxæ fidei, cap: 17. his verbis. *Quid ergo causa fuit quamobrem Mosaicus populus tabernaculum illud; quod cælestium rerum, immo uniuersa creature imaginem, ac figuram gerebat undique adoraret?* Ait quippe Deus Moysi, vide: *ut omnia facias iuxta formam ubi ostensam in monte.* *Quid?* Cherubim illa, que propitiatorium obumbrant, an non humanarum manuum opera? Quæ verba commentario suo illustriora reddit Iodocus Clichto- Iodoc; uæus Neopotensis, & Parisiensis Clichto; Theologus cum inquit: *Ad hac, taber-*

DISPVTATIO IV. DVBIUM I. 159

tabernaculum iussu Domini à Moysi fabricatum, à populo adorabatur, & Cherubim obumbrantia propitiatorium & in celeberrimo templo Salomonis fiebat solemnis adoratio; & tamen hæc tria, tabernaculum inquam Cherubim, & templum erant manu facta, & humano opere perfecta.

13. Impugnatur rursus ea responso, vtendo eadem ratione, qua vtitur Vasq; uno dumtaxat addito termino. Quoties aliquid adiungitur alteri per se adorabili, tanquam ornamentum, eius maiestati inseruiens, & aliunde representat aliquid, ratione propriæ sanctitatis adorabile, vtique illud est adoratione dignum, sed hoc contingit in re, de qua nunc agimus, ergo revera Cherubim exponebantur Iudeis. vt adorabilia. Maior suadetur, & explicatur in hunc modum, nam illud est veneratione dignum ex ipsa ratione ministerij, in omnium enim sententia sacræ vestes sunt aliqua veneratione dignæ, hoc ipso quod Diuino cultui inseruiunt, ad maiorem ministrorum Dei maiestatem conducentes: & sanè ipsamet deputatio ad ministerium Diuinum conciliat rebus sic deputatis reverentiam. Cuius exemplum desumi potest ex ijs, quæ in naturalibus contingunt: videmus etenim imaginatiuam, & estimatiuam hominis ex ipsa destinatione ad inseruidum intellectui, quam à natura acceperunt, reddi nobiliores, ac perfectiores imaginatiua, & estimatiua brutorum, habereque proinde imperfectum aliquem discursum, sicut & propter eandem rationem appetitus sensitius hominis voluntati inseruiens deficientem aliquam participat libertatem. Non ergo Gratia erit natura inferior, imò perfectiori modo inseruentia, ac ministrantia rebus Diuinis, aliqua adoratione, ac reverentia digna efficiet.

Amplius: posito quod tale ornamentum representet aliquid, quod ratione propriæ sanctitatis sit adoratione, ac cultu dignum, quantum alteri excellentiori adoratione digno, tanquam adaugens eius maiestatem addatur, vtique non deperdet eam condignitatem, quam habet ad adorationem sibi proportionatam, vt ex se manifestū apparet, & fatetur ipsem Vasq; in exemplo à se adducto de Virgine in Cælum ab Angelis euesta. Tum rursus: quia augustior censembitur maiestas, cui ornamentum, aliquid additur, quod nedium ratione alterius, verum etiam ratione sui est aliqua adoratione dignum, adeoque ex hoc, quod addatur vt ornamentum augens alterius dignitatem non priuabitur, imo consonum erit, vt propria, ac sibi proportionata adoratione, & reverentia gaudeat. Ex quo apparet Cherubinos illos Arcæ superadditos ex duplice nunc assignato capite fuisse cultu, & adoratione dignos, & consequenter non est vnde probetur, non fuisse Hebreis expositos ad cultum, & adorationem illis proportionatam; maximè: quia non legitur, nec vel leue argumentum adest asserendi, Deum vetuisse Hebreis eorum adorationem. Minor, & Consequentia sunt ex se manifestæ, certissimum est enim Cherubinos eos aureos representasse Hebreis supremos illos Angelos, vt maximè Sanctos, & pro talibus fuisse ab illis cognitos.

Addit primò: indubitū omnino esse, quod si Iudeorū aliquis furatus fuissest aurea Cherubim propitiatorium ombrumbrantia, tanquam maximi Sacrilegij reus damnatus fuissest, cum igitur contraria nata sint fieri circa idem, & sacrilegium Religioni opponatur, manifestè sequitur, Cherubim illa digna fuisse cultu

cultu aliquo Religioso , alias peccatum furti versans circa illa , tanquam pessimum sacrilegium reputatum non fuisset . Adde secundo: opus ipsum , nempè arca , & propitiatorium , cuius maiestati Cherubim inferuiebant , vtique erant artificiosa quædam manufacta , & tam nemo dubitat adorata fuisse à Iudæis , cur ergo adorari non poterant & Cherubim ? Non quidem ex Diuino præcepto , quo prohibebatur adoratio omnis sculptilis , & manufacti , vnde sub eodem præcepto , omnia prorsus fuissent comprehensa , fatendum est igitur , mandati Diuini prohibitionem latam , solummodo fuisse in cultum omnis imaginis , ac sculptilis , vt clauderem cultum idolatriæ :

14. Deinde hæc P. Vasquez responsio adaptari nullo modo potest ei , quod allatum est de æneo Serpente , ab eodem Moyse in deserto erecto: siquidem eiusmodi serpens non se habebat tanquam ornementum , aut appendix alterius , adeoque erectus fuit modo accommodato cultui , & adorationi . Eo vel maximè : quia Hebræi aspiciunt serpentem à morsu ignitorum , serpentium , & consequenter à morte miraculosè liberabantur , constat autem Diuine omnipotentiæ instrumenta , quibus miracula patratur suspici , ac venerari ab hominibus ex participio eius virtutis miraculorum patratuæ , quo gaudent , erectus ergo fuit , vt venerationem aliquam exigens . Et urgetur magis ; quia prædictus serpens erectus fuit tanquam præfiguratus Christi in Cruce pendetis , vt expressè habetur Ioa: 3. *Sicut Moyses exaltauit serpem in deserto , ita exaltari oportet filium hominis.* Et quamvis eiusmodi præfiguratio omnibus non fuerit nota , seu reuelata , satis verosimile appareat , saltem Moysem eam non

ignorasse , ergo ratione huius præfigurationis poterat ab ijs , quibus innotescet , Religiosa aliqua veneratione coli . Siquidem vt docuit S. Augus: lib.3. de doctrina Christ. cap: 9 . *Quid operatur , aut veneratur utile signum , diuinitus institutum , cuius vim , significacionemque intelligit , non hoc veneratur quod videtur , & transit , sed illud potius , quo talia cuncta referenda sunt;* quibus in verbis cum dicat potius venerari illud , quo talia cuncta referenda sunt; non excludit signum à quacumque veneratione , sed dumtaxat à potiori , seu principaliori , & consequenter aliquam tribuit signo , sicut & nos aliquam tribuimus imaginibus , quæ sunt prototyporum signa .

Sed occurrit iterum Vasq. disput: cit: cap: 5 . n. 21. primo ex Tertulliano , qui forte argumento coniunctus recurrat ad dispensationem à Deo factam . Secundo ait: probabilius esse , Iudæos nullo modo veneratoros fuisse serpentem æneum , cum hic propositus fuerit illis , vt simpliciter aspiciendus , simplex autem aspectus non est alicuius reuerentiæ signum , quamvis aspiceretur gratia accipiendæ sanitatis . Eo vel maximè : quia iussit Deus illos erectos , ac stantes , adeoque sine via submissionis , ac reuerentiæ nota , illum aspicere : vt tota animi reuerentia , & affectus in Deum ipsum authorem referetur .

15. Verum quod primo loco in hac euasione dicitur , iam sufficienter impugnauimus ; neq; obstat authoritas Tertulliani , quia hic loquitur de dispēsatione cadente supra adorationem , non supra vsum imaginum , nos autem intendimus solum ostendere , vsum non fuisse prohibitum ; nec omnino improbabile censemus Hebræis prohibitam à Deo fuisse omnem imaginum adorationem , quamvis , vt ostendimus ,

dimus, etiam huius oppositum sit probabilius, imò satis certum. Et sane indubitatum est, potuisse Deum in adoratione imaginum dispensare, dummodo nihil idolatriæ claudat: hæc autem tunc omnino aberat, imò & illius periculum, quia ut docuit Catherinus opusc: de adoratione imaginum, Moyses manifestauit hebræis serpentem illum figurare Christum futurum, vnde in hunc adorationis actus potissimum ferebatur. Verum quicquid sit de hoc.

Quantum ad secundum, quod asserit citatus Vasq: impugnari potest, tum ex modo dictis, nam si verum est, quod docuit Catherinus, factam fuisse hebræis eam manifestationem, non est cur illi, ut signo Christi venturi omnem negauerint adorationem, sicut nec negatur à nobis imaginibus Sacris: Tum rursus id non obscurè colligitur ex eo, quod habetur 4. Reg: 18: nam ibi dicitur. *Confregitque (Ezechias videlicet) serpentem æneum, quem fecerat Moyses, siquidem usque ad illud tempus filij Israel adolebant ei incensum.* Itaque videtur, quod res in hunc modum se habuerit; cum primò à Moysè erectus est in deserto æneus serpens, filij Israel aliquem adorationis cultum ei exhibuerunt, & quidem sine idolatriæ periculo, notificata cultoribus re significata. Sed postmodum multo elapo tempore, & valde dominante Idolatria in Israel, ut ibidem asseritur, licitus ille cultus declinavit in abyssum, etenim perdita, aut valde imminuta prima illa notitia, satius censuit Ezechias, æneum serpentem confringere, ne mentibus valde ex peccatis obtenebratis daretur idololatræ occasio. Et hoc indicasse videtur verbum illud Scripturæ; usque ad illud tempus videtur enim ex ijs denotari se-

De usu Imaginum.

ries adorationis, ceptæ à Moysis ætate, & perductæ usque ad tempora Ezechiæ. Videatur Sanderus de Imagin: lib. 2. capit: 3. docens, serpentem illum fuisse aliquo modo à Iudeis in deserto adoratum, & mouetur ex eo, quod per illius aspectum miraculosè Iudei sanarentur. Idemque probabile censem N. Dom: lib. 4. cit. sect. 33. post sextam conclusionem.

Id autem quod addit P. Vasqu: nempè iussisse Deum hebræos stantes, & erectos aspicere æneum serpentem, fatemur nos penitus ignorare, vnde id colligat; perlegimus enim totum illud caput, & nec leue vestigium eius præcepti inuenire potuimus, cumque aliunde non probetur eiusdem præcepti existentia, videtur ex propria eius adiunctione assertum, quapropter responsione non eget. Supereft tantum allatis ex D. Tho: authoritatibus præbere responsum: itaque dicimus, ipsum loqui de cultu sole Deo exhibendo, qui proinde delatus Cherubinis fuisse idololatricus, seu superstitiosus: & hæc expositio omnino videtur eius doctrinæ consona, nam loquitur de cultu, qui prohibitus fuerat primo præcepto, quod vetuisse adorationem idololatricam, docuerat idem S. Doctor: & hoc ipsum ex eius primo testimonio appetit, quo dicitur, multiplicatos fuisse

Cherubinos, ne ijs exhiberetur adoratio vni soli Deo redenda.

**



S. IV.

Adducitur secunda ratio, & euertitur aduersariorum ref. ponsio.

16. Secundò probatur nostra assertio ratione Alani Copi cap. 2. iam citato. Præcepta decalogi sunt tantummodo decem, sed si in lege veteri prohibitus omnino fuissest imaginum usus esset vnde-cim, ergo in lege veteri non omnino vetuit Deus imaginum usum. Maior & ex Scriptura, & ex communi Sanctorum Patrum consensu est manifesta, immo ex ipso decalogi nomine apparet per se nota. Minor suadetur: quia primum præceptum iam distingueretur in duo præcepta; quorum unum esset. *Non habebis Deos alienos coram me*: alterum vero, *Non facies tibi sculptile*; quod maxime veritatem habet, iuxta opinionem aduersariorum dicentium, quod illud, *Non facies tibi sculptile*, sit præceptum cærimoniale, inde enim sit esse diversi ordinis à primo, quod secundum communem prorsus sensum est naturale: ex quo apparet, quod si his duobus nouem sequentia addas, vtique erunt undecim: Vetatur autem eiusmodi inconueniens, si per ly non facies tibi sculptile, prohibeat dumtaxat cultum idolatricum, quia tunc coincidet cum primo, eritque maior eiusdem primi præcepti explicatio. Consequentia liquet.

Huic etiā rationi occurrit P. Vasq.
P. Vasq. loco citato cap. 7. num. 45. ait ergo: primum præceptum non diuidi in duo, sed esse unum tantum: tum quia eodem perpetuo verborum tenore profertur: tum quia ad

eandem Religionem vtriusque spe-
stat obseruatio, ad idemque pecca-
tum sacrilegij vtriusque violatio. Quantumuis enim facere sculptile secundum se non sit contra Religio-
nem, lege tamen positiva id prohibe-
bente, in materiam sacrilegij eius transgressio transit. Vnde fit in
primo præcepto claudi aliquid cæ-
remoniale, tanquam additamen-
tum illius primi, & naturalis præ-
cepti de uno Deo colendo: quod tamen additamentum in lege Euā-
gelica cessauit, perseverante primo
naturali præcepto, quantum ad id,
quod in eo præcipuum est.

17. At contra primum huius responsionis dictum in hunc modum vrgetur. Quamuis sit idem verborum tenor, posito, quod ly non facies tibi sculptile sit præcep-
tum positivum cærimoniale, vt in
hac responsione dicitur, primum præceptum simpliciter loquendo erit partiendum in duo, ergo sim-
pliciter loquendo erunt undecim præcepta decalogi. Antecedens suadetur ex doctrina, quam habet idem Vasq. loco citat. num. 44. vbi vt ostendat hæc duo præcepta, *Non concupisces uxorem proximi tui*. Non P. Vasq. concupisces domum proximi tui. Esse simpliciter duo, hæc ait. *Quia non solo nomine, sed etiam re ipsa in gene-*
re turpitudinis peccati differunt concu-
piscientia rei alienæ, qua ad furtum
spectat, & uxoris aliena que ad for-
nicationem pertinet. Ex qua nos ad hominem arguimus. Præcepta ma-
xime distinguuntur ex diuersa tur-
pitudine obiecti prohibiti, cum igi-
tur facere sculptile ex natura sua, &
secundum se, non sit malum na-
turali dictamini rationis opposi-
tum, alias nec in lege Euangelica
licitum esset: & colere Deos alie-
nos sit malum eidem naturali lumi-
ni aduersum, de quo nemo ambi-
git, vtique ex diuersis adeo obie-
ctis

Etis defumantur oportet distincta omnino præcepta. Et sane, nullus fortè in controversiam adducet prius omnino esse, id quod est prohibitum, quia malum, ut pote natura sua malum, quam id, quod est malum, quia prohibitum, accidit enim huic posteriori malitia, & consequenter, est minus malum, quod de se patet.

Exod. 18. Deinde non sufficere nudum, eundemque verborum tenorem, ad hoc ut ex eo unitas præcepti colligatur, euidentissimè notum fiet ex verbis, quibus Exodi 20, numerantur expressè decalogi præcepta, sic enim quoad ultima duo præcepta ibidem dicitur, *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, non omnia, quæ ipsius sunt.* Ecce seruatur perpetuo idem verborum tenor, & tamen sub illo, etiam iuxta eundem Vasquez, comprehenduntur duo præcepta, prohibentia duo obiecta diuersa, nempe furtum, & fornicationem. Demum, quis non videat leue satis argumentum ex solo verborum tenore defumi? dummodo fuerit sermo de lege Diuina, in qua potissimum viget ratio, non externus verborum sonus, cum illa potissimum sit internorum actuum regula, ac mensura per internum rationis dictamen applicata, de quo alibi fusior sermo habebitur.

Secundum verò, quod in eadem responsione dicitur magis displicet, eo enim admisso, tria prima præcepta, quæ pertinent ad eandem Religionis virtutem essent unum præceptum. Rursus non furtum facies, & non concupisces domum proximi tui, eidem iustitiae virtuti opponuntur. Demum non fornicaberis, & non concupisces uxorem proximi tui, eidem temperantiae virtuti, aduersantur: & tamen hæc omnia

De usu Imaginum.

sunt in omnium sententia plura, ac distincta simpliciter præcepta. Non ergo ex oppositione ad eandem virtutem colligi vlo modo potest præceptorum indistinctio.

19. Verum ut hactenus dicta euidentius innescant: & simul ostendatur quanto fundamento asseratur, totum primum præceptum esse naturale, & nihil cærenialis includere; & consequenter in veteri lege per primum præceptum fuisse dumtaxat vetitum idololatricum imaginum cultum, quod in præsenti contendimus. Notanda est elegans quædam doctrina, quam tradidit Angelicus Præceptor 2. 2: *N. Thom. quæst. 122. art. 2. vbi ut ostendat, primum decalogi præceptum conuenienter tradi, supponit legis proprium munus esse, hoc quod est facere hominem bonum; non quidem efficienter, hoc est præbendo vires, sed directiè, est enim lex lux ut dicitur Proverb. 6. atque adeo se habet veluti pedagogus quidam, seu director, cuius est homini viam vitae ostendere, nè à recto rationis tramite aberret, & ad hoc ut & in semita virtutis gressus ponat. Subditur enim loco cit: Proverb. Et via vite increpatio disciplinæ. Hinc etiam D. Isidorus relatus à D. Tho: 1. 2. quæst. 100. artic. 7. arg: 2. dixit: quod *omnis lex ratione constat.* Quod consonat vulgari Iurisperitorum asserto, *Ratio est anima legis.* Huius itaque legis est, hominem bonum facere, nam hominem esse bonum, est ipsum iuxta rationis dictamen operari. Vnde sequitur, inquit S. Tho: *quod oportet, præcepta legis ordinari secundum ordinem generationis, qua scilicet fit homo bonus:**

S. Thom. 5. Isid.
Et quia moralis generatio hominis boni pensanda est per analogiam, seu proportionem ad naturalis generationis ordinem: siqui-

dem ens morale fundatur in ente physico , seu naturali : idcirco secundò notandum, quod sicut in generatione animalis primò generatur cor , tanquam prima pars , in qua naturalis vita sedem habet : ita cum prima pars bonitatis animæ, sit bonitas voluntatis , ex qua homo bene vtitur qualibet alia bonitate: oportet quod vt generetur homo bonus, primo producatur bona, seu recta voluntas : & quia hæc est bona per hoc , quod rectè se habeat circa suum vltimum finem: ideo homo, qui per legem instituendus erat ad virtutem , oportuit primo poni fundamentum Religionis , ex qua homo ordinatur in Deum vltimum finem humanæ voluntatis . Neque huic doctrinæ obstat (vt sic tacita soluatur obiectio)bonitatem voluntatis per se primò haberi per Charitatem , qua Deum diligimus, quia amoris Dei præceptum non habetur inter decalogi præcepta, de quibus nunc loquimur , nam vt docet S. Tho: tum 1. 2. quæst: 100. artic. 3. ad 1. tum alibi ad amorem Dei, & proximi omnia præcepta decalogi , vt conclusiones ad principia referuntur .

Tertiò sciendum , quod sicut in naturali generatione, oportet primò remouere contraria impedimenta: vti videre est in agricola, qui primo campum à spinis , ac tribulis expurgat , & postmodum proicit semina : non dissimiliter in virtuosi generatione hominis executioni mandanda , necessum fuit , vt per decalogi præcepta amouerentur veræ Religionis impedimenta : inter hæc autem præcipuum censetur , hoc quod est hominem falso adherere Deo , secundum illud Matth: 6. Non potestis Deo seruire, & mamnone . Et propterea primo præcepto legis falsus deorum cultus excluditur . Videatur D. Tho: ibi .

20. Ex qua Angelica doctrina deducimus , quod cum Deus per primum decalogi præceptum vellet generare primam partem virtuosi hominis , nempe voluntatem , sicut & per sequentia præcepta alias partes minus principales , ad hoc vt omnino perfecta , & adæquata esset generatio : vtique oportuit , vt per primum illud præceptum, à quo reliqua pendebant , & amouerentur omnia impedientia talem generationem , & simul per virtutem Religionis, qua præcipitur cultus vnius Dei , rectificaretur voluntas : & vtrumque hoc munus præstatur per primum præceptum adæquatè sumptum , hoc est quantum ad eam partem , qua est affirmatum , & quoad eam qua est negatum , vt per istud amoueantur impedimenta, per illud verò prima pars bonitatis generetur . Vnde satis manifestè conuincitur , nullam partem primi præcepti cæremonialem esse , sed omnino naturalem , vtpote requisitam , tum ad remouenda contraria impedimenta , tum ad moralem hominis virtuosi generationem . Prohibitio ergo efformationis sculpsit , huiusque adoratio ponitur tanquam pars primæ illius generationis , cuius impedimenta remouet , atque adeo ad illum reducit , & consequenter totum primum præceptum naturale est . Oportuit autem vtramque eius partem explicitè tradi, tum vt adæquatè traderetur , tum quia , cum sit totius virtuosi processus basis, ac fundamentum , nullam omitti partem necessarium fuit , ne in re grauissimi ponderis aliquid diminutum appareret .



S. V.

Refertur opposita sententia, & soluuntur eius argumenta.

P. Vasq.

21. **O**pposita nostræ sententiæ opinio probabilior censetur à P. Vasq: tomo 1. in 3. p. disp: 100. cap: 2. Et pro ea refert plures authores, quorum tamen aliqui loquuntur dum taxat de vsu imaginis Deum representantis, qui nobis non aduersantur, cum aperte afferat S. Tho: loco cit: 3. p. quæst: 25. hebræos tali imagine vsos non fuisse. Probari autem posset hic dicendi modus, quoad prohibitionem vsus omnis prorsus imaginis, tum ex illo Exodi 20. tum ex Leuitici 26. sed his authoritatibus sufficienter constat ex dictis, nam ijs in locis sermo est de cultu talium imaginum, prout opponitur adorationi, & cultui vnius, ac veri Dei, vt iam uidimus.

Origen.

Secundò probatur hæc opinio auctoritate Origenis qui lib: 4. contra Celsum, mihi post tria folia, in hunc modum loquitur de Iudeis. *Apud quos nullum aliud numen erat receptum, quam Deus huius rerum uniuersitatis præses, procul ablegatis omnium simulacrorum opificibus, nam in ciuitatem eorum nullus pictor admittebatur, nullus statuarius legibus totum hoc genus arcentibus, ne qua occasio praberetur hominibus crassis, neue animi eorum à Deicultu auocarentur ad resterrenas per huiusmodi illecebras: habebant enim inter ceteras legem hanc: Nolite impie agere, neq; facientis vobis sculpiile, in similitudinem, aut imaginem masculi, vel feminæ, in similitudinem omnium iumentorum &c. Ex quibus verbis apertissimè constat, latam fuisse ab hebræis*

legem, habentem fundamentum in precepto decalogi, qua prohibebatur omnium imaginum vsus, cum & pictores, & statuarij in eorum ciuitatibus habitare non permetterentur.

22. Ut huic argumento fiat sat, primò supponendum, artem pingendi imagines, & sculpendi statuas non esse per se loquendo illicitam, nam vel per picturam (idemque intellige de arte statuaria) ex primitur nobis aliqua historia, & ex illa instrui possumus circa ea, quæ à nobis sunt agenda: vel obijcitur oculis, & ijs mediantibus memorie aliquod prototypum, quod egregijs claruerit facinoribus, & tunc extimulamus ad consimilia patranda, & ita discurrendo per alia. Quod si in obscenis aliquibus imaginibus oppositum contingat, id retorquendum in malitiam pingentium, non verò in artem secundum se sumptam: & hoc ipsum apertissimè constat ex eo, quod narratur Exodi 37. cum dicitur Beseleel Ooliab omnemq; virum sapientem accepisse à Deo sapientiæ, & intellectum vt scirent fabre operari quæ in vsu Sanctuarij necessaria sunt, & quæpræcepit Dominus; euidens est autem ad perficienda omnia ea quæ vsui Sanctuarij inseruiebant opus habuisse arte cælandi, & consequenter delineandi, adeoque etiam & pingendi, fecerunt enim inter alia Cherubinos ex auro ductili, & his similia, non igitur hæc ars est per se illicita, alias non potuisset à Deo eorum mentibus infundi.

Secundo etiam certum apparet, legem, de qua loquitur Origenes, non viguisse tempore Salomonis, hic enim vt narratur 3. Reg: 7. multas etiam in templo Dei iussit fieri sculpturas, cuius tamen operis numqnam inuenitur in scriptura à Deo

3. Reg.

Deo redargutus. Nunc ergo dicitur: eam hebæorum legem conditam fuisse ab ipsorum Republica ad vitandum Idololatriæ inconveniens, quod, ut dicitur in verbis adductis, respectu rudium hominum poterat contingere: eo ferè modo, quo superius dicebamus Ezechiam confregisse æneum serpentem, quem Deus fieri præceperat, ex abusu, qui successu temporis irrepserat. Quare cum hac hebræorum lege adhuc cohorebat usus imaginum, carum videlicet, quæ in templo erant expositæ, quas certissimum est non fuisse deletas. Ex quo apparet, non colligi aliquid aduersus nostram assertionem, quia non ostenditur datum fuisse aliquod Dei præceptum positivum, quo vetitus fuit in veteri testamento imaginum usus, quod potissimum in hoc dubio, ac in nostra assertione intendimus: sed dumtaxat ad vitandum abusum prohibitos fuisse pictores, ac statuarios commorari in hebræorum ciuitatibus, ne rudes, & ad idololatriam propensi haberent inde occasionem efformandi sibi idola, quæ colerent.

23. Tertiò arguit ratione P. Vasq: in hunc ferè modum, Deus vetuit habræis omnem imaginem, aut similitudinem sui representatiuum, ergo etiam absolute loquendo prohibuit omnem imaginum usum. Antecedens habetur ex S. Tho: loco citato ex 3. p. neque à nobis negatur. Consequentia suadetur, quia ideo Deus omnem sui imaginem prohibuit, ne ridis ille, populus in idololatria prolaberetur: cum usus imaginum secundum se, ut nuper dicebamus naturali rationi non repugnet. Porro idololatriæ periculum æquale erat in usu aliarū imaginum: imo grauius, ac proximius imminebat: nam si rectè originem idololatriæ attendamus, hæc cœpit ut dicitur Sapien: 14. ex eo,

quod homines effingere sibi cœperint imaginem filij mortui, vt eius recordarentur, deinde inter Deos numerare, & vt Deum colere populus non dubitauerit.

Confirmatur: sicuti vitari poterat idololatriæ periculum per hoc, quod Iudæi instruerentur adorare non aureos Cherubinos vt tales, sed Cherubinos Sanctos, qui per illos aureos repræsentabantur: sic poterant etiam instrui circa imaginem repræsentantem Deum, atqui hoc non obstante, Deus prohibuit omnem imaginem sui representatiuum, ad vitandum idololatriæ periculum, ergo idem dicendum de qualibet alia imagine, adeoq; prohibuisse Deum in ueteri testamento omnem prorsus imaginem.

Respondetur ad argumentum concedendo antecedens, & negando consequentiam, ad cuius primam probationem probabiliter responderi posset, Deum in lege veteri non permisisse adorari imagines, non verò prohibuisse omnem imaginum usum; Idololatriæ autem periculum imminet ex cultu, non verò ex puro imaginum usu: loquendo saltem respectu populi rufis, cuī creari potuisset tale periculum ex prædicta imaginum adoratione. Quare si verum est hebræos adorasse serpentem æneum in desertos, vt figuram Christi futuri, potuit Deus pro tunc dispensare. Quia tamen non est improbabile, vetitum omnino fuisse habræis omnem imaginum cultum, ideo ad eandem consequentiæ probationem.

24. Respondetur secundò negando, adfuisse prædictum periculum idololatriæ; Et ratio negationis est: quia cum populo illi certissimum innotesceret unum dumtaxat esse Deum, imaginum multiplicitas clare denotabat earum prototypa non esse cultu Diuino digna.

Et

Et ideo optimè notauit Angelicus Præceptor 1. 2. quest. 102. art. 4. ad 6. consultò præcepisse Deum, fieri in arca duo Cherubim, vt excluderetur cultus eorum ab his, quibus præceptum erat, vt vnum Deum colerent. Ex quo respondeatur ad secundam probationem, idcirco ex imaginibus creaturas representantibus potuisse sumere initium idololatriam, quia vnius Dei existentia illis ita certò non erat manifesta. Id quod constat in lege Euangelica, in qua supposita certissima prorsus cognitione repugnatæ plurium Deorum, ex cultu imaginum non habetur idololatrandi occasio, seu periculum.

Adde: ob aliam etiam rationem, potuisse populo illi imaginem Dei prohiberi, cum enim satis rudis esset, potuisset creari ipsi periculum existimandi, Deum esse corporeum, eo quia cerneret per corpoream, imaginem representari, hæc autem existimatio erronea prorsus esset, ac fidei contraria. Secus autem contingit in imaginibus saliarum creaturarum, nam etsi inde sumere potuissent occasionem existimandi, Angelos esse corporeos, non idcirco tamen aliquid aduersus fidem Diuinam sentirent. Quantumuis enim verissimum sit, Angelos esse penitus incorporeos, non tamen eiusmodi assertum fide tenetur, ut docuerunt N. Salman: tract: de Angel: disp: 1. n. 6.

Adde rursus: facilius æstimari posse in statua, aut imagine Deum representantibus, inesse aliquid Diuinum, vnde habetur idololatricus earum cultus, quam in statua vel imagine creaturas representantibus. Cum enim imago gerat yices sui prototypi, minus difficulter æstimatur imaginem gerentem Dei vicem aliquid Diuinum in se habere, quam alias creaturarum imagines,

quarum prototypa Deos non esse cognoscitur, ex hoc, quod vnum tantummodo Deum esse posse innescat. Maiorē ergo idololatriæ occasionem habuissent hebræi ex vsu imaginis Dei, quam ex vsu, aut etiam cultu imaginum exprimentium creaturas, vnde ille permitti non debuit, hic verò potuit, & probabilius omnino est ita de facto contigisse. Et per hæc soluta relinquitur confirmatio: difficilis enim vitatum fuisset idololatrandi periculum proposita imagine Dei, quam propositis aliarū creaturarum imaginibus, quæ omnia intelligenda respectu hebræorum, quibus, ut ex dictis constat, magis periculum idololatrandi imminebat.

25. Quartò arguitur. Si præcepto illo Exodi 20. prohibitus dumtaxat fuisset idololatricus Sculptilium vsus, maximè id probaretur ex eo, quod tale præceptum fuerit merè naturale, sed hoc videtur falsum, ergo tale præceptum, quo ad vsum imaginum potuit esse cæremionale. Maior constat ex superiori dictis. Minor suadetur, quia per idem præceptum prohibita etiam fuit quæcumque imago Deū representans, etenim cum D. Tho: supra docuimus, fuisse illicitum in lege veteri vsum imaginum Deum representantium, nec alius est expressior locus, vbi inneniatur eiusmodi prohibitio, nisi citato cap: 20. Exodi, aut saltem si alibi inueniatur, æqualem continet prohibendi modum. Ex hoc autem videtur apertè sequi, prædictum præceptum non esse dumtaxat naturale, sed aliquid cæremionale includere, alias nec in lege Euangelica licitus esset vsus imaginis Deum representantis, cum præcepta naturalia adhuc pro illa perseverent. Consequentiali liquet.

Respondetur concedendo maiorem

rem , & negando minorem, ad cuius probationem dicendum: primo illo præcepto prohiberi omnem idololatricum cultum imaginis, siue repræsentantis Deum, siue aliam creaturam: vnde semper tale præceptum est solummodo naturale, quo ad omnes sui partes. Cum quo tamen coheret, haberi ex Scriptura, non fuisse illicitum usum omnem, imaginum creaturas repræsentantium, quia cum ex illa habeatur, præcepisse Deum, fieri Cherubim, & alias imagines, à Salomone fuisse in eodem templo positas, Deo ipsum non arguente, aperte sequitur imagines, seu statuas, repræsentantes creaturas fuisse apud hebreos in usu, absque peccato. Ceterum, loquendo de imagine Deum repræsentante, nullibi legitur præceptum fuisse illius usum, nec eiusdem imaginem ab alio fuisse in templo, aut alibi expositam; adeoque absq; vlo fundamento assereretur, hebreos licetè usos fuisse imagine repræsentativa Dei.

Deuter. Addit ex alijs Scripturæ locis ut Deuter: 4 . cum dicitur *Memento, quod Dominus loquutus sit tibi in monte Oreb, vocem verborum audisti, imaginem nullam vidisti: obserua ergo teipsum, ne forte deceptus facias tibi ullam similitudinem.* Et rursus Isaiae 40 . sic scriptum est *Cui ergo simillem fecisti Deum? aut quam imaginem ponetis ei? his ergo verbis, & forte etiam alibi vetitus fuit usus imaginis Deum repræsentantis, & consequenter hebreis redditus est illicitus, quia tamen non est necessarium has prohibitiones naturales esse, sicuti supra ostendimus, præsertim n. 19 . primum decalogi præceptum debere esse mere naturale; fieri optime potest, vt intelligantur de prohibitione cærimoniali, quæ proinde cessare potuit, sicut & alia cærimonalia.*

Isaiae.

D V B I V M II.

Vtrum in lege gratiæ liceat uti Sanctissime Trinitatis, & Angelorum imaginibus.

A Lege veteri, ad nouam quæ lex gratiæ appellatur iuxta illud Ioh: 1 . *gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, gradum facimus, inuestigantes an prædictarum imaginum usus tanquam honestus in ea sit permittendus, ac retinendus:* idcirco autem Angelos cum Deo coniungimus, quia cum apud nos certissimum sit istos esse omnino incorporeos, militat non omnino dissimilis ratio de eorum, ac Dei imaginibus .

26 . Ut autem certa separentur à dubijs supponendum: dishonestum prorsus esse uti imagine Deum repræsentante, si per eam intendatur exprimere Deum, secundum quod est in seipso: nam cum ipse sit omnis corporeitatis expers, vtique erroneum esset, per corporea imagines, aut statuæ lineamenta, & figuræ Deitatem prout est in seipsa representare. Et iuxta hunc sensum arbitramur, loquutos fuisse Sanctos Patres, qui asseruerunt illicitum esse uti imagine Deum repræsentante; inter quos Sanctus Ioa: Damasc: lib: 4 . Fidei Orthod. cap. 7 . inquit extremæ dementiae, ac impietatis esse, incorporeum Numerus velle fingere, & figurare. Item Theodor: Patriarcha Hierosol: in episs: Synodica, quæ habetur 7 . Sy-
nodo, act: 3 . hæc scripsit. Inuisibilis est Diuinitas, nec depingi, nec figurari se permittit. De quo videri potest P. Suar: tomo 1 . in 3 . p. disp: 54 . sec. 2 .

*S. Iohann.**S. Ioh. Dam.**Theod.**P. Suar.*

Itaque

DISPUTATIO IV. DVBIUM II. 169

Trident. Itaque quod reuocatur in contiouersiam est; an liceat uti imagine, quæ Deum per analogiam, seu proportionem ad res corporeas repræsentet? Porro eiusmodi analogia dupliciter exponi potest. Primò: ita ut talis imago repræsentet Deum in ea corporea forma, sub qua aliquando apparuit, ut videre est in Spiritu Sancto, qui cum apparuerit sub specie columbae, aut etiam linguae igneæ, sub eisdem etiam figuris potest repræsentari. Secundò ad repræsentandam quandam Dei perfectionem, ut quia Pater in Diuinis est generans filium, & simul cum isto spirans Spiritum Sanctum, propterè ad exprimendam eius auctoritatem, qua gaudet ratione predicatorum processionum, pingi solet sub grauissimi sensi specie. Circà hoc autem premonuit Sacrosancta Tridentina Synodus sess: 25 ad tollendum omnis superstitionis umbram, permittendas non esse quascumque Sanctissimæ Triadis imagines, quantumuis illam per analogiam ad res corporeas repræsentent: hinc non debet ad repræsentandas tres Diuinas Personas pingi homo triplex habens caput, aut duo capita medium habentia columbam; talium enim monstruositas imaginum magis deformitate sua offendit quam similitudine iuuet. Quarè summoperè decori, ac maiestati consulendum. Idemque intelligendum de imaginibus Angelos repræsentantibus: illos enim sub humana, eaque decetissima specie exprimere oportet. Quamuis enim in Sacra Scriptura sub animalium brutorum forma fuerint expressi, id tamen factum fuit ad designandam pecularia quædam arcana, neque ex tali representatione creabatur aliquod erroris periculum, cum Prophetæ, ac Sancti, quibus ea reuelabantur in diuinis mysterijs noscendis exerci-

De Vsi Imaginum.

tati procul abessent ab eo periculo: quod non contingit respectu ineruditæ multitudinis.

§. I.

Prima assertio autoritate, ac rationibus probata.

Dicendum est primò: licetè fieri possunt imagines Dei unius, & Trini, quæ ipsum per analogiam, seu proportionem ad res corporeas repræsentent. Hæc assertio non est de fide: putarunt enim Catholicorum aliqui eiusmodi usum non esse licitum, hos infra adducimus: est tamen communis inter Theologos, & in Ecclesia usu receptissima.

27. Prima autem illius probatio desumitur ex antiquissimo more pignori Deum Patrem sub specie sensi, tenentem manibus Christum cruci affixum, inter quem, & eundem Patrem mediet Spiritus Sanctus sub columbae similitudine, aut etiam linguae igneæ. Hinc in 7. Synodo Nicœna actione S. inter impia cuiusdam Xenei, seu Philozeni dogmata recensentur, quod assereret, hoc esse puerilis animi factum, fingere in columbae idolum peradorabilem Spiritum Sanctum. Hoc ipsum etiam colligitur in Synodo Constantino-polit. sub Menna ac: 5. cum in supplici quodam libello accusatus est Seuerus à Clericis, & Monachis, quod sibi appropriasset columbas quasdam aureas, & argenteas in formam Spiritus Sancti super diuinolauacra, & altaria suspensas, aiebat enim Spiritum Sanctum non deberi in specie columbae nominari. Inualuerat igitur ex tunc usus efformandi Spiritum Sanctum sub columbae figura. Idem approbare videtur Tridentinum loco adducto. Demum

Synod. Nicen.

Synod. Constan.

Y eiusdem

eiusdem sententiae est S. Tho: 3. p. quæst. 25. artic. 3. ad 1. cum inquit. Sed quia in novo testamento Deus factus est homo, potest in sui imagine corporali adorari. Et loquitur S. Doctor de imagine Dei secundum se sumpta non verò de ipso prout factus est homo, id est de Christo Domino; nam id contraponit ei, quod præmiserat, nempe in veteri testamento illicitum fuisse usum imaginis repræsentantis Deum per analogiam ad res corporeas.

28. Probatur deinde quadam ratione congruentie desumpta ex citatis nuper S. Tho: verbis, quam nemo quem viderimus expendit. Ex hoc, quod Deus factus est homo corpora eleuata sunt ad aliquam cum Deo coniunctionem, & ut ita dicamus affinitatem, ergo congruum est ut in lege gratiae etiam corporeas imagines Deo repræsentando nobis inferuant. Antecedens suadetur ex doctrina, quam tradidit Angelicus Preceptor in 3. distin: 2. quæst. 1. art. 1. ubi ut probet congruentissimum fuisse, naturam humana à Verbo Diuino assumi, inter alias rationes hanc tertio loco adducit Si perfectio universti dicatur assumptionis finis præcipuus, ut quidam dicunt, nulla natura particularis assumi posset, per quam ita universum perfici posset, sicut per assumptionem humanæ naturæ: tum quia homo est ultima creaturarum quasi ultimè creatus, cuius natura assumpta, ultimum est coniunctum primo principio per modum circuli, que est figura perfecta ex hoc, quod additamentum non recipit: tum etiam quia in homine omnes quodammodo naturæ confluunt, quia cum omnibus creaturis aliquid communе habet, ut dicit Greg: unde homine unito quodammodo omnis creatura unita est. Acceperunt ergo creaturæ omnes ex vi assumptionis humanæ naturæ, factæ Deo affinis, aliquam

cum Deo propinquitatem.

Tum etiam quia ut ibidem subdit Angelicus Preceptor Solum humanam naturam congruum fuit assumere, & sic ea reparata, creatura irrationalis, qua propter ipsum peccatum, quodammodo deteriorata dicitur, secundum quod in usum hominis cedit, instaurata est. Ex quo fit quod sicut per peccatum facta deterior, à Deo removens elongata fuerat, & quodammodo reddita immunda: haec enim peccati sunt propria; Ita per Verbi Diuini Incarnationem, quæ in remedium peccati fuerat instituta, quamdam munditatem, & sanctificationis genus accepit, vi cuius facta est Deo vicinior. Huius etiam emundationis, ac sanctificationis rerum omnium corporearum meminit S. Io: Chrysostomus: tomo 2. Homil: 31. de Cruce & Latrone, ubi non longè ab initio haec habet. Et ob quam causam in excelsis ligno, S. Ioan. & non sub tecto immolatur? (Chrysostomus Dominus videlicet) Ut etiam ipsius aeris natura mundetur. Hac de causa in excelsis, & non sub tecto, sed sub celo, ut uniusversus aer in excelsis immolata ovis, à tetro odore mundetur. Sed & terra simile beneficium sentiebat, decursus de latere sanguinis stillatione mundata. Et post pauca. Iudeis etenim ideo iussit omnem terram Deus dimittere, & uno in loco sacrificium, atque oblationem celebrare: quia tunc omnis terra immunda fuit fumo, & odore, & alia contaminatione polluta, quæ ex sacrificijs gentium supra ipsam celebrabantur. Nobis autem quoniam Christus adueniens omnem terram emundauit, omnis locus orationi vacat: Ideo Paulus cum omni confidentia exhortatur dicens. Volo ergo, orare viros in omni loco levantes manus Sanctas. Ecce totus mundus emundatus est, elementa purgata sunt, ut ubique nobis Deum liceat predicare, & omnis terra sanctior illo loco est, qui illo tempore prædicabatur

batur Sancta Sanctorum. Per hanc autem sanctificationem utique corporea omnia viciniora facta sunt Deo, quia id cuiuscumque sanctitatis est proprium munus.

29. Consequentia suadetur, tum quia vi huius affinitatis, quamdam eleuationem adepta est, ut de se patet; haec autem eleuatio maximè splendet in eo, quod Deo representando inseruiat: sicut enim sensus interni hominis destinati ad ministrandum intellectui, vi huius ministerij, accipiunt eleuationem quandam ratione cuius internos brutorum sensus eiusmodi famulatu carentes excedunt, ut in libris de Anima dictum est. Non dissimiliter & corporea, hoc ipso quod destinantur Deo exprimendo, declarant perfectionem illam, quae ex predicta viciniori coniunctione ad Deum, mediante humana natura, in quam confluunt ipsis accreuit. Tum etiam, quia ex Verbi Diuini Incarnatione pro eorum capacitate sanctificata, ac deposita deterioratione illa, quam ex peccatorum abusu contraxerant, facta sunt idonea ut assumerentur tanquam instrumenta ad Deum ipsum representandum, à qua idoneitate per peccatum deteriorata, ac coquinata distabant.

Tum demum, quia sicut ante Verbi Diuini Incarnationem uno tantum in loco à Deo peculiariter sanctificato licitum erat Deo offerre sacrificium, secus autem in alijs, quae gentium superstitione, ac idolatria deturpauerat. Post Incarnationem verò Verbi Diuini, vniuerso terrarum orbe emundato, & quantum possibile fuerat sanctificato, omnis locus factus est sacrificijs, et adoracioni Dei idoneus, ut vidimus ex S. Ioh: Chrysostomo. Pari quoque modo etsi in lege veteri corporea non assimi debuerint ad Deum representandum, obstante eorum labore ex pec-

De Vsu Imaginum.

catis hominum contracta. Secus postea quam, Deo facta homine refusa est in omnia corporea quoddam sanctificationis genus, vi cuius fuere emundata; his enim positis nedum non est incongruum, sed maximè conueniens, ut Deo representando deseruant.

30. Confirmatur, & declaratur magis hoc ipsum; videmus etenim post Diuini Verbi Incarnationem Deum maximè nobis per sensibilia communicari: Nam omnia sacramenta, sensibilia signa sunt, per quae nobis & gratia sanctificans ex opere operato, tanquam per instrumenta physica, & consequenter simul cum illa etiam tota Trinitas communicatur, ut dicitur Ioannis

14. *Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansioem apud eum faciemus;* quibus in verbis denotatur donari nobis nedum gratiam sanctificantem verum etiam Deum ipsum illius authorem, uti fuses ostendunt N. Salman: trac: de Trinit: disp: 19. dub: 5. Id etiam *Salman.* evidentius appetet in Sacramento Eucharistie, in quo Deus ipse per sensibiles panis, ac vini species nobis communicatur. De quo loquens S. Tho: opusc: 57. asseruit *Nullam esse nationem tam grandem, quae habeat Deos appropinquantes sibi sicut Deus noster adest nobis:* quasi fieri voluerit sensibilis, ut ita posset intimius nobis coniungi. Declaratur rursus eadem corporum sanctificatio, & eleuatio, ex eo quod cernamus frequenter adeò per res corporeas fieri miracula, ut per reliquias Sanctorum, per eorum vestes, per ea, quae ex solo contactu Sanctorum, corporibus adhaeserunt, per verba, & quod mirabilius est, etiam per umbram Petri, prodigia facta fuerint, & tanta in multitudine, ut vix possint enumerari. Cum ergo in-

S. Ioh.
Salman.
S. Tho.
Y 2 eiusmodi

eiusmodi portentis Diuina virtus crebrò adeo diffundatur in corpora, argumentum inde non leue habemus per Verbi Diuini Incarnationem aliquam accepisse eleuationem, & innouationem ut istiusmodi ministerijs exequendis idonea instrumenta redderentur; & consequenter congruum erit vt etiam inseruiren Deo representando, qui, vt diximus, videtur conatus fuisse, vt sic loquamur, fieri sensibilis.

s. Thos. Confirmatur rursus. Ut docet Angelicus Praeceptor 4. contra Gent: cap: 54. ratione 3. Cum amicitia in quadam aequalitate consistat: ea quæ multū in aequalia sunt in amicitia copulari non posse videntur; ad hoc igitur ut familiarior esset amicitia inter hominem, & Deum expediens fuit homini, quod Deus fieret homo: quia etiam naturaliter homo, homini amicus est: ut sic dum visibiliter Deum cognoscimus in inuisibiliu[m] amore rapiamur. Ex quo deducimus quod si per Incarnationem Deus factus est homini familiarior per sensibiles humanæ naturæ cōditiones, quibus ad insensibiliu[m] amorem raperetur: congruentissimum vtiq; fuit per sensibilia, quæ nobis magis obuiā ac familiaria sunt, eundem Deum adorari. Quod verò hic obijci posset de periculo idololatriæ mox diluetur.

Turrian. 31. Præter hanc congruentiæ rationem, quam implicitè contine ri credimus in propositione S. Tho: ex 3. p. quæst. 25. art. 3. ad 1. adducta, probatur eadem prima assertio alia ratione, quam tradidit Franciscus Turrianus de Characte ribus dogmaticis lib: 3. & qua communiter vtuntur, qui de hac materia scripserunt, & sub hac forma proponi potest. Scriptura Sancta describens nobis Deum, se pissimè ei attribuit membra corporea, quibus designantur variæ illius perfectiones per analogiam ad res

corporeas, ergo etiam licitum erit vti imagine corporea, qua idem Deus per analogiam ad corporeas creaturas nobis representetur. Antecedens adeo ex Scriptura est manifestum, vt in eius probatione immorari superuacaneum esset, sufficiat quod habetur Isaiae 6. cum dicitur *Isaias.* Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant replebant templum. Seraphim stabant super illum, sex alæ uni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus volabant pedes eius, & duabus volabant. Con sequentia suadetur, nam quæ calamus in pagina verbis describit; hec eadem pennicillus in tabula colorat Quare videtur esse eadem ratio, & consequenter neutrum erit ex natu ra rei illicitum.

Sed dices, si hæc ita se habent cur Deus tanto studio prohibuit populo hebraico imaginem sui repræsentatiuam? nam si eadem est ratio de verbis attribuentibus Deo membra corporea, ac de imaginibus sub corporeis membris Deum exprimentibus, debuisset Deus & que prohibere Scripturam legere, sicut vetuit vsum imaginis sui repræsentatiuæ, vt habetur Deuteronomio 4. ijs verbis. Memento quod Dominus loquutus sit tibi in monte Oreb, vocem verborum audisti, imaginem nullam vidisti: obserua ergo te ipsum, ne forte deceptus facias tibi ullam similitudinem. Idemque habetur Isaiae 40. *Isaias.* cum dicitur, Aut quam imaginem ponetis ei? Deo videlicet, de quo ibidem est sermo.

32. Occurres fortè, Deum prohibuisse hebreis facere imaginem sui repræsentatiuam taliter, quod existimarent Deum sic esse in seipso, sicut per corpoream imaginem repræsentatur: non tamen ab solutè loquendo, Verum hoc non satis facit, quia hoc ipsum prohibi tum

tum est etiam in lege Euangelica . Tum etiam quia idem error continere æquè poterat , audita aut lecta ea descriptione , qua Deo membra corporea tribuebantur ; cum ergo hæc lectio , aut auditio vetita non fuerit , sed maximè licita , non videtur soluta difficultas . Tum demum quia docuimus supra cum S. Tho: probabile esse prohibitum fuisse Hebræis peculiari præcepto vsum imaginis Dei ; non verò quæcumque vsum imaginum . Si autem Deus vetusset hæbreis imaginem corpoream ad repræsentandum Deum , taliter quod existimaretur sic Deum esse in seipso , sicut per corpoream imaginem exprimitur , eiusmodi prohibitio continetur sub iure naturali ; sicut prohibitiō aliarum imaginum in ordine ad idololatrandum : vtrobique enim importatur aliquid erroneum naturali lumini aduersum .

Itaque videtur melius dicendum , Deum vetusse hebræis imaginem , sui repræsentatiuam etiam per analogiam ad res corporeas : quo modo efformare imaginem Dei lumini naturali non aduersatur . Et propterea in lege gratiæ id non est illicitum , sed valdè congruum , vt ratione præcedenti demonstrauimus : quare præceptum illud in lege veteri fuit cæremoniale , quod proinde ad Christi aduentum cessauit . Adhuc tamen duo explicanda supersunt . Primum , cur in eadem lege veteri non extiterit aliud cæremoniale præceptum , quo vetaretur Deum sub membris corporeis describi ; imò Deo reuelante ita fuerit descriptus ? Secundum , qua de causa non vigeat in lege Euangelica præceptum de non efformanda imagine repræsentatiua Dei , per analogiam ad res creatas .

33. Circa primum ergo videtur dicendum discrimen esse in eo quod

hebræorum populus aut legebatur Scripturam , aut Prophetas loquentes audiebat . Et si quidem ab eo legebatur clare constabat , ea corporea membra non posse Deo in seipso competere , cum ex eadem Scriptura Deus diceretur omnino incorporeus . Quod si adhuc suborum fuisset aliquod dubium , ex ijs dictis apparenter contrarijs : consulendi erant Sacerdotes ac legis periti , à quibus eiusdem expositio legis tradebatur . Nam Malachiæ 2. de Sacerdote dicitur , *Labia sacerdotis custodient scientiam , ac legem requirent ex ore eius ; quia Angelus Domini exercituum est* . Idest nuncius , hoc enim sonat nomen Angeli . Quod si non legebatur , sed à legis Doctoribus audiebatur exposita , aberat erroris periculum , ijs declarantibus , quo sensu ea essent intelligenda .

Cæterum , si imago Deum repræsentans fuisset populo publicè exposita , cum doctis & rudibus aspicienda obijceretur , & aliundè esset magna veneratione digna , ratione sui prototypi facillimè posset imperitum vulgus in idolatriam prolabi . Maximè quia quæ oculis conspicimus efficacius mouent , quam ea quæ solum aure percipiuntur . Tum rursus , quia Deus in lege veteri reddebat responsa sensibilia , quod & faciebant Idolorum statuæ , vnde magis periculosum fuisset vti imagine Dei . Propter has igitur & similes causas vetuit Deus imaginem sui representatiuam præcepto etiam ceræmoniali , non verò describi sub corporea similitudine .

At dices , si doctrina nunc tradita est vera , iam adducta ratio nullius est efficacia , quia non est similis ratio de descriptione Dei sub membris corporeis ac de imagine corporea Deum repræsentante .

Respon-

Respondetur nos loqui respectu hebreorum, in ordine ad quos erat periculum idolatriæ, ex positione imaginis Deum repræsentantis. At in ordine ad homines pertinentes ad legem gratiæ, ea est efficacissima, quia, ut mox dicetur, ex alijs capitibus cessat periculum idolatriæ, ex adoratione imaginis Deum exprimentis, per analogiam ad res corporeas. Vnde vtrumque licitum est, nempè & legere, & audire Scripturam sub membris corporis describentem Deum, & hunc, modo dicto, per corporeas imagines repræsentare.

34. Ad secundum dicimus prædictum præceptum de non efformanda imagine Dei repræsentatiua iam amplius non vigere, tum propter rationem congruentiæ quam primo loco assignauimus. Tum quia periculum idolatriæ, quod hebraicæ legis tempestate aderat, in lege gratiæ cessauit: Ut enim eleganter expendit Angelicus Præceptor 4. contra Gentes capit: 54. *Ex Incarnatione Dei, hoc consecutum videmus, quod magna pars hominum cultu Angelorum, Daemonum, & quarumcumque creaturarum prætermisso, spretis etiam voluptatibus carnis, ac terrenis omnibus, ad solum Deum colendum se dedicauerunt, in quo solo Beatitudinis complementum expectant.* Et rursus infra, ratione secunda in hunc modum loquitur. *Id autem quod de Deo nobis tenendum per fidem proponitur, non potest esse homini per se notum, eum facultatem humani intellectus excedat, oportuit igitur homini manifestari per eum, cui sit per se notum.* Et quamvis omnibus Divinam essentiam videntibus, sit per se notum: tamen ad certissimam cognitionem habendam, oportuit reductionem fieri in primum huius cognitionis principium, scilicet in Deum, cui est naturaliter per se notum, & à

quo omnibus innoteat; sicut & certitudo scientiæ non habetur, nisi per resolutionem in prima principia indemonstrabilia. Oportuit igitur hominem ad perfectam certitudinem consequandam de fidei veritate ab ipso Deo instrui homine factō, ut homo secundum modum suum humanum Diuinam instructionem perciperet. Et hoc est quod dicitur Io: 1. *Deum nemo vidit unquam; Unigenitus qui est in sanctis Pairis ipse enarravit.* Et ipse Dominus dicit Ioan: 18. *Ad hoc natus sum in Mundo ut testimonium perhibeam veritati.* Propter quod videmus post Christi Incarnationem evidentius, & certius homines in Diuina cognitione esse instructos: secundum illud Isaie 11. *Repleta est terra scientia Domini.* Ex qua doctrina constat quam verum sit, post Verbi Diuini Incarnationem periculum idolatriæ cessasse, quod & ipsa experientia comprobatur. Permitti igitur honestissimè potest in lege gratiæ imago Deum repræsentans.

S. II.

Ponitur secunda assertio, & probatur.

35. **D**icendum est secundò; licetum est vti imaginibus Angelos repræsentatibus dummodo per eas non intendatur exprimere proprias ipsorum naturas, secundum quod sunt in seipsis. Explicatur breuiter conclusio, quamuis non sit de Fide Angelos esse omnino incorporeos: nostra tamen hac tempestate, adeo certum est esse penitus corporis expertes, vt vix Theologorum aliquis auderet oppositum tueri. Et sanè Angelorum spiritualitas, atque adeò & à corporis factibus immunitas non obscurè

Concil.
Later.D:Dion.
N.Cyril
Gregor.
Naz.
Gregor.
Nyssen.
Gen.
Chrysost.
Damasc.
Gregor.
Mag.
S.Thom.

scurè colligitur ex Concilio Later. in confessione fidei, vt refertur in cap: *Firmiter de Summa Trinitate, & Fide Catholica*, vbi sic habetur. *Vnum uniuersorum principium, creator omnium visibilium & inuisibilium, & spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, ac Mandanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* Quibus in verbis clarè distinguitur Angelus à natura corporea; adhuc tamen ex eo quod adductum Concilium non intendebat definire Angelos esse materiae seu corporis extensi expertes, ideo non spectat ad dogma fidei assertum, quo dicitur Angelos esse incorporeos. Idem docet D. Dyonisius cap: 4. de Diuinis nominibus sub initium & alij Sancti Patres vt N. Cyrillus 4. in Ioan. cap. 10. Gregorius Nazian. orat. 38. Gregorius Nyssen. orat. in illa verba *Fiat voluntas tua, Chrysost. hom. 22. in Gen. Damasc. lib. 2. de Fide cap. 3. Greg. Magnus 4. Dialog: cap. 29. D. Tho: p. par. quæst. 50. artic. 1.* His omnibus, vt diximus, accedit communis Theologorum sensus. Vnde vix temeritatis notam effugere, qui assereret Angelos esse corporeos. Ex quo fit, quod cum per corporeas imagines exprimuntur, id non liceat facere ad repræsentandos illos prout sunt in seipsis, sed dumtaxat per analogiam ad res corporeas, quare id quod de Deo diximus, est proportionatè intelligendum de Angelis.

36. Ex quo fit Angelos pinguiatos ad designandam eorum maximam promptitudinem in Diuinis iussis exequendis, alis enim auium corpora citissimo volatus motu per aerea spatia feruntur. Videatur D.

Dyonis. capit. vlt. de Cælesti Hierarch. vbi optimè explicat quid significant singula mēbra quæ Angelorum imaginibus attribuuntur. Solent etiam Angeli sub humana specie expungi, tum quia hæc inter alias est decentissima forma. Tum quia homo est maximè affinis Angelis quorum esse intellectuum, quamvis deficienter habet. Tum quia in humana similitudine sèpè, imò ferè semper apparuerunt cuius rationes assignauit Angelicus Præceptor p. par. quæst: 51. artic. 2. ad 1. his verbis, *Angeli non indigent corpore assumptione propter seipso, sed propter nos, ut familiariter cum hominibus conuersando demonstrent intelligibilem societatem, quam homines expectant cum eis habendam in futura vita.* Hoc etiam quod Angelii corpora assumptione in veteri testamento fuit quoddam figurale indicium quod Verbum Dei assumptum esset corpus humanum. Videatur etiam 3. contra Gent: capit. 57. in fine, vbi primam congruentiæ rationem adducit, subditque Angelos sèpè, in Scriptura Sacra describi in forma hominum, vel in toto sicut patet de Angelis qui apparuerunt Abraham in similitudinem virorum Gen: 18. Vel in parte, sicut patet de Animalibus Ezech. 1. de quibus dicitur quod manus hominis erant sub pennis eorum. Aliam demum eiusdem congruentiæ rationem adduxit idem Præceptor Angelicus quæst. 6. de poten: art: 7. his verbis, *Nobis suo modo per corporum assumptionem conformantur: ut quod nostrum est accipientes, nostrum intellectum in illud assurgere faciant, quod proprium est ipsorum.* Sicut & Filius Dei, dum ad nos descendit ad sua nos eleuauit. Ex quibus omnibus habes congruissimum Angelorum imagines sub humanæ speciei similitudine efformari, quod apud Catholicos est s. Tho: vñita-

visitatissimum'; vnde incongruum omnino esset sub brutalis formæ figura, eorundem colorare imagines. Sicut è conuerso Dæmones peccati labe fædati sèpè immundorum animalium corpora assumunt, vt habeant turpitudinis sive digna receptacula. Hinc cum à Christo à quodam obfesso eijscentur petierunt porcorum corpora ingredi, vt habetur in Euangelio S: Matth. cap: 8. His positis.

37. Probatur conclusio primò. In lege veteri ex iussu Dei, Angelii per imagines corporeas fuerunt representati, sed Deus nequit quod est inhonestum præcipere, ergo honestum est Angelos per corporeas imagines ræpresentare. Maior constat ex eo quod dicitur Exodi 37. vbi narratur Beseleel fecisse, duos Cherubim ex auro ductili, quos posuit ex viraque parte propitiatory: Eos autem ex Dei mandato perfecisse in dubium reuocari non potest. Minor ex se patet. Consequentia liquet à fortiori, nam in lege gratiæ in qua idolatriæ periculum cessavit, imaginum vsus est magis licitus, quam in lege veteri; quod ostendimus suprà agentes de imagine Deum repræsentante. Quæ enim ibi diximus possunt proportione seruata ad præsentem assertiōnem adaptari.

Confirmatur; ex Sacra Scriptura habetur Angelos sèpè numerò sub humana specie apparuisse in corporibus assumptis, ergo etiam poterunt per corporeas imagines repræsentari. Antecedens pluribus scripturæ testimonijs posset comprobari, quia tamen notissima sunt, breuitatis causa omittuntur. Consequentia suadetur, nam in plus est Angelum incorporeum vt motorem mobilis vñiri corpori assumpto, quam præcisè repræsentari per corpoream imaginem: siquidem quod

posset obstare huic repræsentationi esset, ne præberetur occasio existandi Angelos in seipsis esse corporeos: porrò hæc videtur magis præberi ex hoc quod legatur in scriptura, illos sub corporeæ forma se exhibuisse oculis spectandos, quam præcise ex eo quod per tales imagines repræsentantur, cum non affiant eiusmodi imaginibus, sed hæc merè extrinsecè se habeant ad illos nullaque vñione cum illis colligentur, sicut corpora assumpta vt mota cum suis motoribus connectuntur.

38. Probatur secundò ex doctrina quam tradidit D. Dyonisius capite 2. de Cælesti Hierarchia que in hunc modum expendi potest. Connaturale est humano intellectui per sensibilia ad insensibilium, ac spiritualium cognitionem ascendere, ergo honestum erit per sensibiles imagines Angelicas substantias repræsentare. Antecedens suadetur ex modo intelligendi humani intellectus, qui cum sit in ordine intellectivo infimus, eius cognitio incipit à sensibilibus, à quibus ad spiritualium rerum cognitionem ascendet, hinc vt docet ibi S. Dyonisius. *Theologia* (hoc est sermo Diuinus) Poeticis Sanctè fictionibus in carentibus figura mentibus usæ est, ad nostrum, ut dictum est intellectum atten-dendo, nec non propriam ipsi, & con-naturalem ad superna transitum prouidendo, & ad eundem accommoda-tè Sacras Scripturas anagogicas effi-giando.

Consequentia suadetur, nam cum honestissimum sit humanum intellectum in Angelorum cognitionem ascendere, vt prænoscat in corpore constitutus, quos aliquando in Patria consortes claræ visio-nis Dei est habiturus: & aliundè ne-queat spiritualia prout sunt in seipsis absque sensibilium ministe-

rio intelligere, optimè, ac valdè honestè eius indigentiae prouisum est, cum per corporeas imagines Angelicæ substantiæ corporibus impermixtæ ipsi repræsentantur. Eò vel maximè quia ut eleganter aduertit idem Sanctissimus Areopagita eodem capite, nedum harum corporearum similitudinum vilitas sublimes illas substantias spirituales dedecet, verum etiam illis valde congruit, verba ipsius sunt *Ceterum cur merito figura parentibus figura, & effigies ineffigiatis rebus obductæ fuerint non solum causam dixerit, quis esse nostram imbecillitatem, que nequit immediate spiritualibus intendere contemplationibus, indigetque proprijs ac connaturalibus, quibus erigatur adminiculis seu anagogijs, que perceptas à nobis effigies ineffigiatis ac supernaturalibus spectaculis prætentant; sed quod hoc mysticis etiam oracula maximè conueniant, ut ineffabilibus, & sacris enigmatibus recondant, & inaccessam vulgo constituant sacram illam & arcanam supermundanarum mentium veritatem.* Hactenus Diuinus hic Scriptor.

Cordero.

Quæ Sancti Doctoris verba illustriora reddidit commentario suo Balthassar Corderius Theologus ex Societate Iesu cum ait. §. 2. Ne fallamur, monet figuræ illas Angelis esse dissimiles, & occurrit aliquorum obiectioni, putantium nobiliores ijs formas affungi debuisse, & ostendit per viles istas figuræ non solum nostræ conditioni, sed etiam Angelorum honori melius consultum esse, ut dum sacris & arcanis istis enigmatibus obteguntur non pateat vulgo aditus ad Sacram illam Divinarum mentium veritatem. Quæ doctrina maximè vera censenda est, cum Sancti Angeli per figuræ quasdam valdè enigmaticas in Sacra Scriptura fuere repræsentati, ut sub leonum, aquilarum, aquorum, hastatorumque ducum specie-

De usu imaginum.

bus ; de his enim potissimum loquebatur citatus Areopagita, vt patet ex initio illius secundi capituli.

§. III.

Refertur opposita sententia & soluuntur eius argumenta.

39. **O**ppositam primæ assertioni opinionem docuerunt Durandus in 3. distinc. 9. quæst. 2. Durand ad 4. Martinus de Ayala de tradit: Ayala 3. par. tract. de imaginibus cap. de earum antiquit: circa finem. Id ipsum tuentur mordicus Ioa: Calvin: lib. 5. instit: cap. 11. Vviclef, qui *Vviclef* imaginem Trinitatis abominabilem appellat, sicut Caluinus eam pingere nefas esse dicebat. In eamdem opinionem valdè Inclinat Abulens in cap: 4. Deuteronom: quæst. 5. *Abulens.* vbi asserit non esse congruum assignare, imagines Trinitatis, quamvis illas Ecclesia receperit, vel dissimulauerit.

Arguitur autem primò pro hoc dicendi modo ex S. August: libro de Fide, & Symbolo cap. 7. dicente, *Tale simulacrum Deo, nefas est in templo collocare* Idem docuisse videtur Origen qui lib. 7. contra Celsum prope finem habet hæc verba. *Nos Deum incorporeum nulla figura circumscribimus.* Tertiò Nicephorus lib. 18. hist. cap: 3. inter Armenorum hæreses refert quod imaginem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti haberent. Demum Auentinus lib. 7. Annalium Boiorum inquit Ioannem 22. Summum Pontificem damnasse quosdam incolentes fines Boiorum & Austræ, qui Deum unum & Trinum in similitudinem Senis, Adolescentis, & Columbarum pingebant. Illicitus est ergo usus imaginis Sanctissimæ Trinitatis.

Z

Ante-

40. Antequam his authoritatibus responsum præbeamus, videtur nobis obseruatione dignum; non esse inconueniens si dicamus prima illa Ecclesiæ Catholicæ nascentis ætate, solummodo pingi consueuisse Christi, Beatissimæ Virginis ac Sanctorum imagines, sicut etiam Angelorum; nec licuisse imagines Sanctissimæ Trinitatis colendas exponere: secus autem post aliqua fœcula. Dicimus autem ad ita existimandum, quia cum primis illis, ac quodammodo puerilibus surgentis Ecclesiæ annis, cultus idololatricus vbique gentium valde dominaretur, conueniens videbatur Catholicos cultores veri, ac omnino incorporati Dei, à Gentilium erroribus discrepare; hi enim dijs simulacra, passim erigebant. Postmodum vero euidentius manifestata veritate, ac palam ostensa idololatriæ vanissima impietate, potuit omnino licere Catholicis Sanctissimæ Trinitatis expingere imagines, easque publico cultui exponere; amotis enim idololatriæ tenebris per diffusos Euangelicæ lucis splendores, detectaque claritate Orthodoxæ veritatis à quacumque erroris, ac superstitionis umbra alienæ, nullam vsus predicatorum imaginum Dei in honestatem præferebat: cum secundum se usus imaginum non sit illicitus, nec aliquid erroneum claudit, hoc quod est ut illis ad representandum incorporeum Deum per analogiam, & proportionem ad res corporeas, ut iam declarauimus.

41. Nunc ad argumentum: quoad testimonium ex D. August: desumptum, dicendum ipsum loqui de imagine corporea, per quam intendatur exprimere Deum sicut est in seipso, non vero per analogiam ad corporea; & sane eiusmodi expositio ex ipso contextu constat, nam ly *Tale simulacrum* refertur ad

id, quod suprà dixerat exponendo illud *Sedet ad dexteram Patris*, ait enim, id non esse intelligendum de sessione corporali, *Ne illud* (loquitur Augustinus) *incidamus sacrilegium*, quo execratur *Apostolus*, ^{s. Augu.} eos qui commutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Eudem esse sensum verborum Origenis non obscurè colligitur ex eo, quod ipse agat ibidem de simulacris Gentilium, quorum error omnino alicuius est à Catholica veritate, cum enim illi plures deos ponerent, utique etiam & corporeos, aut saltem non omnino spirituales esse arbitrabantur. Maximè quia cum dicat nos per imagines Deum non circumscribere, aperte innuit orthodoxas per imagines non intendere incircumspectum, ac illimitatum Deum velle intra terminos quantitatis definire, ac claudere, id enim sonat nomen circumscriptionis, quod & nos, & catholici omnes fateri tenentur, & oppositum asserere esset maximus error. Ad id quod afferatur ex Nicephoro, eodem modo respondetur, idque manifestè deducitur ex ratione, quam afferit; inquit enim *Pingi & figurari esse proprium corporum eorum, quæ vide- Nicipri & circumscribi possunt, non autem earum rerum quæ intelligentia percipi non possunt*. Hæc autem ratio concludit solum de pictura, qua intendatur exprimi res prout sunt in seipsis, alias nec Angelorum imaginibus ut licitum esset, cuius oppositum manifestè habetur ex Sacra Scriptura. Hinc solum adducta ratio conuincit aduersus Antropomorphitas errantes in eo quod putarent corpoream imaginem representare Deum prout est in se. Ed vel maximè quia præfatus historicus præmiserat eos asseruisse totam Trinitatem fuisse crucifixam qui fuit

fuit error Patropatianorum . Ab his autem erroribus omnino distat Catholica veritas , qua usus imaginum Dei ut honestus recipitur .

Quod ultimo loco adducitur ex Auentino , cum hic scripserit ea , quæ acta sunt tempore prædicti Ioannis vigesimi secundi , credimus illum esse historicum , de quo P. Raynaldus , qui Baronij Ecclesiasticam historiam prosecutus est , hæc scribit Anno Christi 1328. numer. 36. *Ex quibus patet, quæ fides eiusmodi historico monumenta publica adulteranti, & Lutherana deliria illi principi (videlicet Ludouico Bauaro) cuius dignitatem se afferere videri vult, impingenti, habenda sit.* Et sanè , cum prædictus Summus Pontifex gesserit Christi vices anno ad ducto incredibile videtur absolute loquendo damnasse imagines illas , cum usus sic expingendi Sanctissimam Trinitatem in Catholica iam Ecclesia inualuerat . Diximus absolute loquendo , quia cum usus talium imaginum non pertineat ad fidei dogmata , potuit inhiberi ob aliquius erroris periculum , aut alias circumstantias , ob quas satius fuit illum vetare .

42. Secundò arguitur ex ratione . Illicitum est facere Idola , sed imagines Dei unius & Trini sūt Idola , ergo illicitū est Sanctissimæ Trinitatis expingere imagines . Maior probatione non indiget . Minor suadetur ex dictis , nam Idolum nihil est aliud , quam facta similitudo alicuius , ita ut prototypum non respondeat imagini : & ideo dicebamus in Sacra Scriptura Idolum significari nomine *simulacri*: eo quia simulacrum dicitur à simulando: & hoc contingere in præsenti , videatur manifestum: cum enim Deus sit omnino incorporeus , ac inuisibilis oculis corporis : secus imago cor-

De Usu Imaginum.

porea , cui nihil deesse videtur ad rationem Idoli .

Confirmatur , Idcirco licetè fieri possunt imagines repræsentantes Christum Dominum , de quo infra , quia in eo simul cum incorporeæ Deitatis natura , coniuncta inuenitur humana , quæ corporea est , & extensa , sed in Deo uno & Trino nulla inuenitur ratio corporis seu propria , seu assumpta , ergo omnino nefas erit Deo prorsus incorporeo corpoream ponere imaginem , Maior videtur certa . Tum quia S. Tho: 3.par. quæst. 25. supra citat. ideo ait Deo homini ponи posse imaginem , quia *cum in nouo testamento Deus factus sit homo potest in sui imagine corporali adorari* . Contrarium afferens de lege veteri , in qua Deus adhuc humanam natu ram non assumpserat , unde hoc ipsum videtur dicendum de Deo uno & Trino , qui non est Incarnatus . Tum ratione , quia vera imago debet prototypo respondere , posita autem corporeæ naturæ assumptione datur sufficiens correspōden tia , secus verò ea non posita , ut non ponitur respectu Dei unius & Trini , unde minor & consequen tia sunt manifestæ .

Ad argumentum responderet N. *N.Dom.* Dominicus citato libro 4. Bibliot: Theol. sec. 11.c. 33. ad quintam obiectionem concedendo maiorem , & negando minorem , ad cuius probationem occurrit dicēdo eas imagines verè esse Idola , quæ repræsentant Deitatem omnino fictam , ac nullo modo existentem , & eiusmodi erant simulacra Iouis , Martis , ac similes . At imagines Dei quibus catholici vtuntur , quamvis non repræsentent Deum prout est in se , tamen quoad an est illum repræsentant , suntque imagines supremi numinis verè existentis . Addit rursum tales imagines non esse Idola ,

Z 2 quia

quia Deum repræsentant sub ea specie, sub qua verè à Scriptura Sæcta Deus describitur, adeoquè sunt veræ imagines metaphoricæ, cum in repræsentando vtantur eadem metaphora, sub qua Deus nobis à Scriptura descriptus est.

43. Sed licet adducta hæc à nobis solutio optima sit, contra illam tamen in hunc modū vrgeri potest. Tum quia ad rationem veræ imaginis non videtur sufficiens, quod prototypum verè existat à parte rei, sed exigitur aliqua conuenientia inter ipsum & imaginem, ut ista in illius cognitionem ducere possit, alias non minus in Dei existentis, quam in alterius rei existentis cognitionem duceret: manifestum est autem Deum vnum & trinum, quoad an est cum corporeis imaginibus non conuenire, cum Dei esse sit actus purus ab omni materialitatē vmbra alienus. Tum quia ad rationem imaginis requiritur aliqua similitudo cum prototypo in specie, vel in signo speciei, qua quia carent irrationalia ideo non sunt propriè ad imaginem Dei, sed eius vestigia; secus homo conueniens cum Deo in intellectualitate. Quod verò additur non videtur etiam sufficienter explicare, quia ratione ex metaphoræ, sub quibus nobis Deus in Scriptura Sæcta describitur habeant rationem imaginum, cum non appareat quam conuenientiam realem dicat corpus, cum Deo omnino, tum quoad quid est, tum quoad an est incorporeo. Ad illius ergo enodationem.

Sciendum, quod si loquamur de ijs creaturis, quæ in suo formalī, seu essentiali conceptu dicunt indisponsabiliter imperfectionem, hæ continentur in Deo solūmodo eminenter, idest non secundum earum definitionem, quæ rei essentiali explicat, hoc modo continentur in

Deo ratio corporis, ratio accidentis, & similes. Ceterum si fuerit sermo de illis, quæ in suo formalī conceptu, ac secundum definitiōnem essentialēm non dicunt impræscindibiliter imperfectionem, hæ transferuntur in Deum formaliter eminenter, hoc est secundum definitionem, & essentialiam relictis imperfectionibus accidentis, limitationis & alijs. Diuinæ infinitati repugnantibus, huius generis sunt sapientia, intelligere, & horum similia.

44. Nota secundò; ea corporea quibus vtimur ad Deum repræsentandum, sumi posse dupliciter, prīmò prout dicunt quid corporeum, quo modo in eorum formalī conceptu, clauditur indispensabiliter imperfectio. Secundò; prout per ea corporea designatur aliqua perfectio, quæ in suo formalī conceptu ac definitione eam imperfectionem non claudit adeoque essentialiter sumpta, est ab omni imperfectione denudabilis. Declaratur exemplo, vtimur ad Deum Patrem repræsentandum imagine grauissimi senis: per hominem senem exprimitur corporeitas, senectus vt talis, & si quæ sunt alia, quæ imperfectionem exuere nequeunt. Rursus per illum denotatur prioritas respectu iuuenum, & esse principium aliorum, cum istud sit prius principiatore, denotatur etiam ex specie humana intelligentias, & alia eiusmodi perfectionem exprimentia, & hoc taliter, quod nō dicant ab omni imperfectione separabilitatem. Eodem modo discurrendum de alijs, nam brachium & est quid corporeum, & significat potentiam ex eo quod in brachijs humanæ viagent vires.

Nunc ergò ad argumentum concessa pariter maiori, negatur minor ad cuius probationem dicimus, quod corporeæ imagines Dei sunt illi

illi similes formaliter eminenter per eas perfectiones, quas significant. Nam Pater in Diuinis quia est prior prioritate originis reliquis personis, quia est formaliter eminenter intellectius, idcirco conuenienter exprimitur per grauissimi sensi imaginem: neque in hoc apparet vlla fictio, sed omnimoda veritas. In quo tales imagines omnino differunt ab Idolis, quibus nullum verum prototypum respondebat habens eas perfectiones, quas simulacra illa exprimebant. Rursus Deus eminenter continens alia quæ imperfectionem inseparabiliter dicunt habet aliquam cum imaginibus corporeis conuenientiam, non formalem, sed purè eminentiam, qua etiam non gaudebant prototypa Idolorum. Ex nullo igitur capite imagines Dei quibus vntunt Catholici, sunt Idolis similes. Per quod etiam explicatum manet, quomodo Deus dicitur representari per analogiam, seu proportionem ad corporea, nam ea proportio duplex est, seu formalis eminentialis simul, seu eminentialis dumtaxat. Habetur demum quæ ratione Deus in scriptura Sancta describatur habens membra corporea, id enim sit tum ad denotandum Deum eminenter prehabere ea, quæ in creaturis indispensabiliter inuoluunt imperfectionem; tum formaliter eminenter ea quæ designantur per membra corporea, & sunt perfectiones ab omni imperfectione essentialiter denudabiles.

Ad confirmationem respondetur negando maiorem, si per causalem in ea contentam intendatur assignari causa adæquata usus imaginis representantis Christum Dominum: quantumuis enim Verbum humanam naturam non assumpsisset adhuc licet eius imagine vti possemus: eo pari modo quo, quantumuis natura Angelica numquam vni-

ta fuerit humanæ, in unitatem personæ, adhuc Deus præcepit fieri corporeas imagines, quæ sub humana specie Cherubim repræsentarent. Itaque ex hoc quod Verbum naturam nostram in personæ unitatem sibi coniunxerit, habetur quidem imagines Dei hominis exprimere ipsum prout est in se, quod non habent imagines repræsentantes Deum unum & Trinum, ut iam explicuimus, sed ipsum exprimunt per solam analogiam ad res corporeas. Ad primam maioris probationem ex dictis in prima ratione constat, Angelicum Præceptorem loqui de imaginibus representantibus Deum per analogiam ad res corporeas, quamvis sic licet representari ortum duxerit, ex eo quod Verbum assumpserit humanam naturam, ut ibi fuisse explicuimus. Data autem quod loquatur de imaginibus representantibus Christum, Dominum, causalis in illius propositione contenta, intelligenda est modo dicto, nempe quia Verbum assumpsit humanam naturam, eius imagines representant ipsum prout est in se, non vero per solam analogiam ad res corporeas, & hoc quantumus habet humanum corpus sibi hypostaticè unitum. Ad secundam probationem constat ex dictis in solutione ad argumentum, in ea enim explicuimus, quæ correspondentia sit inter Deum & corpoream imaginem, absque ullo fictionis, aut erroris vestigio.

45. Secundò arguit ex ratione Abulensis loco citato. Prædictæ imagines Sanctissimæ Trinitatis, magis sunt in errorem inductiæ, quam utiles, ergo satius erit ad amouendum erroris periculum illis non vti. Antecedens suadetur, cum enim detur disformitas inter signum, & signatum, valde idoneæ sunt ad inducendum errorem, & falsam existi-

existimationem de Deo , ita ut hic putetur corporeus , sicut imago . Etenim imago debet esse similis prototypo in specie , vel in signo speciei , vti etiam apud rudes & indoctos est manifestum , & consequenter saltem respectu horum præbebitur non leue erroris periculum . Consequentia liquet .

Respondetur negando antecedens saltem in lege gratiæ , in qua veritas eorum quæ ad Deum spectant supponitur valde manifestata , vt iam supra diximus : etenim Deum esse incorporeum vix est qui sciat: nec superstitioni idolatriæ cultus periculum imminet , detecta iam eius vanitate . Quamuis autem respectu valde rudium , ac simpliciū præberetur aliqua errandi occasio , non idcirco prædictarum imaginum vsus esset de medio tollendus: siquidem consimilis occasio eisdem præberetur ex hoc , quod vna ex diuinis Personis nominetur Pater , alia filius ; nam cum in humanis , Pater & tempore sit prior filio , neque hunc absque uxore generet: vtique datur occasio credendi hoc ipsum in diuinis contingere , quod omnino est erroneum . Sicut ergo ex expressa Christi institutione licitum est vti prædictis nominibus , non obstante eo valde rudium aliquali periculo , non dissimiliter quoad præsens dicendum erit . Itaque præcauendum erit prædictum periculum ex instructione vt monuit Concilium Tridentinum sessione 25 . Ex quo constat ad probationem antecedentis; nam etiam inter nomen & rem nominatam exiguntur correspondentia , quæ tamen non nisi analogicè datur inter sensibilem Patrem , & Diuinum: quam dari inter Deum & imaginem corpoream supra demonstrauimus , vnde videatur pari ratio vtrōbique esse , adeoque sicut licet vti nomine Patris

& Filij in personis Diuinis , ita imaginibus , quæ illas per eam analogiam repræsentent .

46. Adde & explicabitur magis hoc ipsum . Nam prædictum periculum non oritur ex proponentibus imagines Sanctissimæ Trinitatis repræsentatiuas , sed ex culpa eorum , qui negligentes sunt in addiscendis ijs , quæ ad Catholicam Fidem spectant ex hoc enim errandi periculo fiunt obnoxij . Eo par modo quo ex eo quod Deus pulcherrimas alias condiderit creaturas , vtique per se loquendo ferebatur intentio eius in id , quod dicitur Sapientiæ 13 . videlicet vt à magnitudine speciei creature cognoscibiliter posset Creator horum videri . Cum tamen opositum in aliquibus contigerit , inde enim sumpsere occasionem colendi earum alias tanquam Deos vt solem , astra & his similia . Et hos Apostolus ad Romanos 1 - inexcusabiles appellat; & meritò quidem nam vt exponit Angelicus Præceptor lec: 7 . Considerandum est , quod tunc ignorantia culpam excusat , quando sic præcedit & causat culpam , quod non causatur à culpa: sicut cum aliquis adhibita diligentia debita , dum credit percutere hostem percutit patrem . Si vero ignorantia causetur ex culpa , non potest subsequentem culpam ignorantia excusare . Vnde si quis per ebrietatem homicidium committit non excusat à culpa quia peccauit se inebriendo . Vnde secundum Phylosophū maretur duplices mulctationes . Pari igitur modo , si quis ex negligentia in inquirēdis ijs , quæ ad doctrinam orthodoxam spectant , incurrit tale periculum , non erit hoc proponenti prædictas imagines adscribendum , sed in propriam negligentiam , ex qua tanquam ex culpa sequitur erronea ea existimatio .

§. IV.

Argumentum in secundam assertio-
nem, & corollarium
pro utraque.

47. **I**N secundam assertionem, argui potest ex autoritate Concilij Nycæni secundi, actione quinta, vbi cum Demetrius Diaconus legisset disputationem quamdam, quam habuit Ioannes Episcopus Thessalonicensis, cum quodam Gentili, in qua disputatione manifestè dicebatur ab eodem Episcopo Angelos esse corporeos, corporeitate quadam subtiliori, quam sit nostra, & ideo licitum esse eorumdem pingere imagines: cum inquam eiusmodi disputatio lecta fuisset Tharasius eam in summa colligens sic ait; *Ostendit Pater quod & Angelos pingere oporteat, quamdiu circumscribi possunt, & ut homines apparuerunt. Quibus auditis Sacra Synodus dixit Etiam Domine. Ex quo apparet primò prædictum Thessalonicensem Episcopum nō alia ratione concedere posse Angelorum imagines efformari, nisi supposito quod essent corporei, saltem aliqua corporeitate, quam ipse censebat Angelos habere.* Secundò constat verba illa Tharasij, quamdiu circumscribi possunt, intelligenda esse de corporea circumscriptione, cum compendiosè contineant prædictam disputationem. Tertiò tandem Concilium id approbasse per eam responsonem, & consequenter sentire quod si teneatur Angelos esse omnis prorsus corporeitatis expertes, vti nos docemus, omnino illicitum esse eorum imagines efformare: ergo aduersus concilium istud sentimus ponentes licitum esse incorporeos prorsus Angelos licite

posse corporeis imaginibus repræsentari.

Respondeatur. Quoad primum, non omnia quæ in prædicta disputatione relata sunt fuisse à Concilio illo approbata, in ea enim cotinentur aliqua à ueritate aliena; quod notauit Bubalus tract: de Angelis quæsito 3. difficult: 1. vt refertur à N. Salman: trac: pariter de Angelis disp: 1. n. 16. vbi ad secundum dicunt, sensum verborum Tharasij non esse, quia seipsis loco circumscribi possunt, sed reddere hunc sensum, quando circumscribi possunt & vt homines apparuerunt, id est Angelos pingere oportet, quia corporei apparuerunt. Vnde circumscribi possunt pictura aliqua, nimirum in eo corpore quod assumunt pro varietate apparitionum vt ignis, fulgoris &c. & præsertim figura hominis in qua plerumque apparuerunt Sic illi.

48. Videtur tamen hæc responsio non modicam pati difficultatem, ex eo quod, cum verba Tharasij sint compendium prædictæ disputationis, & in ea manifestissime asseratur, Angelos in seipsis esse corporeos, de hoc enim nec Salmant: dubitant: in allata verò respōsione asseratur voluisse Tharasium Angelos solum in corporibus assumptis esse circumscriptos; non apparet quomodo hæc interpretatio consonet textui. Quarè videtur nobis dicendum, quod cum eo tempore notum adhuc non esset, Angelos esse penitus incorporeos, & corporeos eos asserere non repugnet fidei doctrinæ, permisit Concilium illud Antecedens, Angeli sunt aliquo modo corporei, vnde deducebatur illud consequens, ergo possunt eorum imagines pingi, non enim illud Concilium intendebat definire, saltem principaliter, nisi ea quæ spectabant ad sacrarum imaginum cultum, vt patet

patet ex concione septima Photii Patriarchae Constantinopoli: scribentis ad Michaelem Bulgarię Principem, quæ epistola in septem diuinam concionem præmittitur prædicto Concilio, habeturque in tomo 3. Conciliorum.

Non tamen propterea sequitur voluisse Concilium decernere causam adæquatam, ob quam licet pingere Angelorum imagines, esse, quia Angeli sunt aliquo modo corporei, sed posito illos esse corporeos, ut dicebat Præfatus Ioannes, vtique licitum esse eis ponere imagines: cum quo tamen optimè coherere potest, ut dentur aliæ causæ sufficietes ad eosdem imaginibus exprimendos; posito quod sint omnino incorporei, vti ponuntur nunc ex communi Theologorum sensu. Sicuti si quis assereret actum plenè, ac directè liberum esse simpliciter seu bonum, seu malum; non inde sequeretur teneri ad afferendum, actum plenè, ac indirectè, seu tantum in causa liberum non posse esse simpliciter bonum, seu malum, quia indirecta, ac plena libertas ex alijs capitibus est causa sufficiens bonitatis, & malitiæ simpliciter talis: Ita ergo quoad præsens, proportione seruata. Per quod patet ad tertium in eodem argumento adductum.

49. Nunc ad huius dubij complementum, & ad maiorem vtriusque nostræ assertionis elucidationem adducere placuit doctrinam, quam habet Sanctissimus Areopagita cap. 2. de Cœlesti Hierarchia. Vbi mouet hanc difficultatem, an videlicet congruentius sit Deum, & Angelos incorporeos per nobilissimarum rerum similitudines exprimere, an vero per res multum ab illis distantes, minusque pulchritudinis, ac decoris præferentes? Et motæ difficultati cum personarum distinctione respondet. Alij enim sunt homines

& doctrina, & rerum Diuinorum experientia apprimè eruditæ: & respectu horum, quæ maiorem perfectionem venustatemque exprimunt, sunt magis idonea ad Diuinam perfectionem notificandam: siquidem intellectus subtilitate, & sublimitate intelligentæ separant ab ijs venustissimis creaturis perfectionem, ab imperfectionibus, & istis relictis tanquam Deo repugnantibus, vtuntur sola perfectione, sic depurata ab imperfectionum fecibus, tanquam nitido speculo, in quo Diuina cognoscant. At alij sunt homines ad modum rudes, quibus cum non innotescat maior aliqua, & excellenter pulchritudo, & perfectio, quam sit ea, quam in pulcherrimis fulgidisque corporibus intuentur, idcirco si Diuina sub horum specie ipsis represententur, facile censere poterunt hoc ipsum, quod cognoscunt reperiri in Deo in seipso considerato: videntes etenim earum creaturarum decorem, quo nullum aliud superiorem agnoscunt, credunt indignum non esse, quominus prout talis Deo in seipso tribuatur. Et propterea respectu horum creatarum perfectionis excellentia Deum representantis, esse poterit erroris occasio. Hinc satius erit huic hominum generi sub vilium rerum similitudinibus Deum representare. Vix enim aliquis adeo rudis, & ingenij pauper existet, vt facillime dignoscere nequeat earum rerum vilitatem esse à Deo prout est in se amouendam, adeoque solum sub illa exprimi, vt ad sublimius quid de Deo in seipso sentiendū assurgant: Vnde etsi per illam vilitatem rerum representantium tenuem de Deo habeant cognitionem, erit tamen hæc magis ab erroris periculo aliena. Sed audiamus Diuinum maximi huius viri eloquium, in fine citati capitis rem totam declarans.

Conde-

DISPVTATIO IV. DVBIUM III. 185

S. Dyon. Condecorant, non dedecorant cœlestes adorationes sacra huiusmodi eloquiorum descriptiones, cum dissimilibus eas formarum fictionibus explanant: his ipsis declarantes ut rebus omnibus supermundialiter antecellant. Quod verò absone similitudines magis mentem nostram erigant, nemo, ut opinor, cordatus contradicet: in nobilioribus enim formis effingendis creditibile est errare aliquos, qui existimant esse naturas cœlestes specie quadam aurea, viros quosdam micantes, fulgore decoros, vestitus splendido amictos, igneum quiddam innoxie vibrantes, & quacumque aliae huiusmodi forma sunt, quibus Theologia cœlestes mentes figuravit. Quod quidem ne ijs eneniat, qui nihil altius, quam illa pulchra, & speciosa, qua apparente complexi sunt, Sanctorum Theologorum sapientia, qua sursum ducendi vim habet, ad similitudines absanas sanctè se deijcie, non permittens id quod in nobis materiale est, illis indecoris imaginibus inheredo acquiescere: sed ipsa deformitatem figurarum excitans, & stimulans superiorem animæ portionem, tanquam nefas sit, & ne ijs quidem, qui rebus terrenis valde affixi sunt verisimile videatur tam absurdis formis similia reuera esse illa supercœlestia, & Diuina qua in symbolis cum admiratione spectantur. Videatur ibi supercœlestis Doctor doctrinam traditam latius prosequens, quam etiam commentario suo citatus Corde, tuis illustrat.



De Vsu Imaginum.

D V B I U M III.

An vsum imaginum Christi, & Sanctorum in lege gratiæ nedum licitus, sed & expediens censemus sit?

Expeditis ijs, quæ ad honestum vsum earum imaginum, per quas incorporeæ representantur, pertracta ida sunt in hoc dubio ea que pertinent ad vsum imaginum, ducentium mentem nostram in cognitionem eorum, quæ non sunt omnino corporum expertia, qualia sunt Christus Dominus, in quo Persona Verbi corporeæ naturæ coniuncta est; & Sancti quorum animæ (excepta Deipara) etiæ nunc in caelo sint à corporibus separatae, sunt tamen ex natura sua formæ corporum, cum quibus in nouissimo Iudicij die iterum coniungentur. De vnu ergo imaginum hos representantium queritur an sic honestus, imo & orthodoxæ Ecclesiæ ex varijs utilitatibus, infra adducendis, expediens?

S. I.

Duplici assertione prima dubij pars deciditur.

So. **D**icendum est primò, non dari præceptum aliquod de vnu imaginum Christi & Sanctorum. Hæc assertio, vt inquit N. Dominic: lib: 4. sec: 11. cap: 33. Bibliothecæ Theolog: concl: 7. est omnium Doctorum Catholicorum. An autem supposita earum existentia detur præceptum negatiuum de non inferenda illis iniuria, infra Aa dicetur

dicitur, cum de imaginum adoratione erit sermo. Probatur nunc breuiter conclusio ratione; Si datur eiusmodi præceptum, vel esset naturale, Diuinum, vel Ecclesiasticum, sed nullum ex istis datur, ergo nullum datur præceptum de vnu imaginum Christi, & Sanctorum. Major videtur certa ex sufficienti partium enumeratione. Minor suadetur, quia nequit adduci locus aliquis, in quo eiusmodi præceptum contineatur; Adeoque ea que Concilia & Sancti Patres de imaginum vnu tradiderunt, probant quidem ipsum esse licitum, & honestum, de quo in secunda assertione: non tamen ostendunt illum cadere sub præcepto: optimè enim fieri potest aliquid esse valde honestum, & nullum de illo extare præceptum. Virginitas enim est maximè honesta, summumque præfert decorum, & tamen de ea dixit Apost: 1. ad Chor: 7. De Virginibus præceptum Domini non habeo. Stat igitur prædictum imaginum vsum honestum, & tamen nec naturam, nec Deum, nec Ecclesiam voluisse illum suis includere legibus, sicut & Virginitatem.

S. Tho.

S. Tho.

Confirmatur: Honestum magis latè patet, quam id quod est præceptum, ergo fieri optimè potest vsum imaginum Christi & Sanctorum esse honestum, & tamen non cadere sub præcepto. Antecedens suadetur, quia ut docet S. Tho: 2.2: quæst. 145, art. 1. Honestum propriè loquendo in idem referitur cum virtute: manifestum est autem non omnem virtutis actum cadere sub præcepto, votum enim est actus virtutis Religionis, Virginitas voto firmata, voluntaria paupertas, & his similia sunt actus virtutum, & virtutum valde excellentium, & tamen nullo præcepto ad illos adstrin-

gimur. Consequens probatione, non indiget.

51. Dicendum est secundò vnu imaginum Christi Domini, ac Sanctorum est omnino licitus, & honestus. Hæc conclusio est de Fide, eamque tradidit Concilium Tridentinum confirmans doctrinam de vnu sacrarum imaginum in alijs Concilijs receptam ac definitam; sic enim habet sess: 25. Mandat Tridenti Sancta Synodus omnibus Episcopis, & ceteris docendi munus, curamque sustinentibus, ut iuxta Catholice, & Apostolice Ecclesie vsum, à primis Christianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum consensionem, & Sacrorum Conciliorum decreta in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, Reliquiarum honore, & legitimo imaginu cultu fideles diligenter instruant. Si igitur legitimus imaginum cultus præcipitur, à fortiori earum vnu decernitur tanquam honestus. Videri potest inter alios Sanctos Patres D. Ioa: Damascenus lib: 4. de Fide cap: 17. & orat: 1. de Imaginibus, in qua circa finem refertur historia de imagine Christi, quam idem Christus Dominus Regi Abagaro misit, additq; Euagr. lib: 4. histor: cap: 26. ob presentiam illius venerandæ imaginis Ciuitatem Edesse fuisse, sèpè numero ab incendio miraculose liberatam. Misisse etiam Christum Dominum eandem sui imaginem, ad Abagarum Regem testantur Stephanus, & Adrianus Summi Pontifices apud Iuonem 4. par: sui decreti cap: 83. Habetur etiam in libro Adriani de Imaginibus 3. tomo Conciliorum. Eadem demum, imago asseruatur nunc Romæ in Ecclesia S. Sylvestri quod tradit Baron: ad annum Christi 944. dicens eam primum delatam fuisse Constantinopolim, & ex ea ciuitate sèpè

S. Ioa.

Damasc.

Euagr.

Iuon.

Adrian.

Baron.

Bana.

Grefler. sæpè bellis capta , ac euersa aspor-tatam fuisse Romam. Plura quoad has imagines Diuino elaboratas opificio eruditè pertractat Gresterus Sintagm: de imaginibus non manu-factis cap: 9 ¶ vbi tres supra viginti ex antiquis enumerat , ac commen-dat. Vide N. Dominicum loco sèpè adducto cap: 33 . concl: 5 . vbi de alijs manufactis imaginibus plura reperies. Tandem statutum est licere *N. Dom.* vsum Sacrarum imaginum in 2. Sy-nodo Generali Niceę celebrata , in qua fuere præsentes circiter 350. Episcopi , cui etiam adfuerunt legati Romani Pontificis Adriani 1 . & trium Patriarcharum Alexandriæ , Antiochiæ , & Hierosolymæ , nec non Patriarcha Constantinopolita-nus. Omittimus Sanctorum Patrum authoritates , quæ penè innumeræ possent adduci , maximè cum quam-plures ex illis referant miracula , quæ per Sacras imagines vbique terrarum , omnique tempestate pa-trata sunt. Quarè hoc ipsum tuentur omnes huius materiae scriptores .

N. Salm. 52 . Probatur nunc assertio ra-tione. Omne quod est illicitum , aut est tale ex natura sua , aut quia pro-hibitum , atqui vsum imaginum neutrō modo est illicitus , ergò erit om-ninò licitus , seu honestus. Maior constat ex communi ea mali distinc-tione , nam aliud est prohibitum , quia malum vtique ex sui natura , aliud verò malum quia prohibitum , hoc est lege aliqua positiva. Minor quoad primam partem suadetur , quia si imaginum vsum ex sui natura esset malus , nec per absolutam Dei potentiam posset honestus reddi , vt patet de mendacio , quod est prorsus inhonestabile , etiam ob quem-cumque honestissimum finem con-sequendum , de quo videri possunt N. Salm: tract. de Bonit: & Malitia disp: 5 . n. 15 . & sequentibus. Ex quo apertissimè constat tales vsum

De Vsu Imaginum.

non posse esse ex sui natura illici-tum ; cum expressè habeatur ex Sa-cra Scriptura Exodi 37 . præcepisse Deum fieri imagines Cherubim , & collocari in Sanctissimo loco , nem-pè super arcam Fæderis in templo afferuatum , quod esse non posset , nisi imaginum vsum decentissimus , ac summè honestus esset , siquidem domum Dei decet Sanctitudo .

Tum etiam id comprobatur ex omnium prorsus consensu natio-num , nulla enim illarum est , apud quam dubitatum vñquam fuerit , an licitum esset principibus proprijsque regibus statuas erigere , dedicare imagines . Imò eiusmodi erectio , ac dedicatio veluti virtutis præmium redditum est ijs hominibus , qui egregijs claruere facinoribus , & virtutibus eximijs floruerunt. Et quamuis hebræorum gens , vt tradit Iosephus lib: 2 . Imperatoribus sta-tuas non erigeret , non ideò tamen putandum illam credidisse id ex na-tura rei esse illicitum , sed id ortum ducebat ex peculiari lege , quam Iudæi ipsi cōdiderant , adeoque citatus nunc author laudat ibidem Ro-manorum clementiam , qui non co-gebat hebræos à parrijs legibus di-scendere. Posito autem ex omnium consensu haberi statuarum erectio-nem esse protestationem quandam excellentiæ eius , cui erigitur , & consequenter æstimari tanquam veræ virtutis præmium , damnari nequit veluti lumini naturalis ratio-nis aduersum , vt de se patet .

Quoad secundam partem eadem minor suadetur , ex eo quod saltē in lege gratiæ nullibi inueniatur eius-modi posituum præceptum prohibens vsum imaginum Christi & Sanctorum ; imò ab exordio nascentis Ecclesiæ semper viguit , vti appareat ex Ecclesiastica historia ; narraturque de Nicodemo expressissime colo-ribus Christi crucifixi imaginem ,

A a 2 quam

quam Iudei transfigentes , multum sanguinis emisisse mirati sunt . Videri potest 2 . Nycena Synod . ar : 4 . S . Nycena . Sermo Beati Patris Nostri Athan : & in sequentibus , vbi quamplura de antiquissimo vsu imaginum Christi & Sanctorum , ex his enim clare constat nullum extare posituum , præceptum eudem prohibens usum , sed potius semper inter Orthodoxos fuisse summa consensione comprobatum , ac receptum ut licitum .

53 . Confirmatur , & declaratur magis , quomodo pingere imagines , ac sculpere statuas non sit ex sui natura illicitum . Nam si in honestum id esset , vtique & artes pingendi , & cælandi essent illicitæ , atqui id manifeste falsitatis conuincitur , ergo usus imaginum & statuarum ex natura sua non est illicitus : cumque aliundè assignari nequeat posituum præceptum illum prohibens , ex nullo capite censeri poterit in honestus . Maior constat , nam quia usus magicæ artis est illicitus , hoc ipsum habet illius principium , nempe ars magica .

Minor suadetur , nam etsi omnes artes simulentur pro viribus naturam , eiusque proinde authorem , non videtur tamen esse alia ars , quæ magis naturam eiusque authorem imitetur , quam ars pingendi imagines : Deus enim creando omnia , fecit quasdam sui similitudines , & imagines , quæ ipsum quantum creaturæ possibile fuerit exprimunt , & tanto magis creaturæ centrifentur perfectæ , quanto fuerint primo illi exemplari similiores . Vnde

S . Tho . D . Tho : in 2 . dist : 16 . quæst . 1 . art . 2 . ad 2 . inquit . Cum unaque res periringat ad perfectam imitationem eius , quod est in intellectu Diuino , quia talis est , qualiter eam esse dispositus : ideo quantum ad hunc modum similitudinis qualibet creatura potest dici imago ideo in mente Diuina

existentis . Vnde dicit Boetius , quod forma quæ sunt in materia possunt dicci imagines , eo quod ab his formis venerunt , quæ sine materia sunt . Tum rursus quia idem Deus quodammodo pinxit , ac cœlavit in mentibus Angelorum totum hoc vniuersum , cum species intelligibiles ex eorum intellectibus eduxit : ijs enim tanquam imaginibus oratione creata representantur . De quo plura in materia de Angelis . Demum idex Diuinæ sunt quædam eminentissimæ cœlature , quibus & creata , & creabilia superexcellenti quadam representatione ea intellectui Diuino demonstrantur . Videmus etiam naturam vniuersam pingendis imaginibus incumbentem , cum omnium sensibilium species per aeris spatio diffundit , ut peruenientes ad sensus propriæ obiecta ostendant . Si ergo tanto studio natura eiusque author pingendis imaginibus insudat honestissimas esse oportet artes pingendi , & sculpendi , ut potè imitatries honestissimi agentis . Eo vel maximè quia ut docuit Angelicus Præceptor 12 . Metaph : lec : 3 . circa principium natura & ars in hoc solo differunt , quod ars est principium agendi in aliis natura autem est principium actionis , & motus eius , in quo est .

s . III .

Secunda dubij pars alia conclusione deciditur .

54 . **D**icendum est tertio : valde expedit Ecclesiæ catholice sacrarum imaginum statuarumque usus , ob ingentes utilitates propter quas apud orthodoxos fuit in morem inductus . Ita communiter Ecclesiæ Doctores , ac Theologi , probanda autem erit conclusio expen-

expendendo plures utilitates, quæ ex prædicto vsu consequuntur. Verum antequam id præstemus scitu dignum est Sacrarum imaginum genus duplex esse. Aliæ siquidem sunt imagines, quæ solitariæ solent appellari, ex hoc quod solum repræsentent prototypum nullam indicantes historiam, & huius generis rarissimæ sunt, siue enim imago repræsentet Christum, siue Sanctorum aliquem, ferè semper ei adiunguntur aut instrumenta illa, quibus profide tuenda cruciati sunt, vel egregiū aliquod facinus quod executioni mandarunt, atque adeò compendiosè saltem aliquam indigitant historiam. Verum quicquid sit de hoc. Aliæ sunt imagines, quæ historicæ communi vocabulo nuncupantur, ex hoc quod gestū aliquod memoria dignum posteritati commendent per illius repræsentationem. Ut si pingatur Christus Asello insidens, vna cum plurima turba præcedente, ac comitante, gestanteque ramos oliuarum. Eiusmodi enim imago quodammodo historiæ vices subit, coloresque adduntur loco verborum, ut quod istis narrarunt Evangelistæ, illis pictor oculis inspicendum obijciat, vnde & historicæ imaginis nomen sortitur. De vtroque hoc imaginum genere ostendendum earum usum esse apprimè fidelibus populis utilem, & consequenter summopere ipsum expedire.

55. A primo itaque imaginum genere exordium sumentes, supponendum tanquam ex se manifestissimum, tales imagines prototyporum innouare memoriam. Hinc S. Athanasius oratione 4. aduersus Arrianos, more peritissimi Rethoris, figura Prosopopæiæ vtens inducit Regis imaginem, in hunc modum sui inspectorem, alloquentem. *Ego, & Rex unum sumus. Ego enim in illo sum, & ille in me. & quod in*

*me animaduertis, id quoque in illo animaduertis. Et quod videts in illo, videris in me. Quo posito sic arguimus; Ex imagine Sacra Christi prototypi innouante memoriam retrahuntur homines illius inspectores à peccando, atqui hec est ingens utilitas, ergo vsus solitariæ imaginis est valdè fidelibus expediens. Maior suadetur, nam idcirco vitæ spirituæ præceptores summopere commendant, ut virtutis acquirendæ studiosi curent pro viribus fixos habere oculos in Christum Dominum, ut in præsentem malarum actionum iudicem, & sanctorum remuneratorem. Vix enim est, quod magis à peccādo cohibeat, quam ea cogitata præsentia. Nam in regem, & coram illo peccare, horrere maximè solent homines. Vnde cum Esther 7. putaret Assuerus velle Aman cum eadem Reginam Esther peccare, valdè exaggregans eius delictum, inquit. *Etiam Reginam vult opprimere me præsente* Et Dauid Psal: 50. peccati sui gravitatem rationis trutina ponderans, ijs verbis indoluit *Et malum coram te feci.* Quasi dicat iuxta Angelici Præceptoris glossam. *Contempsi te testem, quia malum coram te feci uidente, & præsente.* Retrahuntur igitur homines à peccando insipientes Christi imnginem clamantem, iuxta Athanasium, Ego & Christus vnum sumus. Minor & consequentia sunt ex se manifestæ.*

56. Ex quo arguitur insipientia Caluini, qui has imagines contemnens ait earum usum insipientium dumtaxat delectationi inseruire, & consequenter frustra fieri in ordine ad spiritualem animæ utilitatem. Etenim ut mox ostendimus multum utilitatis ex recordatione prototypi, quod nobis obijcit spectandum imago indè eruitur. Deinde cum asserit soli inseruire intuentium oblectationi, vel loquitur de eo

eo oblectamento, quod oritur tum ex suauitate, tum ex recta dispositio-
ne colorum, optimoque artis opificio, Vel de eo quod habetur,
ex hoc quod amans prototypum,
istud contemplatur in imagine illud
repræsentante, vt nuper ex S. Atha-
nasio dictum est. Et quidem si de
prima loquatur, & si nisi aliundè
vitietur, honesta sit, adhuc tamen
non est de imagine formaliter sum-
pta, sed dumtaxat de illa materia-
liter accepta: siquidem imago for-
maliter considerata non terminat
per se motum, ex eo quod non po-
nat in numero cum prototypo sibi
respondente, sed idem est prorsus
motus qui in imaginem formaliter
sumptam eiusque exemplar terminat
natur, vt melius infra explicabitur.
Euidens est autem in præsenti ser-
monem non esse de imaginibus ma-
terialiter consideratis, cum prout
tales non exponantur fidelibus; Nō
enim Ecclesia in honesto vnu imagin-
num intendit, per illas materialiter
sumptas intuentium oculos oble-
ctare. Si verò de secunda delecta-
tione loquatur, vtique non frustrà
sed valdè vtiliter pinguntur imagi-
nes, per eas etenim fit transitus ad
prototypum, in quo delectari pium
honestissimumque est, adeoque &
vtilitate plenum. Qua etiam delecta-
tione perfruuntur illi qui in crea-
turis, tanquam in Dei imaginibus,
eundem Deum cognoscendo, in
illo pariter delectantur, iuxta illud

Psalms. Psal: 91. *Delectasti me Domine in
factura tua, & in operibus manuum
tuarum exultabo. Nam in creaturis*
(commentatur Nicolaus de Lyra,
*Nicolaus in glossa ordinaria) relucet bonitas
de Lyra. Diuina, & sic sunt devotionis, & la-
titiae causa. In eundem sensum loqui-
VgoCar. tur Vgo Cardinalis his verbis *Ho-*
mo delectatur in creatura, ut est
opus Dei, & via quodammodo ducens
*ad Deum, & ista bona est, & de tali**

loquitur: *Et non est ibi tantum latitia
mentis, sed & corporis unde dicit. Et
in operibus manuum tuarum exultabo.*
Idem ergo quoad præsens.

57. Secundò loco expendenda
est alia vtilitas, quæ ex imaginu-
vnu consequitur, Pro cuius intelli-
gentia notanda est doctrina, quam
habet Angelicus Preceptor 8. Ethic:
lec: 5. in principio, vbi ex obscu-
ritate mutum Aristotelem, in hunc
modum reddit eloquentem. Si
absentia amicorū ab iniuicem sit diutur-
na, videtur facere obliuionem amicitie
precedentis. Sicut & alij habitus per
dissuetudinem operādi debilitantur, &
tandem deficiunt. Oportet enim sicut
habitus per consuetudinem operum
acquiruntur, ita per idem conseruen-
tur. Nam unumquodque conseruatur
per suam causam. Et ideo dictum est
in proverbio, quod multæ amicitie
dissoluuntur per hoc quod unus alium
non appellat & non colloquitur, &
non conuiuit alteri. Ex qua doctrina
habetur per imagines Christi Do-
mini, & Sanctorum, mirum in mo-
dum foueri amorem humanarū vo-
luntatū erga eosdem. Nam cum per
imagines illarum prototypa nostra-
rum mentium oculis obijcantur, ea
alloquimur modo quo in hac vita
possimus. Etenim sicut imago Re-
gis iuxta S. Athan: coloribus, quasi
vocibus vtens clamat, Ego & Rex
vnum sumus. Ego enim in illo sum,
ille in me: pari quoque modo Chri-
sti & Sanctorum imagines idem
loquuntur; & sic per imagines Chri-
stum & Sanctos appellamus eorum
que amor in nobis vel augetur vel
conseruatur. Quapropter qui illo-
rum imagines de medio tollunt fa-
ciunt nobis absentes amicos Chri-
stum Dominum, & Sanctos longe
facientes à corde, quos ab oculis
extores efficiunt. Vnde mirum non
est si eorum cum Christo ac Sanctis
amicitiam inappellatio soluat. Et
nota

nota quod, et si doctrina tradita potissimum concludat de amore acquisitione, cuius habitus per solam cessationem ab actibus potest infirmari & corrumphi, sicut per eosdem tamquam per causas principales producitur, ac conseruatur. Adhuc tamen sufficienter verificatur de supernaturali amore Charitatis, qui per cessationem ab actibus tepelet, ac feruorem deperdit, sicut per eorundem actuum iteratam repetitionem saltem meritorie augetur. De quo alibi.

Tum rursus quia per imaginum ablationem facto Christo Domino à nobis absente sèpè numero in peccata saltem uenialia prolabimur, iuxta illud Psal: 9. *Non est Deus in conspectu eius inquinata sunt viae illius in omni tempore.* Et quia uenialia repetita disponunt ad mortale, vtique tendunt ad dissoluendam amicitiam Charitatis, quam cum eodem Christo Domino habemus. Ex hac ergo quā maxima utilitate habetur, summoperè expedire vsum earum imaginum, quas solitarias iuxta consuetum loquendi modum appellauimus.

§. III.

Adducitur obiectio, ex cuius solutione, quæ hactenus dimicimus fusius confirmantur.

58. **D**ices aduersus traditam doctrinam eam minus bene cohærere cum illo quod habetur Ioa: 16. ubi Christus Dominus alloquens Discipulos, quorum corda tristitia impleuerat, ex eo quod Christus sua corporali presentia eos esset relicturus, in hunc modum

illos consolatur *Si non abiero Parclitus non veniet ad vos* Hæc verba, *s. Ioann.* exponens S. Aug: trac: 94. in Ioan- nem, circa finem ait per ea signifi- *S. Aug.* casse Christum Dominum, expediens esse amoueri ab oculis discipulorum sensibilem Christi præsen- tiā, vt spiritualis aduentus Sancti Spiritus efficerentur capaces. Sa- tius est igitur non vti sensibilibus imaginibus Christi & Sanctorum, ut mens spiritualibus magis assuecat, & fidei puritati tenacius adhæreat, adeoque insensibilibus *Spiritus Sancti donis magis reddatur idonea.*

Ad huius obiectiois solutionem, & vt ea quæ hucusque dicta sunt maiorem lucem accipient, ac simul vt ostendatur quantum humanæ na- turæ expeditat sensibilibus vti Christi & Sanctorum imaginibus, quod in præsenti dubio comprobare contendimus. Supponendum breuiter gratiam non esse naturæ inimicam, adeoque illam non destruere, sed potius ei se attemperare quantum possibile fuerit. Vnde illud satis vulgare axioma emanauit gratia nō destruit, sed perficit naturam. Hinc S. Tho: 3. contra Gen: cap: 150. *s. Thom.* ratione 5. ait quod *Divina Providen- tia omnibus prouidet secundum modum sue nature.* & rursus 3. p: quæst: 63. art 5. ad 1. docet gratiam in hac vita mutabiliter inesse animæ propter vertibilitatem liberi arbitrij viatoris, cuius conditioni sese acco- modat. Ex quo deducimus, quod si ostenderimus apprimè consentaneum esse naturæ humanæ per sensibilia manuduci ad cognitionem spi- ritualium, & insensibilium, vtique & huic conditioni gratiæ ordo se attemperabit, & consequenter vsum sensibilium imaginum, per quas ad spiritualia cognoscenda perducatur non dissonare eidem gratiæ, sed illius ordini congruere, sicut & humanæ naturæ est valde accommoda- tus

tus , cum gratia non destruat , sed perficiat naturam , eamque eleuet secundum quod eius conditio exposcit . Nec credimus ingratum fore lectori , si non nihil calamo indulgemus , rei enim dogmaticæ grauitas laborem omnem leuissimum efficit .

S.Thom, cit. Vtemur autem doctrina Angelici Præceptoris quam tradidit 3 . p . quæst . 61 . art 1 . vbi tribus rationibus ostendit congruere humanae naturæ præsertim in præsenti statu constitutæ per sensibilium gradus ad spiritualia ascedere .

59 . Prima ergo ratio in hunc modum efformatur . Propria humanae naturæ conditio est , vt intelligendo pendeat à phantasmatis , adeoque à sensibilibus , ergo hominis propriū erit vti sensibilibus imaginibus , quibus in spiritualium cognitionem , & amorem ducatur . Antecedens experientia constat . Ex rursus ex hoc quod humanus intellectus est in ordine intellectivo infimus , habens dependentiam à corpore tanquam à ministrante , vnde huic rationalis animus tanquam propria forma vnitur Imò sic illi vniatur vt connaturalius intelligat , ac scientias acquirat vt docuit S. Doctor p. p. quæst . 51 . art . 1 . Consequentia liquet quia phantasmatum efformantur ex speciebus immisis ab esternis imaginibus ad sensus externos , per quos ascendunt ad Phantasiam ; quarè hunc ordinem & gratia seruabit , quæ non destruit sed perficit naturam , quam eleuat . Hæc ratio cum procedat ex propria humanae naturæ conditione quam habuissent etiā innocentes homines , probat imaginum usum non defuturum in Innocentiae statu si perduisset . Sed de hoc nihil modo .

Secunda ratio sic se habet . Homo , cum peccauit , subdidit se per affectum rebus sensibilibus , ergo conueniens fuit indigere sensibilibus

imaginibus , per quas in Christi amorem , & cognitionem ascenderet . Antecedens suadetur , quia etsi homo innocens non esset omnino immunitus ab indigentia sensibilium , non tamen illis per affectum erat subditus , sicut homo lapsus , qui per peccatum factus est illis deditus , & ideo comparatus est iumentis insipientibus , & similis factus est illis . Consequentia suadetur ex verbis S. Tho: ibi debet medicinale remedium homini adhiberi , vbi patitur morbum , & ideo conueniens fuit ut Deus per quedam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet ; nam si spiritualia nuda ei proponebantur , eius animus applicari non posset corporalibus deditus . Et propterea tale remedium alienum esset à summa clementia Medici Diuini . Per sensibilia ergo imaginum signa conuenientissimum fuit hominem lapsum ad Dei hominis amorem reparari . In quo etiam superbia illius , ex qua peccauerat , humiliatur , cum subdi ipsum oporteat rebus sensibilibus , sine quibus vix posset ad prædictam cognitionem , & amorem pertingere .

60 . Tertia ratio , quæ quodammodo cum hac secunda coincidit . Actiones humanæ præcipue circa corporalia occupantur , ergo conueniens fuit , vt etiam in ijs quæ ordinem gratiæ spectant non omnino abstraheretur homo ab usu sensibilium imaginum . Antecedens suadetur , tum ex dictis . Tum ex doctrina S. Tho: 1 . 2 . quæst . 71 . art . 2 . ad 3 . vbi sic habetur ; In homine est duplex natura , scilicet rationalis , & sensitiva . Et quia per operationem sensus homo peruenit ad actus rationis , ideo plures sequuntur inclinationes naturæ sensitivæ , quam ordinem rationis . Plures enim sunt qui assequuntur principium rei , quam qui ad consummationem perueniunt . Cui addit


Caietan. addit Caietanus *Quod est etiam alia ex eadem radice ratio, quia scilicet naturae sensitiva bona sunt nobis magis connaturalia, ut potè ab incunte etate in usu, & magis nota, ut potè evidenti experientia sensuum: & magis mouentia ex ratione promptæ delectationis, & ratione oppositi imminentis constantis in promptu. Rationis autem bonum post etatem percipitur & parum cognoscitur, & parum mouet, tam ipsum, quam eius oppositum. Connaturale ergo est homini magis circa sensibilia, quam circa insensibilia occupari.*

Consequentia suadetur, quia valde durum esset homini præcipue circa sensibilia occupato, si in ijs quæ pertinent ad ordinem gratiæ omnino à corporalibus actibus abstraheretur: congruentissimum ergo fuit permettere homini usum sensibilium imaginum Christi, & Sanctorum, ut ita eluceret Diuinæ prouidentię suauitas in hominis regimine. De qua suavi dispositione optimè intelligitur quod habetur *Sap: 2. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas. (hoc est absque turbulentia ordinis inuersi) & cum magna reverentia disponis nos.* Quatenus videlicet arbitraretur Deus irreuerentiam operi suo inferre, si humanæ naturæ iura non illæsa seruaret.

S. Tho: 1. 2. quæst. 102. art 3. & quam ex S. Augustino desumpsit, ea autem talis est; Ideò voluit Deus in lege veteri ut Iudeos in sacrificijs sensibilibus ceremonijs, ex hoc quod per huiusmodi homines retraherentur à sacrificijs idolorum, unde etiam precepta de sacrificijs non fuerunt datae populo Iudeorum, nisi postquam declinauit ad idololatriam, adorando usulum conflatilem, quasi huiusmodi sacrificia sint instituta ut populus ad Dei Usu Imaginum.

sacrificandum promptus, huiusmodi sacrificia, magis Deo, quam idolis offerrent. Non dissimiliter in præsenti philosophamur. Cum homo ad sensibiliter agendum sit admodum promptus, conueniens fuit non prohiberi illi aliquas sensibiles imagines, per quas inclinationi illi ad sensibilia fieret satis, ne in abusum declinarent. Quare sicut hebreorum populus per sensibilia illa sacrificia, nedum incidit periculum idololatriæ, sed illud vitavit: ita ex usu imaginum fideles nulli fiunt obnoxij periculo erroris, sed potius vitatur, adeoque tanquam honestissimus retinendus est. Per quæ omnino soluta relinquitur obiectio; neque obstat adducta authoritas quia ibi solum improbat nimius affectus ad sensibilem Christi præsentiam, in quo aliquo modo peccabant Apostoli, allecti dulcedine eius sensibilis familiaritatis cum Christo Domino. Nullatenus verò hoc quod est per sensibilia ad insensibilium cognitionem & amorem ascendere, quia hic est modus consonus humanæ naturæ, quem gratia non destruit. Hinc falsum est tales modum obstarere puritati fidei, hæc enim non est destruenda talis modi, sed dumtaxat moderationi, adeoque per eam vetatur nimia adhæsio ad sensibilia, quam hic non ostenditur contingere.

rc,



S. IV.

Expenduntur utilitates ex secundo imaginum genere prouuenientes.

62. **E**X secundo genere imaginum, quas historicas non minauimus, non minores haberi utilitates adeò est per se manifestum, ut non probatione, sed sola indigeat explicatione, quam in presenti paragrapho aggredimur. Primo ergo oritur instructio, seu eruditio, quæ fidelibus populis est apprimè necessaria: omnino etenim inconuenit eos ignorare ea, quæ Christus Dominus in diebus carnis suæ gessit, & ea pariter quæ Christianæ Religionis heroes, Sancti videlicet, dum viuerent illustria peregerunt. Inde enim nascitur, ne-dum cognitio eorum, quæ ipsi in consimilibus euentibus agere debet ut Christiano ac virtuoso viro dignæ exequantur, verum etiam prouocantur ut fide simili, deuotione pari, virtute non degeneri eorundem gloria facinora imitentur. Nihil enim est exemplo efficacius, vrgentius nihil ad hominum animos extimulandū. Et sanè nemo fortè est qui ad aliquid pro iustitia tuēda tolerandum non accendatur, cum ante oculos corporis coloratus exponitur Christus, seu spinis redimitus, seu in cruce pendens, ut Diuinæ iustitiae condignam pro peccatis humani generis satisfactionem exhiberet. Idemque contingit, si expressa conspiciantur in tabula certamina martyrum, qui alacri fortique animo maluere uitæ, quam fidei iacturam pati.

Secunda utilitas est honor, qui Christo Domino eiusque Sanctis accrescit, ex hoc quod eorum memo-

randa gesta, ac generositatem spiringantia facinora pictura aliqua, seu erecta statua posteriorum memoriae commendentur. Vidimus enim supra, & experientia quotidiana euidentius comprobatur, apud omnes gentes inualuisse morem dedicandi seu imagines, seu statuas, quasi in præmium exercitæ virtutis, illis, quibus eadem virtus eximiè cordi fuit. Quod etiam omnia penè historiarum monumenta passim testantur. Ex quo apparet, quam inconsequenter hæretici loquantur, qui concedentes licitum esse Regibus ac Principibus statuas consecrare, quæ eorum gesta admiratione digna populis depredicent, hunc tamē honorem ausi sunt Christo Domino virisque Sanctitate præclaris dengare. Quod fortè mirandum non est, apud illos enim maiori habetur in præatio adulatio, quam Sanctitas.

63. Sed ad doctrinam hanc magis illustrandam, notandum est quod docuit Angelicus Præceptor quæst. 2. de Veritate art. 2. vbi asserit quod cum omnis creatura ex hoc quod est finita & limitata, & consequenter constans genere & differentia, tantum illi deest de perfectione simpliciter, quantum in alia creatura specie distincta inuenitur. *Vnde* (loquitur Angelicus Præceptor) *ut huic imperfectioni ali-*
S. Thom.
quod remedium esset inuenitur alius modus perfectionis in rebus creatis, secundum quod perfectio quæ est propria unius rei, in altera re inuenitur, & hoc est perfectio propria cognoscendi, in quantum est cognoscens, quia secundum hoc à cognoscente aliquid cognoscitur, quod ipsum cognitum aliquo modo est apud cognoscētem. Et ideo in 3. de Anima dicitur animam esse quodammodo omnia, quia nata est omnia cognoscere & secundum hunc modum possibile est ut in una re totius universi perfectio existat.

Ex

DISPVITATIO IV. DVBIUM III. 195

Ex quo apparet idcirco, naturam laborasse in expingendis speciebus, quæ sunt naturales quædam obiectorum imagines, illa adamissim representantes, ut pro viribus suppleret allatum imperfectionis defectum, qui ex innata creaturis limitatione ortum ducebat. Hunc ergo naturæ labore credimus imitari ingeniosam fidelium pietatem, cum Christi Sanctorumque imagines historicas efformat; nam cum præclaras eiusmodi gesta fuerint tempore mensurata, & in illo præteritum & præsens, ac futurum simul non existant, sicuti in uno eodemque eternitatis immenso sinu reperiuntur, ut huic imperfectioni aliquod remedium esset, satagit pro viribus predicta virtuosa facinora æternitati per imagines, ac statuas consignare: & per hunc modum possibile quodammodo fit, ut quæ ex nativa caducitate fluxa sunt, reddantur immortalia. Quod etiam cernere licet in historijs, quæ verbis, quasi coloribus quibusdam, ac lineamentis expingunt in libris, ea quæ pennicillus colorat in tabulis, & cœlum incidit in marmore. Quapropter sicuti summè expediens est, & omnino fidelibus perutile Christi & Sanctorum vitas enarrare, ita & historicas imagines efformare.

§. V.

Soluuntur argumenta contraria nostris assertionibus.

64. *O*ppositum primæ nostræ assertioni nullus est qui doceat, adhuc tamen sic in illam possumus argumentari. Usus imaginum Christi & Sanctorum, ut vidi mus in tertia assertione, nedum honestus, verum etiam & pietati perutilis est, ergo debuit esse aliquo

De Vsu Imaginum.

modo à Deo, aut ab Ecclesia præceptus. Antecedens constat ex dictis Consequentia suadetur, quia ut docet D. Thos. 1. 2. quæst. 100. art. 2. *lex Diuina præcepta proponit de omnibus illis per quæ homines bene ordinentur ad communicationem cum Deo* Ex quo concludit, omnes actus virtutum cadere sub aliquo præcepto, ita ut ea, sine quibus ordo rationis conferuari non potest simpli citer cadant sub præcepto, ea vero, quæ pertinent ad bene esse illius, cadere sub consilio. Videtur autem quod usus imaginum sit omnino actus virtutis, per quem homo ordinatur ad communicationem cum Deo, seu Christo Domino, quod & ostendimus supra n. 56. honestum enim cum virtute coincidit, & consequenter usus honestus erit exercitium honestatis, adeoque & virtutis: nec ad huius dumtaxat bene esse pertinere videtur, cum absque illo multi Religionis actus emittantur.

s. Thom.

Confirmatur. Aliquis imaginum usus in lege veteri fuit præceptus, cur ergo idem non est afferendum, in lege gratiæ? Antecedens constat ex Scriptura, ex qua habetur præcepisse Deum fieri aureos Cherubinos. Consequentia suadetur; nam in lege gratiæ frequentior est imaginum usus, ut liquet ex dictis, unde videtur à fortiori dicendum, ipsum aliquo modo cadere sub præcepto.

65. Respondeatur ad argumentum concedendo antecedens, & negando consequentiam, ad cuius primam probationem dicendum, cultum Christi, & Sanctorum per exteriores imagines pertinere dumtaxat ad bene esse virtutis, adeoque non esse opus, quod cadat sub præcepto, sed satis erit ipsum cadere sub consilio. Pro cuius tamen pleniori intelligētia sciendum, hoc esse

B b 2 discriben

discri men inter legem naturalem & positivam : quod illa solum sub mortali præcipit ea , quæ sunt simpliciter necessaria ad consecutionem vltimi finis ; & sub eadem obligatione prohibet ea , sine quibus idem finis vltimus simpliciter haberi non potest. Cæterum lex positiva , quæ ueluti in extensionem legis naturalis instituta est vltius progradientur, potestque præcipere sub mortali etiam illa , quæ solum sunt necessaria ad melius esse assecutionis eiusdem vltimi finis, idemque quoad prohibitionem contingit , nam siue sit malum, siue indifferens. siue etiam aliquando bonum vetare etiam potest sub mortali, in ordine ad præstantius aliquod motiuum, & si aliud non sit, sufficiet obedientia exercitium. Hinc , quamvis ieunare non sit simpliciter necessarium ad consecutionē vltimi finis præcipi potest sub mortali, ex eo quod sit necessarium solum , quoad facilius, & melius esse eiusdem assecutionis .

Hoc tamen non contingit in omnibus , nam Virginitas voto firmata facilius , ac melius conductit ad finem vltimum assequendum , & tamen sub præcepto non cadit, sed dumtaxat sub consilio. Ex quo apparet , quod etiamsi prædictus imaginum usus sit expediens , summèque fidelibus perutilis , quia tamen nullibi inuenitur lege aliqua positiva præceptus , idcirco censendus est præscribi solummodo ex consilio. Et quamvis reuera potuisset lege positiva præcipi , & legislator potuerit habere sufficiens motiuum illum præcipiendi , quia tamen de facto non inuenitur eiusmodi lex positiva, propterea non est adstruenda . Quod declaratur exemplo ; nam motus illicitus appetitus sensitui tendens in obiectum læthaliter prauum , secluso voluntatis con-

sensu , & periculo tum eiusdem consensu , tum nocimenti grauis solum ex lege naturali prohibetur sub veniali , & licet lege positiva potuisset sub mortali prohiberi , quamdiu tamen sic non prohibetur, stādum prohibitioni legis naturalis tantum. Ita ergo quoad præsens loquendo de lege affirmatiua respectu usus imaginum . Circa hæc vide N. Salman: tomo de Vit: & peccat: disp: 10. n. 183. & sequent: Ex quibus tacita obiectio soluta relinquitur. Tandem hæc quæ diximus , ex solutione quam trademus confirmationi , maiorem lucem accipient .

66. Ad confirmationem respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam ; ad cuius probationem , vt respondeamus. Nota ex Angelico Præceptore I . 2 . quæst. 108 . art. 1 . hoc esse discrimen inter legem Euangelij, & legem veterem quod lex Euangelij dicitur lex libertatis , & lex vetus, seruitutis . Nam lex vetus multa determinabat , & pauca relinquebat hominum arbitrio determinanda ; secus autem lex gratiæ , quæ non pauca humanæ decernenda libertati relinquunt , vt autem habeatur certa aliqua regula dignoscendi , quænam sint ea , quæ determinationem ab humana voluntate in Euangelica lege accipiunt .

Advertè rursus ex Angelico ibidem , eam desumendam esse ex fine legis Euangelicæ. Porro eiusmodi finis principalis est gratia Spiritus Sancti , quæ manifestatur in fide per dilectionem operante. Nam vt dicitur Ioa: 1. *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Hinc. sit conuenire , vt per aliqua exteriora sensibilia gratia à Verbo Incarnato profluens, ad nos deducatur: & rursus , quod ex gratia interiori per quā caro spiritui subditur, exteriora quædam

Salman:

s. 7. b. m.

s. 1. m.

quædam opera sensibilia producantur. Hęc autem opera exteriora, dupliciter ad gratiam pertinere possunt. Primò vt inducentia aliquali-
ter ad gratiam, & eiusmodi sunt opera Sacramentorum nouæ legis. Secundò ea sunt, quæ ex gratiæ in-
stinctu producuntur. Et hęc sunt rursus in duplice differentia, quæ-
dam habent necessariam conuenien-
tiam, aut contrarietatem ad gra-
tiā interiorem, quæ in fide per di-
lectionem operante sita est, & hęc
exteriora opera sunt præcepta, vel
prohibita in lege noua, sicuti præ-
cepta est confessio fidei, & prohibi-
ta eius negatio, vt habetur. Matth:
10. Qui confitebitur me coram ho-
minibus &c. Alia sunt non haben-
tia prædictam contrarietatem aut
conuenientiam ad fidem per dilec-
tionem operantem. Et hęc à le-
gislatore Christo relictā sunt vnicuique,
secundum quod aliquis ali-
cuius curam gerere debet: & sic
vnicuique liberum est circa ea de-
terminare quid sibi expediat facere
vel vitare. Idemque contingit in
præsidentibus, quibus est imperium
in subditos.

67. Ex quo apparet primò, in
lege gratiæ solum dari præcepta de
Sacramentorum receptione vt do-
cet Angelicus art. 2. sequenti. Se-
condo dari præceptum de confessio-
ne externa fidei, sicut & prohibitio-
nem de eius negatione. Tertio se-
quitur, quod cum usus imaginum
nec dicat necessariam conuenien-
tiam ad gratiam interiorem, potest
enim Christus absque imaginibus
adorari ac coli, sicut & Sancti pos-
sunt venerari; nec rursus contra-
rietatem ad illam, vt nos probauimus,
sequitur inquam de illo non
extare Dei, seu Christi posituum
præceptum. Quod verò hoc exte-
rit in lege veteri, quoad eas pecu-
liares imagines, quas Deus fieri

iussit parum refert, nam maior erat
determinatio in illa lege, quam sit
in Eu angelica, vt ostendimus in
primo notando. Maximè quia vt
dicit idem S. Doctor art. 2. determi-
natio operum exteriorum in ordine
ad cultum Dei spectabat ad cære-
monialia præcepta legis veteris, eo
quia non sint necessariò connexa
cum gratia interiori; manifestum
est autem cæremonialia in lege
Euangelica cessasse.

68. Nunc aduersus secundam
& tertiam assertionem, quæ inter-
se sunt connexæ sentiunt omnes
sacrarum imaginum impugnatores,
quos infra cum de imaginum ado-
ratione sermo instituetur adduce-
mus. Argui autem nunc potest in
illas ex Concilio Constantinop. 5. Concl.
Concil. Constan.
quod imaginum usum damnauit.
secundo ex Synodo 6. can. 100. 6 Synod.
vbi pariter reprobari videntur pictu-
ræ. Respondeatur ad primum, quod
Concilium illud nullius prorsus est
authoritatis, cum nec legitimum,
nec ex autoritate Summi Pontificis
coactum, aut confirmatum unquam
fuerit, imò expressè rejectum. Nam
Leo 9. in epis: ad Michaelem cap: Leo Pon.
22. appellat illud nefandam Syno-
dum. Amplius Synodus 7. omnino
legitima, & Generalis celebrata
sub Adriano 1. præsidentibus eius
legatis, vbi acriter de imaginum
usu per plures actiones disputatum
est. Hęc inquam Synodus damna-
uit eius acta Concilij, vnde non est
cur ex eius testimonio vel leuiter
præmamur.

Ad secundum, dicendum nihil
prorsus in eo canone contineri Ca-
tholicæ veritati aduersum, quod
evidenter ostendimus dando om-
nia illius canonis verba quæ talia
sunt. Oculi tui recta aspiciant, & om-
nicustodia serua cor tuum; iub et Sa-
pientia; corporis enim sensus sua facile
in animam effundunt. Picturas ergo
q"e

Trident.

quæ oculos perstringunt, & mentem corrumunt, & ad turpium voluptatum mouent incendia nullo modo deinceps imprimi iubemus. Si quis autem hoc facere aggressus fuerit deponatur. Hoc ipsum decreuit Synodus Trident: sess: 25. prohibens in imaginibus quicquid ad lasciuiam, vel inhonestos motus potest commouere.

69. Deinde arguitur in hunc modum. Illicitum est Christi fideles habere aliquid commune cum Gentilibus præsertim in ijs, quæ ad materiam Religionis spectant, sed usus imaginum ac statuarum est in materia Religionis, & est communis Gentilibus, ergo erit illicitus, non verò honestus & expediens. Maior suadetur, tum quia sicut illicitum est fidelibus Christi communicare, quoad tempus celebrandi festum Paschæ cum Iudeis, ex hoc præciso titulo cōuenientiae iuxta id quod scripsit Constantinus Imperator Ecclesijs in hæc verba *Indignum plane videbatur, ut Sanctissimum istud festum, Iudaorum ritum & consuetudinem imitantes ageremus:* Et post pauca subdit, huius reddens rationem, *Nihil igitur sit nobis commune cum Iudaorum turba omniū maximè odiosa:* Vide Baron: tomo 3. Annal: Anno Christi 325. Ita videtur asserendum quoad præsens. Tum etiam quia ex tali usu ingenerari potest videntibus scandalum, cum præbeatur occasio existimandi Christi fideles idololatriæ cultui esse additatos. Minor & consequentia sunt ex se manifestæ.

Respondetur, quod si eiusmodi argumentum aliquid cōuinceret, probaret vtique etiam in lege veteri illicitum fuisse imaginum usum, quod tamen non probat, nedum enim ex Dei præcepto factæ sunt imagines, sed & Salomon plures ex illis in templo posuit: de quo numquam inuenitur à Scriptura,

Constant
Episc.

Baron:

Sancta redargutus. Deinde dicitur, non posse Christi fideles prorsus in omnibus discrepare à Gentilibus, alias nec templa Deo Sæctisque ereta deberent habere: cum ea Gentiles habuerint: idemque quoad cultum externum in nonnullis alijs contingere necessarium est. Cuius etiam ratio desumi potest ex eo, quod dentur non pauca ex se honesta, quæ solum ex prauitate finis, aut modi ijs vtendi vitientur: vnde hæc & Christi fidelibus & Gentilibus quæunt esse communia: cum hoc discrimine tamen, quod à fidelibus usurpentur quatenus dicentia honestatem, ablatoque omni erroris vitio, quo apud infideles fæabantur. Quod & evenit in præsenti, & ideo 7. Synodus act: 1. afferuit nefas omnino esse sacras imagines, Idola nuncupare.

70. Ad secundam probationem ex paritate illa desumptam dicendum ideo omnino inconueniens fuisse Christifideles conuenire in celebratione Paschatis cum hebreis quia celebratio eo determinato tempore facta pertinebat ad cærimoniale præceptum. Porrò legis veteris ceremonialia, nedum iam sunt antiquata, & mortua, verum etiam mortifera, ita vt absque peccato obseruari nequeant vt eruditè explicat Noster Dominicus à Sanctissima Trinit: lib: 4. Biblioth: Theol: sec: 10. cap: 6. concl: 2. adeoque oportuit talem ritum abrogari, & consequenter in celebratione eius fæsti Christianos à Iudeis dissentire. Quam peculiarem rationem in præsenti non vrgere est per se manifestum. Quod demum affertur de periculo scandali facile diluitur, tum quia Christifideles probè norunt cultus idololatrici vanitatem, eosque habere talem cognitionem, fatis notum est etiam ijs, qui à Catholica Religione sunt alieni, vnde huius

7. Synod.

N.Dm.

huius criminis vix possunt ab alijs insimulari. Nec refert, al iquos omnino ignorantes puritate & certitudine prædictæ Religionis sumpsiſſe inde occasionē tribuendi Catholicis tale crimen, vel enim ex malitia, vel ex crassa ignorātiā procedit, adeoq; inculpandi ſunt, qui absque ſufficienti examine temerariè iudicant orthodoxos, idololatras eſſe, cum facile poſſint edoceri de veritate. Idque ineuitabile eſt in nonnullis alijs Christianæ Religionis mysterijs, nonnullos enim ſcandalum pati videmus, ex eo quod audiant Christianos adorare ut Deum hominem Crucis ſuſſum, quare ſicuti quoad hanc adorationem contemnitur infidelium ſcandalū, ita quoad praesens.

71. Ultimò contra easdem, assertiones argumentari poſſumus, quia ſi ob aliquam rationem, ne- dum honeſtum, verum etiam expe- diens eſſet fideles vti imaginibus ſenſibilibus Christi & Sanctorum, vtique ea eſſet ob naturalem conditionem hominis, cuius eſt proprium per ſenſibilia ad ſpiritualia gra- dum facere, atqui eiusmodi ratio- nium probat, ergo non videtur aliquid conuincere. Maior conſtat ex ijs quæ ſupra fuſe diximus. Mi- nor probatur, quia ſi eiusmodi ratio eſſet efficax conuinceret etiam, quod durante Innocentiae ſtatu fu- turus fuſſet uſus talium imaginum, cum naturalia poſt peccatum inte- gra remanferint, adeoq; eadem fuerint in eodem innocentiae ſtatu, & fuſſent ſi hic perſeueraſſet, vide- tur autē falſum, quod durante ſtatu innocentie futurus fuſſet prædi- catus uſus, nā ut docet S.Th: 3.p.q.6 art. 2. in eo rectiſſimo ſtatu Superio- ra inferioribus dominabantur, & nul- lo modo dependebant ab eis, ſicut enim mens ſuberat Deo, ita menti ſuberant inferiores anime vires, & ipſi anime corporis: contra hunc autem ordinem,

effet ſi anima perficeretur vel quantum ad ſcientiam, vel quantum ad gratiam per aliquod corporale. Non debuiffent ergo in eo ſtatu dari imagines cor- poreæ, per quas humanus animus, vel quantum ad ſcientiam, vel quantum ad amorem eorum, quæ per imagines repræſentabantur, perfice- retur. Conſequentiā conſtat.

Hoc argumentum consultò pro- posuimus, vt daretur occasio bre- uiter explicādi quid ſentiamus cir- ca uſum imaginum respectu prædi- cti Status Innocentis, adeoque non teneremur peculiare dubium exci- tare. Sermo autem erit de omni imagine, nempe Dei unius & Trini, Angelorum, Christi, & Sanctorum. Pro quo ſciendum indubitatum eſt iuxta doctrinam S.Tho: 2. 2. quæſt. 2. art. 8. Adamo in ſtatu Innocentiae reuelatum fuſſe mysterium Tri- nitatis, oportet enim hoc cognosci cognito Incarnationis mysterio ut ibi probat S.Tho: nam in mysterio Incarnationis clauditur, quod Filius Dei carnem affumpſerit, & quod ſit conceptus de Spiritu Sancto, cognito autem filio, oportet & Patrem, eius correlatiū cognosci, & confe- quenter opus eſt habita notitia my- sterij Incarnationis, mysterium Tri- nitatis innotescere: & quia, vt oſte- dit idem Angelicus art. 7. eiusdem quæſtionis Adam in ſtatu Innocentiae Habuit explicitam Fidem de In- carnatione Christi ſecundum quod or- dinabatur ad conſummationem glorie: manifeste indē ſequitur eidē inno- quuisse Trinitatis mysterium. Eſt autē manifestum hanc cognitionē, quoad mysterium Trinitatis duraturā per- durante Innocentiae ſtatu, ab Adamo enim communicata fuſſet filijs, & nepotibus in eodem ſtatu naſcituris. Ideque dicendum de cognitione Angelorum, quorum notitiam ha- buiſſe eundem Adamum Innocen- tem, docuit S.Tho. 1.p. q.94. art. 2.

S.Thom:

S.Thom.

S.Thom.

S.Thom.

Quan-

72. Quantum ad Christum Dominum, etiamsi in Schola Thomistica certum sit, Adamo non peccante, Verbum Diuinum non fore incarnandum, quia tamen non est improbabile, durante Innocentiae statu idem Verbum assumpturum carnem impassibilem, adeoque futurum gloriae consummatorem, quo modo assertit Angelicus Præceptor de facto reuelatum fuisse Adamo innocentis, ideo iuxta probabilitatem huius sententiæ loquemur. Nam iuxta modum dicē di Thomistarum certum est non futurum fuisse usum imaginis Christi, ex defectu prototypi. Demum loquendo de Sanctis hominibus, supponimus, eo durante statu non defuturos, nam vti ostendit Angelicus Doctor eadem p. p. quæst 96. art. 3. cum homines innocentes liberè operaturi fuissent, vtique quidam magis profecissent in iustitia, quam alij, vnde & ea innocentis tempestate virorum aliqui egregia floruerint Sanctitate, non vero alij. His præsuppositis.

Respondet ad argumentum concedendo maiorem, & negando minorem, credimus enim eo durante statu, futurum fuisse usum, sacrarum imaginum; & quidem si fuerit sermo de usu imaginum absolute sumpto, non defuturum pro eo statu docuit, incidenter tamen, P. Suar: tomo 3. in 3. partem disp: 3. sec. 3. non longè à principio impugnans S. Tho: rationem adductam 3. p. quæst. 61. art. 2. cuius verba in arguento dedimus. Dicimur autem ad ita existimandum, quia cum prædictus usus imaginum nihil lumini naturalis rationis adversum exprimat, & aliunde consentaneum sit homini, in quo cumque statu sumatur, ex sensibilibus duci ad cognitionem insensibilium, vt mox dicemus, nullatenus apparelt aliquid rectissimo illi

statui incongruum. Et sanè cum aperte docuerit Angelicus Præceptor citata nuper quæst 94. art. 2. hominem innocentem in intelligendo habiturum dependentiam à phantasmatibus, inquit enim: *Competit animæ nostræ talis modus intelligendi, qui est per conuersationem ad phantasmata. Vnde hic modus intelligendi etiam animæ primi hominis competebat; ex quo deducit Adamum innocentem Angelos per essentiam non vidisse. Cum inquam Innocens homo in intelligendo à phantasmatibus habuerit dependentiam, & phantasmata sint quædam internæ, & corporeæ imagines: nulla apparet repugnatia in eo, quod eiusmodi interiora simulacra in externa aliqua materia efformaret maximè cum in eo nobilissimo statu nullum posset ex talium figurazione imaginum Idololatriæ periculum suboriri. Aliundè etiam picturæ ars excellētissima est, vtpotè admodum ingeniosa, qua supra ostendimus sēpissimè naturam eiusque authorem vti, & tandem per illam defectui humanae limitationis non leue adhibetur remedium, vt dicebamus supra n. 61.*

73. Supereft nunc, vt occurramus probationi minoris ex verbis S. Tho: desumptæ. Et primò respondet Caiet: in citatum ar: S. ad obiectiōnem. dicendo S. Doctorem loqui ibi de Adamo tantum, non verò de omnibus hominibus, qui futuri fuissent in statu Innocenti; in Adamo enim militat peculiaris ratio, quia ipse ex speciebus nō acquisitis ex sensibus, sed infusis à Deo procedebat, & ideo propriè non dependebat à phantasmatibus, sed vtebatur phantasmatibus, vt inferioribus sicut anima vtebatur corpore subdito. Sic ille. Verū solutio non satisfacit, quia vt appareat ex corpore articuli S. Doctor loquebatur de statu Innocen-

S. Thom.

P. Suar.

S. Thom.

Caiet.

DISPVTATIO IV. DVBIUM III. 201

Innocentiae, in quo asseruit non futura fuisse Sacra menta, ait enim s.Thom. Respondeo dicendum, quod in statu innocentiae ante peccatum Sacra menta necessaria non fuerunt; loquitur ergo vniuersaliter de statu, ac de hominibus pertinentibus ad illum, de quibus reputat inconueniens perficiendos fore sue quoad scientiam, siue quoad gratiam, ab aliquo corporeo & sensibili, cuiusmodi sunt Sacra menta à Christo instituta.

Itaque videtur melius dicendum S. Doctorem solum negare innocentes homines in intelligendo habituros dependentiam à corporeis, tanquam à perficientibus, non verò negare dependentiam ab illis, tanquam à famulis, & ministris omnino subditis intellectui Innocenti: aper tissimè enim dependentiam aliquam à corporeis tribuit hominibus in statu innocentiae intelligéibus p.p. q.94.art.2.citato. Ut verò id melius percipiatur nota hominem in quocumque prorsus statu pendere in intelligendo à phantasmatibus, adeoque à corporalibus, quia in omni prorsus statu anima humana est forma corporis, vnde ortum dicit talis dependentia: id tamen aliter contingit in statu naturæ lapsæ ac contigisset in statu innocentiae: In praesenti enim statu phantasmata & coporea sic seruiunt intellectui, ut illi etiam dominantur, experimunt enim sè nos imaginari, quæ nollemus, vnde inuiti subdimur imaginationi, & consequenter coporea non purè seruiunt spirituali intelligentiae. Tum rursus quia vehemens imaginatio sèpè numerò rationem

anteuertit, eamq; rapit ad sensibilia, vnde exercet munus superioris.

74. Cæterum hæc in statu innocentiae non euenissent non enim excitaretur phantasma nisi ad imperium rationis, sicut nec motus appetitus sensitivi, hinc numquam posset iudicium rationis præuenire, ac rapere: & consequenter & phantasmata, & omnia corporea purè seruirent, nullatenus dominarentur Ex quo sequitur quod rigorosè loquendo homo innocens non perficeretur à corporalibus, quoad cognitionem, & iustitiam, quia propriè loquendo perficiens superius est nō inferius ac mære ministrans. Adde vt optimè aduertit S. Doc: p. s.Thom. p. quest. 94 art. 2. quamuis Anima primi hominis in cognitione Angelorum penderet à phantasmatibus. Excellentiorē tamen cognitionem habebat de eis, quam nos habeamus: quia eius cognitione erat magis certa, & fixa circa interiora intelligibilia, quam cognitione nostra & propter tantam eminentiam dicit Greg: cap: 1. Dialog: n. 4. quod intererat Angelorum spiritibus. Ex quo habes corporea in statu innocentiae se habitura vt purè ministrantia, non verò vt perficiencia, minoremque futuram prædictam dependentiam in statu innocentie, quam modo sit. Et hoc modo conciliantur hæc duo loca S. Tho: quæ videbantur contraria; nec sequitur aliiquid oppositum ei quod asseruimus; nam usum Sacrarum imaginum ponimus in statu innocentiae ad purè famulandum cognitioni illius status.

DISPUTATIO V.

DE IMAGINVM ADORATIONE.



ACRARVM Imaginum usus non alio tenit, quam exercendæ circâ illas adorationi: demonstrata itaque honestate prædicti usus, quod disputatione præcedenti præstitimus, statim se offert examinanda honestas adorationis earumdem, cui præsentem damus disputationem. Res sanè diligentí calamo pertractanda, cum aduersus illam insurrexerint vniuersè pœnè Infidelium turmæ. Nulli proindè labori parcendum, vt magni adeò momenti difficultas, quantum nostræ tenuitati possibile fuerit, explicata relinquatur.

DVBIVM PRIMVM.

§. I.

Vtrum Sacrae Imagines licet exponantur in Templis, & adorentur?



VO in titulo dubij præsentis in controvèrsiā vocamus, in primi enim decisione non multū immorabimur; imò ex secundi probatione manifestum relinquetur: singillatim tamen vtrumque pertractabimus, claritas etenim, quam distinctione parit, id omnino exponscit.



Duplici assertione dubij nodus dissoluitur.

I. **D**icendum est primò. Sacre Imagines licet in templis Christi fidelibus exponuntur. Hæc assertio quā omnes Theologi Catholicæ veritatis assertores tuentur, primò suadetur ex antiquissima consuetudine à primis sæculis exorta, & usque ad præsentem ætatem continuata prorsus serie perducta. Idque constat ex Tertulliano lib. de Pudicitia cap. 7. & 10. vbi mentionem facit Imaginis Salvatoris, qui sub Pastoris specie in Sacris Calicibus exprimi consuetum erat: ex quo apparet, quod si honeste Sacratissima ea vasa, in quibus vinum in Christi Sanguinem conuertitur, sacram eam præseferebant imaginem, utique à fortiori sequitur in templis honestum esse fidelium pietati sanctas exponere imagines.

Probatur rursus ex Epistola Adria-

P. Vaf. Adriani I. Summi Pontificis, ad Constantiū Imperatorem, & Ireneū eius Matrem in hæc verba scribentis. *Quam ob causam & historias imaginum illorum Christi videlicet & Sanctorum, de quibus ibi est sermo honoro & palam adoro: hoc enim nobis traditum à Sanctis Apostolis, non est prohibendum, sed in omnibus Ecclesijs nostris eorum historias erigimus.* Habetur autem eiusmodi epistola tomo 3. Conciliorum pagina mihi 474. Plura alia quæ adduci possent omittimus, quæ videri possunt apud Vasq: tomo 1. in 3. p. disp: 105. cap: 1.

Exod. Probatur demum ratione habente fundatum in Sacra Scriptura. In lege veteri Deus præcepit Moysi sacras duorum Cherubim efformare imagines, easque collocare ex utraque parte oraculi, ergo honestissimum quoque erit in lege gratiæ Sacras imagines in templis expondere. Antecedens euidenter constat ex illo Exodi 25. vbi Deus loquens Moysi in hunc modum ei præcepit *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi.* Consequentia liquet, nam cum Sacratissimo eo in loco præceperit Deus exponi Cherubim imagines, utique id maximam præferebat honestatem: maximè ergò licitum erit in templis Catholicorum Sacras pendere imagines: cum harum usus visitatio sit in lege gratiæ, quam in eadem veteri lege. Vide rursus quæ dicuntur cap: 7. lib: 3. Regum vbi legitur Salomonem constituisse in templo Dei plures Sacras imagines, de quo nullibi reprehensus inuenitur. Maior huius assertionis probatio constabit ex dicendis, si enim imagines sunt adoratione dignæ, ut probabimus, nullibi melius, quam in templis, quæ sunt quædam in theatra pietatis, in Dei & Sanctorum honorem erecta, collocantur.

De Imaginum Adoratione.

2. Dicendum est secundò quamvis nullum extet præceptum de adoratione sacrarum imaginum, illas tamen propriè loquendo adorare honestissimum est. Prima huius assertio pars constat ex ijs, quæ disputatione præcedenti de imaginum usu dicta sunt: debet tamen intelligi per se loquendo, nam posito quod aliquis versaretur inter Iconomachos ad profitēdam veritatem Catholicam teneretur illas, adorare; immò etiam inter Orthodoxos, si ex negatione talis adorationis oriretur scandalum, nempè hæresis suspicio. Circà eandem etiam notandum occurrit, quod semel supposito honestum esse sacras venerari imagines, datur naturale præceptum de non irroganda eis iniuria. Et ratio huius videtur esse, quia cum idē sit motus in imaginem, & in illius prototypum, in istud retriqueretur iniuriæ sacræ imagini irrogatae, atque adeo violaretur præceptum à lumine naturali dictatum de non inferenda alicui iniuria. Ita quoad hanc partem assertiois communiter sentiunt, qui de hac materia scripsierunt.

Secunda eiusdem assertiois pars quatenus in ea asseritur, honestum esse debitam venerationem Sacris exhibere imaginibus est de Fide, Concilium enim Tridentinum præscribens fidei professionem emittendum à Prælatis, Prelectoribus & alijs, hæc inter alia apposuit *Firmissimè assero Imagines Christi, ac Deipara semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, ac retinendas esse, atque eis debitum honorem, & reverentiam impertiendam.* Eandem veritatem comprobant perpetua, ac constans Ecclesiæ Catholicæ traditio; & licet nequeat ex Sacrae Scripturæ expressa autoritate comprobari, ex illa tamen non obscurè colligitur; nam Deus in

veteri testamento res etiā inanimes voluit valde apud hæbreos in honore haberi. Arca enim fæderis vtique erat quid inanime & tamen , nisi id Scriptura Sancta apertè assenseret, incredibile fortè putaretur quantum reuerentię , & cultus voluerit Deus illi exhiberi . Legatur Iosue cap: 3. & inuenietur , populo fuisse præceptum , ne Arcæ appropinquaret; quod vtique maximam veneracionem illi conciliabat. Rursus quod mirabilius est 1. Reg: cap: 6. habe-

1. Reg. tur quamplurimos Bethsamites fuisse à Deo percussos , eo quod vidissent Arcam Domini. Oza etiam 2.

2. Reg. Reg: 6. mortuus est vt lueret pènam quam incurrerat in eo quod calcitrantibus bobus , eam tangere , ac sustinere voluerit : idque contigit , quia cum non esset Sacerdos temerariè illam attingere præsumpsit , vt notauit author de mirabilibus Sacre Scripturæ apud S. August: lib: 2.

S. Augu. cap 14. Si ergo tantum honoris rei inanimatae ac mysteria Diuina figuranti Deus voluit attribui , satis efficax , inde habetur argumentum , valdè honestum posse esse Sacris imaginibus , Sancta admodum prototypa repræsentantibus , & eorum vices gereutibus honorem , & reuerentiam deferre .

3. Ad eandem pariter veritatem confirmandam extant aliquæ Sacrorum definitiones Conciliorum . Nam sub Gregorio 3. Summo Pontifice , qui Christi gessit vices anno reparatæ salutis 732. cum Leo Isaurus Imperator aduersus imagines , eorumque cultores deseuiret , predictus Pontifex indixit Romæ Concilium Episcoporum (loquitur Baronius anno adducto) quo , pri-
mum omnium ad confirmandas Patronum antiquas traditiones , de cultu Sacrarum imaginum , decretum constituit , quod constitutum appellant , quo diro anathemate feriunt omnes , qui eidem aduer-

sarentur. Idem rursus Baronius ad annum Christi 769 . asserit sub Stephano Papa 4. celebratum fuisse , Romæ aliud Concilium , de quo hæc subdit *Ad postremum uero, quemcumque aduersus Sacras imagines Constantinopoli decreta fuissent , statuit Sancta Synodus esse penitus irrita.* Porrò Synodi huins licet acta non extant , tamen loco ipsorum suppetunt , quæ apud Anastasium Bibliothecarium sunt scripta. Et qua in epistolis Adriani Papæ leguntur. Paucis deinde interiectis , hæc iterum scribit de eiusdem Cœcilij Patribus Subtilius multum perindagantes statuere magno honoris affectu ab omnibus Christianis ipsas esse venerandas imagines ; sicut ab omnibus prædecessoribus huic Apostolice Sedis , & cunctis venerabilibus Patribus usque hactenus de eadem honoris obseruantia , & cunctis ad memoriam compunctionis est traditum; Videri etiam potest Scriptura Adriani Papæ 1. ad Carolum Regem Francorum & Longobardorum tomo 3. Conciliorum pagina mihi 605. Dare voluimus expressa verba Baronij , quia in alijs authoribus animaduertimus irrepsisse aliquos errores in adducendis authoritatibus .

4. Probatur rursus ratione assertio , secundum quod in ea asseritur absolute loquendo honestum esse Sacris imaginibus debitam deferre reuerentiam. Imagines Regum , & Principum huius sæculi sunt honore , ac reuerentia dignæ , ergo hoc ipsum de Sacris imaginibus dicendum. Antecedens nec ab impugnatoribus Sacrarum imaginum negari potest , vniuerso humano genere clamante , ita rem se habere. Apertissimè etiam conuincitur , auctoritate S. Athanasij , qui vt vidi mus disp: præced: n. 53 . inducit Regis imaginem sic spectatores sui alloquentem. Ego & Rex unum sumus &c. Tum demum , quia contra-

ria nata sunt fieri circa idem, manifestum est autem ex historijs Reges vltos fuisse iniurias proprijs imaginibus illatas, vnde constat eas capaces esse iniuriæ, & contumeliam; adeoque idem dicendum erit de earum contrarijs nempe honore, & reuerentia.

Consequentia liquet, tum quia se penumerò, & non inefficaciter ab humanis ad Diuinam, seu ad ea quæ sunt Diuini ordinis argumentamur, est enim humana ratio gratiæ emulatrix. Tum quia, idcirco predictis Principum Regumque imaginibus honor politicus, ac ciuilis defertur, quia in earum prototypis excellentia politica, seu ciuilis inuenitur; ex istis autem ad proprias imagines tanquam ad vices eorum gerentes refunditur, ex quo fit quod cum in Sacrarum imaginum prototypis Sanctitatis supernaturalis excellentia effulgeat, hec etiam deriuabitur ad imagines, tanquam ad sui ipsorum vicarias: non enim minoris imò maioris efficacie est sanctitatis dignitas, quam humana excellentia, cum illa sit perfectior ista: & per consequens utrobique eadem redundantia erit admittenda.

5. Respondent haeretici vt refert P. Vasq: tom. primo in 3. p. disp: 106. cap. 3. circa finem, veneratione illam exhibitam Imperatorum Regumque imaginibus esse dumtaxat cultum quendam politicum, & ciuilem, quem etiam nostræ etatis haeretici tribuunt Sæctis: ex quo non est inferendum deferendam sacris imaginibus adorationem aliquam supernaturalem, & Diuini ordinis, de qua nunc est sermo. Idque magis nos vrgere possumus in hunc modum, nam ciuilis excellētia omnino inferioris ordinis est ad supernaturale: quare illa cōmunis esse poterit & Regibus, & eorum imaginibus. Secus loquendo de excellentia su-

pernaturalis Sanctitatis, cuius res inanimatæ nullo modo sūt capaces sed dumtaxat suppositum rationale.

Primam huius euasionis partem optimè expugnat P. Vasq: loco adducto. Enim uero, si Regis simulacro honestè ciuilis adoratio debetur, ex hoc quod idem adorationis cultus Regis defertur Personæ: simili prorsus modo, cum personis Sanctitate supernaturali excellentibus sacer, ac supernaturalis cultus tribuatur, idem pariter erit earum imaginibus tribuendus, non verò merè politicus ac ciuilis. Preterea hoc effugiū applicari non potest imaginibus Dei, & Christi Domini: Quis haereticorū enim audeat afferre Deo & Christo Domino ciuilem politicumue dumtaxat cultum esse deferendum?

Quod etiam addidimus, non minus efficaciter refelli potest; siquidem etiam excellentia sanctitatis est suo modo rebus inanimatis communicabilis. Quod primò redditur manifestum ex eo, quod supra dicebamus de Arca fæderis, quam quid in anime fuisse nemo ambigit, & tamen fuisse maximè sanctam declarat maxima ea veneratio, qua à Iudeis colebatur. Secundò id ipsum declaratur, exponendo modum, quo eiusmodi Sanctitas à prototypo in sui imaginem potest deriuari; hic autem est duplex. Primus situs est in eo quod imago & eius exemplar, moraliter loquenda, pro uno eodemque sumantur, vt fusi infra ostendemus, quamvis physicè loquendo reipsa distinguantur. Vi ergo huius moralis unitatis inter imaginem & sanctam personam, moraliter loquendo una res Sancta consurgit, & consequenter una eademque Sanctitas est utriusque, morali modo, communis, atque adeo utriusque sacram eamque supernaturalem.

3. Reg.

ralem adorationem deferre honestè possumus. Secundò fit eiusmodi redundantia, ex peculiari quadam assistentia, quam habent Sancta prototypa proprijs imaginibus ea representantibus: ex hoc enim quod huic representationi fuerint dedicatæ, aliquam sanctificationem ex tali destinatione, & famulatu accipiunt. Neque id singitur, sed maximo cum fundamento asseritur: habetur etenim ex Sacra Scriptura, templis in Dei honorem erectis peculiari quodam modo Deū ipsum assistere, eaque singulari sanctificatione ex tali presentia sanctificari; quod constat ex illo 3. Regum cap: 9. vbi habentur hæc verba ab Ieodem supremo Numine prolata. *Sanctificauit domum hanc quam edificasti, ut ponerem nomen meum ibi in semperitnum: & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Quo nihil expressius ad confirmādā nostrā doctrinā dici potest. Imò similia in Sacra pagina sēpē sēpius offendit.

S. Thom.

6. Adde ad maiorem adductæ euasionis impugnationem falsò supponi imaginibus Principum & Regum, ciuilem dumtaxat tribui venerationem: tribuenda est enim ijs etiam sacra & supernaturalis; pro cuius luce notandum ex Angelico Præceptore in 3. dist: 9. quæst: 2. art. 3. Prælatis omnibus, quamuis sceleribus obnoxijis deferendam esse reuerentiam, ex hoc quod à Deo constituti sunt ad induendum, vel conseruandum virtutem. Et sic debetur omnibus Prælatis (adoratio videlicet, de qua ibi loquebatur) qui ad hoc ordinati sunt ut alios dirigant in virtutem. Eiusmodi ergò excellētia, quæ ad virtutem spectans Diuini ordinis est: nam vt ibidem asserit Sanctus Doctor virtus Diuinus nos facit. Talis inquam excellētia æquè ac temporalis dignitas re-

dun dat in imaginem Regis, & vi illius reuerentia supernaturalis ei est deferēda. Quapropter hoc ipsum à fortiori de Sacris imaginibus asserendum. Sed hęc ex dicendis euidentiora reddentur. Vnde amplius non immoramus.

S. II.

Alia pars secundæ assertionis ratione conuincitur.

7. **C**onsultò in secunda assertione addidimus particulam illam *propriè*, sunt enim Catholicorum aliqui, afferentes sacras imagines esse cultu & adoratione dignas: aiunt tamen eam adorationem esse dumtaxat equiuocè & abusuè talem: idque duobus modis declarari potest. Primò ex parte imaginis, ita vt hæc nullam prorsus ratione sui terminet adorationem, nec etiam propter aliud, ad quod indispensabiliter ordinatur; vnde imago est purum medium, per quod adoratio transit ad prototypum, adeoque istud solummodo propriè adoratur, imago solum abusuè. Secundo ex parte adorantis, ita vt solummodo externum, nullatenus internum adorationis actum in imaginem dirigat. Et quia externus actus est solummodo umbra quedam actus virtutis, idcirco iuxta hunc dicendi modum, imago solum abusuè, ac minus propriè dicitur adorari, cum adoratio dicat verum virtutis actum. Vtique huic opinioni aduersatur nostra assertio per eam particulam *propriè*. Vnde quoad hanc partem erit probanda. Eam autem docet P. Suar: tomo I. in 3. p. disp: 54. sec: 3.

Probatur ergò primò in hunc modum. Concilia & Patres absolute afferunt imagines esse adorandas,

&

& contrarium sentientes anathemate feriunt, ergo tenendum imagines propriè loquendo, tum ex parte imaginum, tum ex parte actus esse adorandas. Antecedens legenti Conciliorum, ac Patrum asserta erit manifestum. Consequentia suadetur, nam si imagines solum abusivè & impropriè essent adorandæ, absolute dicendum esset, eas non deberi adorari: sicut hominem pictum, qui est æquiuocè homo, satis impropriè absque addito dicetur homo. Maximè quia, ut ex Baronio supra n. 3. retulimus valde subtiliter Patres hanc difficultatem pertractarunt, & consequenter cautè admodum loqui debuissent: vnde si propriè non essent adorandæ imagines, creditu dignum non est, absolute eos pronunciasse deberi imaginibus adorationem.

8. Secundò probatur alia ratione, breuiter tamen aduertendo, quod non hoc ipso quod aliquod obiectum nequit terminare actum, nisi cum dependentia ab alio extrinseco obiecto, oportet quod in ipso cesseret omnis ratio intrinseca proximè terminans eundem actum; sed dumtaxat ex tali dependentia inferatur, quod ea proxima ratio terminandi pendeat radicaliter ab illo extrinseco, ita ut sine respectu ad istud nequeat rationem proximam & intrinsecam terminandi exercere. Declaratur hoc exēplo mediorum & finis, iuxta sententiam N. Salmanticēsum Trac: de vlt: fine disp: 1. dub: 1. quam etiā permulti, iisque non ignobiles Theologi veram sententur; docet autem hæc sententia, media importare intrinsecam bonitatem distinctam omnino à bonitate finis: fieri tamen non potest, ut eiusmodi bonitas intrinseca mediorum terminet actum electionis, quem specificat, nisi dependenter à bonitate finis, ad cuius aſſecutio-

nem conducit. Ex quo fit bonitatem intrinsecam mediorum pendere à dupli ratione formalis sub qua, harum vna est omnino proxima & intrinseca, ac sibi omnino propria, & consequenter etiam intrinseca obiecto quod talis actus. Alia est ratio formalis sub qua radicalis, à qua oritur illa proxima & formalis, & hæc non debet esse proximo obiecto intrinseca, sed sufficit quod per ordinem ad illam, ac dependenter ab ea, tanquam à radice suæ intrinsecæ attingibilitatis respiciatur, & hæc est bonitas finis, cui ea ratio radicalis terminandi est intrinseca, à quaque sumitur ea proxima. Et si queratur in quo sita sit eiusmodi intrinseca bonitas mediorum, dicitur esse ipsam conducentiam ad finem, ex hoc enim quod dicant tamē conducentiam in ordine ad consecutionem finis, dicunt ad hunc intrinsecam conuenientiam, & consequenter etiam conuenientiam aliquam ad appetitum, cum enim huic conueniat finis, qui appetitur oportet etiam quod intrinsecè conueniat omne id, quod intrinsecè conuenit fini: & quia bonum est quod omnia appetunt, atque adeo quod dicit conuenientiam cum appetitu inde manifestè habetur media dicere intrinsecam bonitatem, ex hoc quod dicant intrinsecam conuenientiam: quia tamen secundaria est, indispensabiliter pendet à primaria, quæ solius finis est propria. Vide si placet N. Salmam: ibi, & dub: 4. n. 93.

9. Hac præsupposita doctrina, In hunc modum rationem nostram efformamus: Imagines Sacre habent intrinseca m aliquam rationem terminandi adorationem, Iquamvis ea ratio indispensabiliter pendeat à Sanctitate intrinseca exemplaris, ergo terminant adorationem propriè loquendo, tum ex parte sua cum

tū ex parte illius. Antecedens quō ad primam partem suadetur, tum, quia sicuti media hoc ipso quod dicant intrinsecam conducentiam ad finem, adeoque conuenientiam cum illo, & consequenter cum appetitu dicunt intrinsecam bonitatē: non dissimiliter & Sacræ imagines, cum ducant in cognitionem sancti exemplaris, ad quod repræsentandum sunt institutæ, dicent vtique aliquam conuenientiam cum sanctitate, & excellentia eius, quod repræsentant, & vi huius conuenientiæ habebunt aliquam intrinsecam sanctificationem, saltem moraliter loquendo vndè & dicent intrinsecam rationē terminandi adorationem. Tum etiam, quia medium, idcirco dicit intrinsecam eam bonitatem, quia eam conducentiam ad finem dicit ex natura sua; non enim utilitas illa, quæ est bonitas intrinseca eiusdem, dependet ex extrinseco actu electionis voluntatis, sed illum præcedit, nam medium nō est utile quia eligitur, sed ideo eligitur, quia supponitur utile ad finem consequendum. Hoc autem contingit in Sacris imaginibus: hæ enim per se loquendo sunt signa naturalia exemplarium, quibus assimilantur; vndè, et si præsupponatur artificiū, vi cuius similes efformantur, hoc tamen supposito naturaliter significant prototypa, quod omnes Summulistæ asserunt. Diximus autem per se loquendo, nam per accidens est hanc vel illam imaginem suo prototypo non assimilari, de his autem, quæ sunt per accidens non est valdè curandum.

Secunda autem eiusmodi antecedentis pars est satis per se nota, imago enim omnino ex sui natura est propter prototypū, & ab eo indispensabiliter pender, & quæ ac bonitas mediorum, quæ tota est propter finem consequendum, sicut

illa propter exemplarū repræsentandū; hinc imago negato respectu ad sanctitatem eius quod repræsentat omnino est inadorabilis. Consequētia, quoad primam partem constat; nam posita intrinseca ratione terminandi adorationē in imagine, non est cur ex parte sui cum omni proprietate, modo dicto, non terminet adorationem, vt patet in medijs, quibus concessa propria bonitate intrinseca, omnino conceditur ex parte sui terminare propriè loquendo electionis actum, idemque inductione in alijs probari posset. Quoad secundam etiam videtur omnino certatum exemplo allato de medijs: tum quia probato dari ex parte obiecti rationem intrinsecam potentem terminare actum internum adoracionis, qualis est aliqua intrinseca sanctificatio, malè negatur eundem internum actum circa illam versari. Sicuti enim hoc ipso quod in Personis Sanctis ponatur intrinseca excellentia Sanctitatis, quæ est propria ratio terminandi eundem internum actum, irrationabiliter negaretur hunc ad personas Sanctas terminari. Ita quoad præsens proportionē seruata. Sed hæc omnino pendent ex dicendis in dubijs sequentibus, cum ostendemus quem adorationis actum sacræ imagines terminent, & sub qua acceptione cōsiderari debeat.

10. Dices fortè ex doctrina aduersariorum negandum esse antecedens nostræ rationis, nam ex hoc quod imagines ducant in cognitionem prototypi, & ad illud repræsentandum sint instituta, habetur dumtaxat eas esse signa, ad quorū præsenitam reuocantur in memoria exemplaria, quæ proindè propriè loquendo adorantur, imagines verò non nisi abusu, & impropriè.

Verum hæc responsionem neruo-

p.Suar. sè impugnat P. Suar: loco adducto. Tum quia ea admissa , melius loquerentur hæretici negantes imagines esse adorandas , sed tantum earum exemplaribus tribuendam venerationē quam Catholici absolute dicentes esse colendas. Nam sicut ex eo quod speciositas alicuius creature excitet nos ad laudandum Creatorem, certè talis laus propriè non habet pro obiecto creaturam, sed Creatorem. Ita esset quoad præfens . Deindè quia in 7. Synodo grauissimè reprehenduntur asserentes , imagines esse quidem retinendas , non tamen propter adoracionem , sed solummodo ob memoriam. Demum , quia in eadem Synodo asseritur imaginibus Christi non deberi summam latrām , qua adoratur Christus ; quod tamen omnino falsum esset si adoratio solum propriè loquendo ferretur in Christum .

7. Synod. Adde in eadem septima Synodo, actione quarta , pagina mihi 508. haberi hæc verba de imaginibus: *Tharasius Sanctissimus Patriarcha dixit ad numerata sunt Sacris vasis venerabiles imagines. Sancta Synodus dixit. Clarum est Nemo autem dicet Sacra vasa, ut calices & similia non esse ex proprijs meritis digna aliqua veneratione propriè dicta , non enim ea veneramur ea reuerentia , qua colimus Sanguinem Christi , sed vtique alia inferiori eorum propria. Quod declaratur à contrario; etenim maioris prorsus criminis sacrilegij damnaretur irreuerenter tractans species vini, quibus subsist Sanguis Christi , quam irreuerentiam irrogans calici, qui ex præterito contactu prædictarum specimen redditus est venerabilis : igitur cum contrariorum eadem sit disciplina , sicuti duplex est irreuerentia assignata : ita & duplex adoratio.*

II. Deinde prædicta responsio
.. *De Imaginum Adoratione*

exclusa relinquuntur ex probationibus antecedentis nostræ rationis . Quæ magis corroborari possunt , & simul impugnari adducta solutio . Breuiter notando , quod dupliciter aliquid pendere potest ab aliquo extrinseco ; primò vt à purè extrinseco, ex quo proindè nihil ponatur, seu resultet in eo quod à se pendet , sic paries ut visus pendet à visione , quæ merè extrinsecè se habet ad illum , nihilque prorsus in eo resultat , sed nuda tantum denominatio extrinseca . Secundò ita ut ex assistentia alicuius extrinseci consurgat in re cui assistit , & quam denominat aliqua habitudo intrinseca ad assistens: hoc modo locus extrinsecus assistit locato , cum in hoc resultet intrinseca vbiatio , quæ est ipsamet commensuratio locati ad locum ; idemq; proportione seruata contingit in alijs quinq; ultimiis prædicamentis , & iuxta hunc sensum Angelicus Præceptor opus. 58. tract. 6. cap. 1. dixit sex ultima prædicatione esse denominationes extrinsecas . Hoc igitur præsupposito.

s.Thom.

In hunc modum argumentamur. Quamuis Sæcum exemplar sit quid extrinsecum respectu imaginis , adhuc in ista ponitur intrinsecus respectus trascendentalis ad idem exemplar , sed vi huius terminat propriam adorationem distinctam ab ea , quam terminat exemplar, quam ab isto semper sit dependens, ergo falsum est abusuè adorari imagines , quatenus ad earum præsentiam reuocentur in memoriā exemplaria , quæ solum propriè loquendo adorētur. Maior quoad primam partem constat. Quoad secundam suadetur , quia imago dicit vim intrinsecam repræsentatiuā sui exemplaris , siue hoc quod est ex natura sua dicere facultatem ad ducendum in illius cognitionem: eo modo, quo supposita existentia loci extrin-

D d feci

seci ponitur in locato intrinseca
vbicatio, seu commensuratio illius
ad locum. Minor suadetur, nam si-
cūt intrinseca illa vbicatio est ratio
formalis terminādi intrinsecē pro-
prium motum localem: distinctum
ab eo motu quo producitur locus
extrinsecus: ita quoad præsens di-
uersa erit adoratio imaginis, & exé-
plaris, quamuis seruata ea depen-
dētia, quam diximus. Consequē-
tia ex præmissis liquidò constat.

Ex quibus omnino præcluditur
quod afferri posset ex doctrina Vasq:
dicentis externum imaginū cultum
non esse ab interno separatum, sed
solum internum dirigi in exemplar,
externum verò in imaginē: Si enim
hæc habet propriam & intrinsecam
rationem terminandi adorationem
distinctam ab ea, quam habet exé-
plar peruersa est prædicta actuū di-
stributio: intrinsecæ enim sanctifi-
cationi obiecti malè negatur actus
internus adorationis ei proportiona-
tæ, dummodo non excludatur,
sed includatur sèpè dicta depēden-
tia. Deindè si actus internæ adoratio-
nis in solum dirigitur exemplar re-
spectu imaginis, perindè est ac si non
adesset, cum in illam nullatenus ver-
setur, & consequenter imago semper
terminabit impropiam ac abusuā,
adorationem qualis est merè exter-
na, quæ non est actus virtutis, sed
vmbra tantum illius.

S. III.

*Soluuntur argumenta prime af-
fertioni contraria.*

12. *S*Acras imagines non esse in
templis ad Dei, & Sanctorū
honorem erectis exponendas asse-
ruerūt Caluinus eiusque sectatores,
vt omnem occasionem, seu pericu-
lum cultus eis delati amouerent;
putarunt enim esse illicitū eas quo-

quo modo venerari. Et primò qui-
dem obijcit Caluinus canonem 36. ^{Concil. Elib.}
Concilij Eliberini, in quo habentur
hæc verba *Placuit picturas in Eccle-
sia esse non debere, ne quod colitur,
aut adoratur in parietibus depingatur.*

Hoc relato canone miratur P. ^{P. Vass.}
Vasq: tomo 1. in 3. p. disp: 105. n.
3. non tenuem aliquorum laborem,
quo conantur varijs respōsitionibus
ab hac se extricare difficultate: cui
admirationi & nos etiam subscribi-
mus, putantes cum eodem Vasq:
ex hoc canone nihil prorsus aduer-
sus Catholicam veritatem posse de-
duci. Ut tamen verum fateamur,
credimus illi impendendo labori
occasionem præbuuisse tum eiusdem
Concilij titulum, qui talis est. ^{Titul.}
*Concilium Eliberinum decem et nouem Epi-
scoporum. Tempore Constantini, &
Sylvestri Papa Primi; Et circa tempora
Nycæna Synodi celebratum. In quo edi-
ti canones octuaginta & unus, est Pro-
vinciale numquam ab Ecclesia receptū
ob canonem 36. & 34. Tum rursus
quia prædicto canoni subiectum re-
perimus hanc Glossā, quæ cuius sit
authoris, ignoramus. Hic canon 36. ^{Glossa.}
tunc temporis foris ob aliquas causas
necessariò, vel utiliter institutus est
At postea in 7. Synodo acumenica, pi-
ctura & imagines, ac earum venera-
tio approbata est. Ex quibus duobus
satis clarè colligitur scriptores tum
adducti tituli, tum prædictæ glossæ
supponere in prædicto canone habe-
ri reprobationem usus exponendi
imagines sacras in Ecclesijs Catho-
licorum, & idcirco conati sunt ij
Theologi varias prædicto canoni ad-
hibere solutiones, existimantes la-
borem impensum cassum non esse.*

13. Verum quicquid sit de hoc
ad tollendā omnem vel leuem suspi-
cionem. Primò dicimus canonem
il lum, vt nobis videtur, omnino
contrarium esse saltem intentioni
volentium de medio tollere adora-
tionem

tionem imaginum, ob quem finem negant in templis eas esse collocandas: id autem clarè habetur ex verbis posterioribus illius canonis, cū enim subdatur. Nè quod colitur, aut adoratur in parietibus depingatur: vtique supponitur imagines sacras esse cultu & adoratione dignas. Porrò si hoc verum est, quomodo potuit absolutè loquendo vetari expositio imaginum in templis? certè nullus locus magis alicui adorabili consentaneus, quam Ecclesia cultui sacro exercendo ex omniū consensu destinata. Dicendum ergo cū Vasq: loco cit: num. 16. prædicto canone voluisse Concilium illud consulere majori decentiæ & venerationi sacrarum imaginum, etenim non absolutè prohibetur expositio imaginum in templis, sed solummodo eas dipingi in parietibus, nā exigebat ea temporum infelicitas, qua adhuc Catholica Religio firmiter vbiique gentium non dominabatur, vt solum in tabulis imagines sacræ exprimerentur, facile siquidē contingere poterat, seu ex improuisa persecuzione infidelium, seu ex bellorum frequentia, vt tempora orthodoxorum expilarentur, ac diuerterentur, & id quod de eis relinquebatur destinari prophanis visibus, nempe vel ad paleas equorum seruandas, vel ad quid simile, & quia in parietibus depictæ imagines alio asportari non potuissent, secus in tabulis expressæ, idcirco ne eiusmodi iniuria sacræ paterentur imagines statutum conuenienter fuit nō deberi in parietibus pingi;

At quid dicemus ad autoritatē scriptoris prædicti tituli; ille enim supponere videtur, in eo canone decerni aliquid aduersus morem Ecclesiæ? Respondetur tamen idcirco Ecclesiam reieciisse eum canonē ad pellendum omne erroris vel leue periculum, quod ex eius verbis mi-

De Imaginum Adoratione

nori attentione perpensis suboriri poterat. Et ob hanc etiam causam, credimus ab illo authore, quisquis ille sit, additam fuisse eam glossam. Præterquamquod in hac dicitur eam prohibitionem nō absolutè factam, fuisse, sed dumtaxat ob iustam causam, quæ ea tempestate ad ita statuendum vrgebat.

14. Verum enim uero, si quis adhuc pertinaciter insistat arbitrando prædictum canonem omnino aduersari honestissimo orthodoxorum usui exponendi sacras imagines in templis, dicendum prædictū Concilium non esse talis authoritatis, vt ea Catholicos premi necessarium sit. Tum quia vt vidimus ex eius titulo non fuit ab Ecclesia Catholica receptum, quod omnino requiritur ad Concilij alicuius validitatem. Tum quia eius qualis qualis authoritas nullius ferè ponderis censenda est, comparata maximæ authoritati secundæ Synodi, hæc enim omnino vniuersalis fuit, firma ta ex præsidentia legatorū Adriani I. Summi Pontificis, huiusq; infallibili calculo roborata: illa Eliberina Synodus Provincialis fuit, cuius satis tenuis Episcoporum numerus, nec componendus videtur, cum copiosa multitudine 350. Episcoporum, inter quos grauissimi etiam Patriarchæ, aut eorum Legati. Nec mireris laborasse citatum Vasq: intuenda huius Eliberini Concilij authoritate, fortè id processit ex maiori nationis Hispanæ, quæ in sinceræ veritatis amore; Hyliberge enim est Vrbs Tartessi in Hispania Bætica. Maximè quia etiam 34. canon eiusdem Concilij patitur aliquam difficultatem, & minus bene cohædere uidetur cum veritate, Catholica de adorandis Sanctorum reliquijs. De quo tamen nihil modo, infra enim id tractabitur.

15. Secundum argumentum,

Dd 2

desumitur

S. Epiph. desumitur ex authoritate S. Epiphanij, qui in epist: ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, circa finem, narrat aliquos de se minus bene loqui, & causam huius mutationis subdens ait, quia cum Venissem ad Villam quæ dicitur Anabata, vidissimumque ibi præteriens lucernam ardensem &c. Inueni velum pèdens in foribus eiusdem Ecclesie tintillum, atque depictum, & habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cuiusquam (non enim memini cuius imago fuerit) cum ergo hanc uidisse in Ecclesia Christi contra autoritatē scripturarum hominis pendere imaginem, sci di illud, & magis dedi consilium custodibus eiusdem loci, ut pauperem mortuum eō obvolumerent. Ex quibus verbis colligi videtur, sensisse Sanctū Epiphanium authoritati scripturæ repugnare Sacras imagines in templis Catholicorum pendere.

Huic etiam authoritati vt occurrant orthodoxæ veritatis scriptores, non parum adlaborarant. Vnde, vt id obiter dicamus, facile appareat, quanta sit Catholicæ veritatis puritas, quanta eiusdem veritatis amatorum modestia. Candor quidem, vt sedatam se se arbitraretur, si inueniretur aliquis sacræ doctrinæ Sanctus Scriptor, qui aduersus illā clarè sentiret. Modestia rursus, nam impudentium etherodoxorum est, Sanctorum Patrum paruipendere authoritatem, si quando eorum fuerit, vti semper est, inimica erroribus. Quare cum Catholicæ veritatis assertores, usurpare possent illud Arist: 7, Ethic: Vna hirundo non facit ver, admittere videlicet sensisse S. Epiph: non quidem ex pertinacia, sed ex priuato errore, illicitum esse Sacras imagines in templis fidelium collocare. Non tamen priuatum eum sensū præualere aduersus expressas Sanctorum Conciliorum definitiones, & consuetudinem tot sanctorum Patrum suffragio cō-

probatam: cum inquā hæc eis suppetret responso, ea tamen relicta, vt pote minoris reuerentiae speciem referente, maluere aliquas adhibere interpretationes, vt illius verba à Sanctissimo Ecclesiæ more non discrepare ostendant. Ab his tamen, unus excipiēdus Alphonsus de Castro, qui Epiphanium inter Iconomachos, immēritò tamen, recenseret.

16. Nunc ad argumentum redeundo, solutio quæ ei communiter tribui solet, est, prædicta verba in adducta Epiphanij epistola non reperiri, sed addita fuisse fortè ab Iconoclastis, vt in propriis erroris patronum eximum hunc sanctitate, & doctrina virū nanciscerentur, adeoque præfatam narrationem de imaginis scissione assutam illi fuisse, & consequenter vt nullius momenti reisciendam. Ita Belarm: tomo 2. controuer: 4. Gen: lib: 2. cap: 9. *Belarm.* circa finem ad 5. vocans eā veriorē & communiorem. Eam tradunt Alanus Copus Dialogo 5. *Alanus.* cap: 21. Sander: lib: 2. de imagin: cap: 4. Imò Alanus censet totam *Sander.* epistolā non esse Epiph. nec à Hiero. translatam, ex hoc quod in Græcis exēplaribus nusquam reperiatur. Et huic dicendi modo nos etiam vti probabilissimo, ac satis certò, vt mox dicemus, subscribimus.

Communi huic solutioni unus refragatur P. Vasq: tomo 1. in 3.p. *P. Vasq.* cap: 3. num. 22. aitque eiusmodi respōdendi modum esse commune, & frequens effugium ijs, qui testimonijs Conciliorum aut Patrum in aliqua controversia nimis præmunitur: & quamuis interdum præsentaneum, ac verissimum soleat esse, remedium, magno tamen cum fundamento, ac delectu adhiberi debet. Sic ille.

Prudentissimo huius authoris monito vt pareamus, & simul vt innotescat adductam respcionem, effugium non esse, aperiendum breuiter

uitus quanto cum fundamento ea tradatur , & præter id quod nuper ex Alanò adduximus ; præter vrgentes satis coniecturas quas adducit Belarminus loco adducto , quarum duas tantum feligimus . Et prima sit hæreticos Iconoclastas numquam adducta Epiphanius : verba obiecisse Catholicis , quamuis diligentissimè quæsierint , & obiecerint alia , quæ speciem aliquam difficultatis præferebant , vti constat ex 7 . Synodo actione 6 . Secunda , quia in eadem actione Epiphanius Diaconus , qui Sanctum Epiphanius suscepit defendendum , ait scriptis eiusdem Sancti fuisse ab hæreticis inserta . Præter hæc inquā placet adducere ea quæ asserit Baronius , qui ad annū Christi 392 . fusè ostendit hanc esse verā responsionē , ex multis autem , quibus id demonstrat tria dumtaxat afferemus .

17 . Primum est non potuisse S: Epiphanius in pictum illud velum tantoperè excandescere , cum teste S. Ioannis Damasci oratione 1 . de imaginibus idem S. Epiphanius in Cypro , quæ erat suę Diœcesis Insula , Ecclesiæ sacræ imaginibus exornauerat . Et idèo idem Damascenus orat: 2 . de imaginibus loquens de verbis epistolæ in arguento adductis hæc ait . *Scito sermonē illum alterius cuiuspiam fictitium , qui ut sapè fit Sancti Epiphani abusus est nomine .* Secundum est . Morè illū ornandi Ecclesiæ foræ cum velis habentibus coloratas Sanctorum imagines tempore Sancti Epiphani in vniuersa Ecclesia esse receptum . De quo vide ibi Baronium . Quomodo igitur Sanctus Epiphanius ausus fuisset in Diocesis Ioannis Hierosolymitani , quem tunc infensissimum experiebatur , & ad quem vt se defenderet eam scribebat epistolam , inconsulto Joanne velum illud proscindere ? Et dato quod eò indiscreti zeli perue-

nisset quonam modo prædictus Ioannes , qui tantoperè Epiphanius aduersabatur , illum vt hæreticum Iconoclastā acriter non redarguisse ? Tertiū est quod verba in quibus de velo discisso sit mentio omnino additamentum , & futura apparent , iam prædicta epistola , iam completa erat , vt legenti verba ibi à Baronio adducta erit manifestum ; Ex quibus omnibus apparet , quāto cum fundamento , & quam magno delectu vtantur authores , & nos cum illis adducta responsione , minusque cautè à Patre Vasquez appellata fuisse effugium , possemusque eius animaduersione in ipsum vti ; nempe magno fundamento , & delectu procedendum in contemnēdo aliorum responsiones ; maximè cum nō ignobiles scriptores eas adhibent , quod hic contingit .

18 . At iterū audiendus Vasq: qui loco cit: n. 23 . asserit S. Ioannē Damasci : quē nuper citauimus non , loqui oratione 2 . adducta de epistola Epiphanius : scribentis ad Ioannē Hierosolymitanum , vt falsò censem autumasse Sixtum Senensem lib: 5 . Bibliothecę Sanctæ adnot. 247 . Sed de epistola ad Theodosium aperte intelligi . Idem puto dixisset hic author de Baronio si ipsum legisset .

Verum penitus ignoramus quo fundamento ductus sit P. Vasq: ad ita animosè asserendum S. Ioannē Damascenum aperte esse intelligentum de epistola S. Epiphanius scripta ad Theodosium , non verò de ea , quam scripsit ad Ioannem Hierosolymitanum ; legimus enim secundā illam orationem , imo & primam ijs in locis in quibus Sanctus Damascenus mentionē facit de S. Epiphanius : & nullum est verbum quod indicet , quod P. Vasq: asseruit , quare cum nec ipse id probet , sed nudè tantum asserat aperte esse intelligentum de epistola scripta ad Theodosium , magis

gis standū duximus testimonio Sixti Senensis, & Baronij, quam dicto vnius Vasquez, vnde hanc responſionem amplius impugnare superuacaneum est, cum ex ſeipſa, vtpotē carens fundamento, ruat.

19. Tertiō demum in hūc modū ratione arguunt hæretici, Tempa instituta ſunt pro imaginibus viuis, quæ ſunt Sacraenta, ergo pendere in ijs non debent mortuæ picturarum imagines. Antecedens ſuadetur, quia in templis conferuntur fidelibus Sacraenta, quæ dicuntur imagines viuæ, ex hoc quod gratiæ vijam ſupernaturalem ea ſufcipientibus conferant. Conſequētia probatur, quia per mortuas imagines fædari videtur locus, qui pro viuis, adeoq; excellentioribus imaginibus eſtit institutus.

Sed quam puerile ſit hoc argumentum nemo non vider, adhuc tamen in eius enodatione aliquantulum immorari nō piget, licet enim merita huius argumenti id non expofcant, addemus tamen aliquantum non ingrata lectori. Primò tamen ſciendum ſuppoſitum argumenti omnino falsum eſſe, nempe Sacraenta eſſe imagines, nam faltem Euchariftia, non imago, ſed ipsum prototypum continet, nempe Christum Dominum verum Deum & hominem. De quo tamen alibi. Nunc gratis omnino permifſo, nullo tamen modo confeſſo antecedenti; negatur conſequētia, ad cuius probationē dicitur, nedum Sacra- templorum loca fædari per imagines, ſed omnino illis exornari, non loquimur de materiali & extero, ſed de formalī ornamēto; ex earū ſiquidem aspectu indubitatum eſt fideles excitari ad plurimos virtutum actus, eorumque pietatem non modicē ex illo foueri, quod patet ex utilitatibus, quas ſupra de viſu imaginū agentes recenſuimus: hinc

templa ex hac virtutum pietatis que exercitijs decorata auguſtiora redduntur. Vndē etiam apparet imagines istas, quas hæretici mortuas appellant, cum Sacraenta nedum non pugnare, verum valde consentire, augent enim aſpicien- tium Sanctitatem, ratione cuius eisdem Sacraenta maiori cum diſpoſitione fuſcipiendis, & conſequētia vberiori percipiendæ gratiæ redduntur aptiores.


Hoc quod diximus, ſatis ſuperque eſſet pro diluendo argumento, ſed adhuc ostendamus falſum eſſe ſuppoſitum conſequētis, hoc eſt Sacras imagines mortuas eſſe dicendas; verè enim viuæ, iuxta mox dicenda, ſunt appellandæ. Primò ergo viuentes dici poſſunt, non quidem vita naturali, nam ſtultum id eſſet, ſed vita ſpirituali, eo quaſi ſenu quo, Scripturæ Sacræ sermonem viuum appellauit Apoſt. ad Hebr.4. cum ait *Viuus eſt enim sermo Dei, & efficax.* Porro eiusmodi ſpiritualis vita explicari poſſet, tum quia ſicut corpus cæleſte quantumuis ex ſu natura ſit ina- pime, iuxta doctrinam tamē Sanct. Tho. p. par. quæſt. 70. art. 3. ad 3. ex. aſſiſtentia, & virtute ſu motoris, ^{Apoll.} qui eſt ſubſtantia viuens poſt cauſare vitam, vndē aliquod partici- piū vitalitatis habet, vt ſit instru- mentum idoneum ad aliqua viuen- tia producenda. Proportionē pa- riter ſeruata imago ex aſſiſtentia ſu prototypi habet vim quandam, deuotos ſu cultores excitandi, ad actus virtutum exercendos, in qui- bus ſupernaturalis vita elucet. Et ſanè ſicuti Deus eſt peculiari modo præſens templis in ipſius honorem erectis; & ideo hæc dicuntur Sancta, & à prophanis locis ſecernun- tur, non diſſimili modo de ſacris imaginibus philoſophamur.

20. Pro cuius etiam maiori lu-
ce

ce notanda est doctrina quam habet Angelicus Præceptor quæst. 5. de Potentia art. 8. vbi afferit quod corpora habent quandam actionem, secundum quod attingunt ordinem substantiarum separatarum, ut participent aliquid de modo ipsarum: sicut naturæ inferiores consueuerunt participare aliquid de proprietate naturæ superioris, ut appareat in quibusdam animalibus, quæ participant a' quam similitudinem prudentię, que propria est hominum: hæc autem est actio corporis, quæ non est ad transmutationem materiæ, sed ad quandam diffusionem similitudinis formæ in medio, secundum similitudinem spiritualis intentionis, quæ recipitur de re in sensu, vel in intellectu. Ex quo appareat corpora inferiora omnino virtutæ expertia, ex assistentia substantiarum separatarum habere virtutem producendi species, quæ sunt principium vitæ intentionalis, seu sensibilis, seu intellectualis. Quod ergo in naturali mundo contingit, non inconuenit & spirituali, ac supernaturali tribuere, & consequenter afferere Sacras imagines ex peculiari assistentia exemplarium, immittere species ad deuotè aspicientes, & virtute harum excitari singulari quodam modo ac, ad sanctos actus commoueri: Sicuti enim sacræ imagines sæpumerò sunt instrumenta gratiæ gratis dataæ, vti testantur innumera propemodum miracula per eas patrata, quid obseruit, quo minus eisdem vtatur instrumentis author gratiæ sanctificantis ad effectus Sanctos causandos? idque ostendi posset non paucis exemplis, quibus constat perditæ vitæ homines ex imaginum sacrarum intuitu, ad sanctitatis studium fuisse mirabiliter excitatos; habent igitur sanctæ imagines causaliter vitam supernaturalem ad quam inducendam sunt instrumenta. Hu-

ius effectus imaginū meminit Angelicus Præceptor tum 2. 2. quæst. 5. art. 2. ad 1. dicens *Per huiusmodi imagines mentibus hominum imprimi, & confirmari fidem de excellētia Angelorum, & Sanctorum.* Tum rursus in 3. dist. 9. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 3. docens institutionem sacrarum imaginum fuisse congruentem, ad excitandum devotionis affectum, qui ex visis efficiacius excitatur, quam ex auditis.

Demum possumus dicere, sacris imaginibus conuenire vitam moraliter loquendo. Cum enim faltem historicæ coloribus expressas præferant præclarissimas, quas earum exemplaria, gessere actiones, spectatores prouocant ad similia generosè aggredienda, in quorum exercitio vita gratiæ manifestatur. Etenim si turpium repræsentatiæ imagines mortem non semel animæ inferunt, iuxta illud Ierem: 9. Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domus nostras. Nil mirū per imagines ijs oppositas vitam supernaturale gratiæ motione morali ascendere. Hinc colliges differentiam inter Sacras Catholicorum imagines, & Gentilium simulacra, hæc etenim Psal: 113. mortua describuntur ijs verbis *Os habent, & non loquentur &c.* Secus orthodoxorum imagines. Cuius discriminis ratio sumitur ex hoc, quod idolis non respondeant exemplaria seu Diuina, seu Sancta à quibus modis adductis possint viuificari. Cuius oppositum imagines fidelium pietati in templis expositæ, habent.



S. IV.

Soluuntur argumenta secundæ assertione aduersa.

21. **D**Vplex est dicendi modus secundæ nostræ assertioni repugnans, horum primum Lutherus eiusque asseclæ sectati sunt, hi enim quantumuis imagines posse licet collocari in templis afferat ad eorundem ornatum, nullo tamen modo ad cultum, aut adorationem. Huius erroris præcipuum fundatum desumitur ex autoritate Concilij Francofordiensis, quod secundum hæreticos damnauit secundam Synodum Nycenam, in qua, ut sepe diximus summo omniū consensu comprobata fuit Sacrarum veneratio imaginum. Celebratum est autem præfatum Concilium Francofordiæ sub Carolo Magno Imperatore. Adhucque ab eodem Imperatore editos fuisse quosdam libros, Carolinos nuncupatos, quibus damnabatur imaginum adoratio: hos autem oblatos fuisse afferunt eidem Francofordiensi Concilio, à quo & recepti, & approbati fuerunt.

Huic argumento, quod prima fronte aliquam videtur ingerere difficultatem, varias solutiones Catholicæ veritatis Scriptores adhibent, ex quibus eius infirmitas clare innotescet. Et primò quidem ex præfatione, seu admonitione Fratris Laurentij Surij in eamdem Synodum Francofor: ex tomo 3. Concil: habetur omnino oppositum, nempè damnatam fuisse Synodum Constantinopoli ab impijs Iconomachis illegitimè omnino coactam: verba illius sunt. *Pro comperto habendum est in Synodo Francofordiensi nihil actum esse contra Nycenam Sinodum, sed eam potius damnatam esse,*

qua sub Constantino Copronimo Imperatore imp̄issimo ab Iconomachis babita est Constantinopoli contra imagines, quamque illi (hæretici videlicet) Septimam ecumenicam dici voluerunt, sed impetrare frustra conati sunt. Secundò dicunt alij in prædicto Concilio Francofordiensi nihil actum de imaginibus, sed dumtaxat indicium aduersus Elipandi & Felicis Vrgelitani errorem, quo asserebatur Christum Dominum esse seruum, & filium adoptiuum. Non desunt etiā qui afferant Francofordiensem Synodum, vtpote illegitimam nullius esse authoritatis. Ex qua diuersitate appetit satis nutare fundatum, quo prædicta Concilij autoritate admodum dubia nititur.

22. Sed age, gratis concedamus aduersarijs quod afferunt de Concilio Francofordiense pugnante cum septima Synodo, vnum utique de eo negare non poterunt, hoc est fuisse Prouinciale, id enim apud omnes est indubitatum, sicut & Septimā Sinodum fuisse ecumenicam, omninoque legitimam præsidentibus in ea Romani Pontificis Legatis. Hoc posito rursus sciendum ex S. Aug: lib: 2. de Baptismo cap: 3. quod ipsa Concilia, quæ per singulas regiones, vel Prouincias fiunt, pleniorum Conciliorū autoritati, quæ fiunt, ex vniuerso orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere. Nulla ergo Francofordiensi Synodo inerat authoritas damnandi Sacram & vniuersalem prorsus Synodum Nycenā secundam. Hinc eius acta si Nycenæ Synodo contradicunt, sunt quoad hanc partem nullius roboris censenda. Et sane præsumptio ipsa, quæ ausa fuisse aduersus generale Concilium insurgere, inualida eius decreta reddidisset.

Quantū ad libros quos Carolinos vocant, non desunt qui afferant libros illos non fuisse à p̄issimo eo Impera-

Imperatore compositos, sed falso illi adscribi, & huic falsitati dicunt præbuisse occasionem, quod prædicti libri editi fuerint in lucem a tempestate, qua idem Carolus imperabat. At demus ab eo fuisse compositos, nihil inde veritati Catholicæ nocens deducitur, siquidē Imperatorū non est dogmata Fidei definire, sed à Concilijs & summo Pontifice decretis opem armata, si necessum fuerint, deferre. Demū si quid authoritatis libris Carolinis concedatur, ea militat aduersus Synodus Francofordiensem, siquidē in ijs asseritur ultimum controuerfiarum iudicium ad Romanum Pontificem pertinere; & inde mota est (si tamen verum est condemnasse Nycænam Synodus ad decernēdum aduersus Synodus Nyccenam, quia putauit hanc illegitiman, ex hoc quod coacta non fuerit ex Summi Pōtificis autoritate. Videatur Belar: lib: 2. de imaginibus cap: 14. vbi plura alia adducit, ex quibus conuincitur hereticos contradicentes esse sibiphs.

23. Secundus dicendi modus, quem tuentur Durandus, & Picus Mirandulanus, concedit imaginibus sacrī adorationem impropriā & abusivē talem, vnde propriam ac veram omnino adorationem solis earum prototypis reseruant. A quo dicendi modo non multum distat P. Vasq: qui solam externam adorationem sacrī tribuit imaginibus, nullatenus internam, quæ vt ipse ait in solum dirigitur prototypum. Hic dicendi modus, etiamsi Catholicæ veritati non repugnet, nec erroneus censendus sit: adhuc tamen videtur redargui ijs verbis, quæ habentur in 7. Synodo actione 6. prope finem, vbi sic habetur. *Qui verò dicunt sufficere usum imaginum ad memoriam solum, non verò ad salutationem eas habendas, illud quidem*

De Imaginum Adoratione,

recipientes, hoc verò recusantes semi-probi quadamtenus, & falsò veri usita dicam deprehenduntur altera quidem parte veritatem confitentes, ex altera verò pernverse agentes. Verum quicquid sit, an eiusmodi censura inureda sit prædictæ opinioni, eius tamen argumenta ad sequentia dubia reseruanda censuimus, cum eorum solutio valde ex ijs quæ dicentur pendeat.

D V B I V M II.

Vtrum Imagines formalissimè sumptæ adorande sint eadem adoratione, qua earum exemplaria?

Proprium adorationis actum, Sacris respondentem imaginibus explicare exordimur; & est sermo in præsenti dubio de imaginibus formalissimè consideratis. Pro cuius luce breuiter notandum, quamcunque imaginem posse tribus modis considerari. Primò omnino materialiter, idest prout est lignum, lapis, æs, aut quid simile, & hoc modo satis abusivè appellatur imago, quia taliter accepta non habet repræsentare suum exemplar, quæ tamen repræsentatio est de essentia imaginis ex sui propria natura adducendum in cognitionem prototypi institutæ. De qua proinde non est sermo in præsenti.

24. Secundò consideratur imago, quatenus vna cum proprio modo essendi distincto ab exemplari, dicit vim istius repræsentatiuam, ita vt simul cum repræsentatione exprimat distinctum modum illum essendi, in quo fundatur, & cui unititur vis ipsa repræsentatiua. Tertiò sumitur vt formalissime repræ-

E sentatiua

sentatiua, quo modo et si implicitè, ac de materiali innoluat prædictum modum essendi, hunc tamen non exprimit, sed explicitè solum importat facultatem repræsentandi, alias innixam suo modo essendi spestante ad ordinem entitatiuum. Eo ferè modo quo species sensibilis, vel intelligibilis consideratur secundum vim repræsentandi & simul cum proprio modo essendi, ratione cuius realiter differt ab obiecto, quod repræsentat: deinde consideratur ut formalissime repræsentatiua dicitque eandem prorsus naturam obiecti, ut repræsentantem illam quæ in obiecto est inuoluta cum modo essendi naturali, adeoque sumitur ut formalissime repræsentans, & prout sic non ponit in numero cum eo quod repræsentat. Ita quod ad præsens proportione seruata. In hoc itaque dubio sermo est de imaginibus Sacris posteriori modo consideratis, de quibus queritur, num adorandæ sint eadem adoratione, qua exemplaria earumdem. Quanā autem adoratione dignæ sint priori modo acceptæ, dubio sequenti examinabimus, vt distinctioni, quæ claritatis est mater, seruiamus.

§. I.

Vnica conclusione proposita difficultas deciditur.

Dicendum est Sacras imagines formalissimè sumptas adorandas esse eadem adoratione, qua earum exemplaria adorantur. Hęc assertio est satis communis inter Theologos, qui tribuentes imaginibus eandem adorationem, quæ exhibetur earum prototypis, vtique loquuntur de imaginibus formaliter modo dicto sumptis, sic enim proprium omnino munus exprimunt.

Eandem assertionem non obscure docuit Concilium Tridentin: scilicet Tridentin: 25. in haec verba Honor qui eis (imaginibus videlicet) exhibetur referatur ad prototypa, que ille repræsentant; ita per imagines, quas osculumur, & eorum quibus caput aperimus, & procumbimus Christum adoremus & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, praesertim verò secundę Nycæna Synodi decretis, contra imaginum oppugnatores est Sancitum. Habetur ex his verbis adorationem imaginum esse ad eorum prototypa respectuam, & consequenter est sermo de imaginibus formalissimè sumptis, sic enim consideratae sunt formaliter institutæ ad repræsentandum, & consequenter exprimunt respectum ad prototypa, adeoque simul cum istis eadem terminant adorationem. Nec opus erit aliorum Conciliorum autoritate hanc stabilire assertionem, cum ex Tridentini testimonio habeatur hoc ipsum sensisse alia Concilia, & præcipue Nycenam secundam.

Sacrorum Conciliorum assertis consonant Sanctorum Patrum dicta; ex multis autem, quæ possent adduci duo tantum referemus, qui enim plura voluerit consulere poterit inter alios P. Vasq: tomo 1. in p. 741. 3. p. disp: 108 cap: 5. & 6. Primum testimoniu desumitur ex S. Basilio Magno ad Amphilochium de Spiritu Sancto cap: 18. dicente *Quoniam Rex dicitur Regis imago; non autem duo Reges: neque enim potestas scinditur, neque gloria dividitur.* Quemadmodum autem principatus ac potestas nobis dominans una est: si, & glorificatio, quam illi deferimus una est, non multæ. Itaque imaginis honor ad exemplar primam refertur. Loquitur itaque Sanctus hic præclarusque Doctor de imagine formalissimè sumpta, cum ex eo quod nomen sit commune & personæ Regis,

&

& imagini, colligat vtrumque pro vno reputandum. Hæc eadem verba adduxit S. Ioa: Damasc: lib: 3. de Fide cap: 17. circa finem. Idemque Damascenus Sacrarum adorationis imaginum acerrimus propugnator orat: 1. de imaginibus in eadem sententiam loquitur, cum ait: *Quemadmodum purpura & sericū & quod ex his vestimentum conficitur, per se nihil aliud sūt, nisi tenuē quoddam operimentum, quod tamen si Rex induerit, honoris, quo præstat Rex ipsum quoque particeps sit: ita res ex materia constantes, per se quidem adorā non sunt, at se gratia plenus sit is quem illæ referunt, pro fidei proportione, ipsæ quoque participes sunt.* Hoc ipsum docuisse S. Tho: cōstabit ex ratione, quam mox ad probandam assertionem subiiciemus, sequuntur S. Doctorem eius discipuli, & P. Suar: disp: 54. sec: 5. Et nouissimè N. Domin: à Sanctissima Trin: lib: 4. Biblioth: Theol: sec: 11. cap: 33. concl: 8. refertque Reuerendissimum Capisuccum in Controuers: select: de Cultu Sanct. Imag: quæst. 2. S. 4.

S. Thom: 26. Probatur ratione desumpta ex S. Tho: 3. p. quæst. 25. art. 3. Imago formalissimè sumpta terminat eumdem motum, quem terminat illius exemplar, ergo eadem adoratione adoratur imago formalissimè sumpta, & illius exemplar. Antecedens vt inquit S. Tho: loco nunc adducto docuit Aris: in lib: de Memor: & riminiscencia, vnde desumptum vulgare illud effatum, id est motus in imaginem, & in imaginatum: quod tamen intelligi debet de imagine formalissimè sumpta, vt docuit loco nunc adducto S. Doctor & 2. 2. quæst. 103. art. 3. ad 3. vbi illud exponens ait, Motus qui est in imaginem, in quantū est imago refertur in rem cuius est imago. Non tamen omnis motus,

De Imaginum Adoratione,

qui est in imaginem, refertur in eam in quantum est imago.

Vt verò eam propositionem ratione probemus adducenda sunt verba Philosophi, quæ habentur libro citato cap: 2. in medio & sunt huiusmodi *In tabula pictum animal; & animal est & imago, & idem & unum ipsum est ambo, esse tamen non idem amborum, & est considerare ut animal & ut imaginem, sic & quod in nobis phantasma oportet suscipere, & ipsum aliquid secundum se esse, & alterius phantasma; in quantum quidem secundum se ipsum, speculamentū, aut phantasma est, in quantum verà alterius, ut imago, & memoriale.* Pro horum luce verborum nota Aristotelem loquentem de Animali picto in tabula, primò afferere, quod est animal, & est imago, & quod vñ & idem esse habent ambo. Deinde videtur sibi contradicere cum subdit, esse tamen non idem amborum. Sed hanc apparentem contradictionem tollit cum addit, idem pictum animal considerari posse ut animal, & ut imaginem; nam primo modo habet diuersum esse ab animali quod est à parte rei, hoc enim habet esse viuum, secus illud pictum. Et hoc modo verificatur ambo non habere idem esse. At si consideretur ut imago, vnum & idem esse habent ambo, vt dixerat in prima propositione. Et hoc ideo, quia vt in postremis nunc relatis verbis dixit ut imago, est quatenus alterius, seu ut memoriale, idest non habet esse propter seipsum, sed totum ipsius esse, est ordinatum ad alterum, adeo que idem reputatur cum illo propter quod habet esse. Et hoc declarat exemplo phantasmatis, quod vt speculamentum, adeoque vt dicens esse intentionale distinctum ab esse naturali sui obiecti, non habet id est esse cum suo obiecto: fecus vt imago alterius. Eo etiam modo quo

E 2 seruus

P. Suar.
N. Dom.

P. Capi-
fuc.

S. Thom:

seruus ut formaliter seruus non habet esse proprium, quia totus est ad Dominum. At absolute loquendo habet proprium esse.

Ex hac doctrina sic ratione probamus antecedens, quia imago formalissimè sumpta tota est alterius, nempe prototypi ut dixit Aris; quod autem est formaliter alterius habet idem esse cum altero propter quem est, & quia in tantum aliquid terminat motum in quantum est, fiet inde ut imago formalissimè sumpta, quæ habet idem esse cum prototypo, cumdem prorsus motū terminet quæ terminat prototypon, & sic idem est motus in imaginem & in rem cuius est imago. Idque declaratur exemplo, quod ibidem paulo post subdit Philosophus de Antipheronte Orita, qui extasim patiebatur, & phantasmata dicebat ut facta. Pati enim extasim est rapi ad extra adeoque pertingere usque ad obiectum, sub esse naturali, & consequenter putare esse factum à parte rei, quod solum est in phantasmate ut repræsentante: quæ utique ortum ducut ex hoc quod est idem motus in imaginem formaliter sumptā & exemplar; inde enim fit non sibi in esse repræsentatio phantasmatis, sed uno motu simul tangi ipsum & obiectum à parte rei, & idem omnino utrumque censi, cum tamen reuera phantasma formaliter sumptum solum in esse repræsentatio sit ipsum esse naturale obiecti. Consequentia ex antecedentis probatione est manifesta.

27. Confirmatur & explicatur ratio adducta. Breuiter tamen prius præmittendo duo, quorum primum desumitur ex Caiet: p. p. quest. 55. art. 3. §. Ad evidentiam ubi afferit duo in hoc vniuerso dari genera entium; quedam sunt per se primo instituta ad essendum, quamvis forte secundariò aliud repræsentent, &

hæc appellantur res. Quædam sunt per se primò ad repræsentandum instituta, & hæc vocantur intentiones rerum, hoc est species seu sensibiles, seu intelligibiles: necessitas sic distinguendi oritur ex ordine cognoscitivo, qui & valde perfectus est, & mirificè conduceat ad pulchritudinem vniuersi: aliunde tamen ex dupli imperfectione nō posset actum cognitionis exercere, nisi darentur aliqua per se primò ad repræsentandum instituta. Prima imperfectio est ex parte cognoscens, quod cum constet ex genere & differentia, impossibile est quod alia à se contineat, vndè quantumuis esset purè spirituale, vti est Angelus non posset per sui comprehensionem alia à se cognoscere, quia alia à se non continet, & cognitum debet esse intra cognoscens, intellectus etenim intelligit trahendo res ad seipsum, diciturque intelligens, quasi intus legens. Alia imperfectio tenet se ex parte cogniti, quod secundum suum esse naturale, est materiale & crassum, saltem loquendo de obiectis, ad quorum compositionem essentiale materia concurredit; vndè fit ut nequeat quoad tale esse reperiri in potentia cognoscitura, cum esse cognoscituum sit eleuatum supra materiales conditiones, & quia aliunde simile, simili cognoscitur, ideo oportuit dari quoddam genus entium, quæ intentiones vocantur, & hæ subtiliores sunt, adeoque capaces deferendi obiectū ad potentiam cognoscitiam, illudque constituendi intra ipsum cognoscens. Danda sunt igitur entia per se primò ad repræsentandum instituta.

28. Nota secundò quod eiusmodi entia per se primò ad repræsentandum instituta, si formalissimè sumantur, sunt trascendentaliter respectiva ad id quod repræsentant, quod

quod enim sic institutum est , per se primo non existit , idest non sicut in se , sed transit ad aliud , cui seruit , hoc est ad obiectum in cuius cognitionem dicitur cognoscens per intentiones illas , quæ imagines naturales sunt : hinc dixit Philosophus citato cap: 2. de Mem: & Reminis quod Phantasma *in quantū alterius*, *ut imago , aut memoriale* . Impossibile est autē quod attingatur aliquid ut transcendentaliter respectuum ad aliud , & quod ipsum quod terminat talem respectum , secundum eam rationem quam terminat , non attingatur simul cum transcendentaliter inspiciente , loquendo de cognitione perfecta , & non præcisua , quæ est quodammodo detruncata cognitio , de qua dubio sequenti agetur . Sic impossibile est attingere cognitione perfecta visionem albi , & ad album per eamdem cognitionem non pertingere .

Nunc efforinatur confirmatio : Imago formalissimè sumpta est per se primò ad repræsentandum instituta , sed quod est per se primò ad repræsentandum institutum attingitur eodem actu , quo attingitur res repræsentata , ergo idem est motus in imaginem , & in rem , cuius est imago , & consequenter eadem adoratione adorabitur Sacra imago & illius prototypon . Maior suadetur , quia pingendi ars naturam imitatur ; sicuti enim hęc ad supplendū prædictum duplēm defectum , qui exercitium cognoscentium impediret , naturales instituit specierum intentionalium imagines : non dissimiliter ars , quæ coloribus , aut lineamentis statuarum præsentia reddit obiecta , siue quæ præterierunt , siue quæ fuerint loco distantia ; de quo etiam diximus disp: præced: n. 62. adeoq; artificiales exemplariū imagines ad illa per se primò repræsentanda erunt institutæ .

29. Minor constat ex secundō notabili , & ostendi potest inductio ne in omnibus transcendentaliter respectiuis , quorum essentia sicut omnino pendet à termino inspecto , per quem definitur , & ad quem ordinatur , ita quoad eamdem essentiam attingi nequit , non attacto etiam eodem termino . Tum rursus , quia etsi terminus transcendentaliter inspectus , ex eo quod est causa formalis extrinseca inspicientis , sit ordine intentionis , ac simpliciter loquendo prior , in quo discrimina tur à termino prædicamentalis relationis , qui omnino est cum suo correlatiuo simul natura & cognitione , quatenus terminus huius relationis est purus terminus , & non causa: adhuc tamen cum hoc discrimine optimè cohæret , transcendentalē respectuum non posse terminare motum , qui sifstat in transenden tali respectuo , & non transeat ad terminum , exigente huiusmodi transitum essentiali ea dependentia , quam habet ab illo , dummodò fuerit sermo , vti reuera est , de motu regulato per cognitionem perfectam , non verò præcisiam , de hac enim dubio sequenti erit sermo quę omnia breuiter complexus est Angelicus Præceptor in 3. distin: 9. quæst. 1. art. 2. quæstiunc: 2. in argumento Sed contra , dicens . *Imago in quantū huiusmodi dicit in imaginatum* , motus enim ea mediante defertur ad prototypon , vt in eo sifstat , & quiescat , ac proinde finiatur eius processus . Ex his ambæ consequentię ita manifestæ redduntur , vt probatione non indigeant .

S.Thom.
Adde . Species intentionales formalissimè sumptæ , atque adeo vt imagines naturales obiectorum cognosci nequeunt , cognitione adæquate attingente essentialia illius imaginis , non cognito obiecto , quod repræsentant , vt omnes fatentur ,

Pari etiam modo imago sub formamissimo munere imaginis attingi non poterit, quoad sua essentialia adaequatè considerata per adorationis actum, non attacto eius exemplari; & hoc à fortiori, nam actus voluntatis, qualis est adoratio magis ex sua propria conditione postulat ferrum ad obiectum in seipso, quia sicut proprium est intellectus trahere res ad se, ita voluntatis trahi ad ipsum obiectum, transireque ad ipsum à parte rei existens. Vnificantur ergo sub uno eodemque adorationis actu imago formalissimè accepta, & illius prototypon, quod est nostræ assertionis intentum.

§. II.

Soluuntur nonnulla aduersæ opinionis argumenta.

30. **O**pposita nostræ assertioni opinionē docuere omnes afferentes imagines propriè loquendo non esse adorabiles, sed dumtaxat impropriè & abusuè; iuxta enim hunc dicendi modum omnis adoratio propriè sumpta fertur in prototypa sacrarum imaginum, & consequenter omnino diuersa est adoratio exemplarium & imaginum, quantumvis hæ formaliter sumantur. Pro hac opinione adducuntur Durandus in 3. distinct. 9. quæst. 2. Holcot in librum Sapient. lect. 157. Picus Mirandulanus in Apologia quæst. 3. qui affert plures alios, vt videri potest apud ipsum, & P. Suar. loco citato. Quibus adiungi potest P. Vasq. tomo 1. in 3. part. disput. 108. quatenus docet imaginibus solum deferendum externum adorationis actum, omnem verò internum reseruandum exemplaribus, quæ repræsentant.

Durand.
Holkot.

Mirand.

P. Vasq.

Primum huius opinionis argu-

mentum desumitur ex authoritate 7. Synodi, quæ sèpè asserit inferiorem adorationē ea, quæ tribuitur Christo Domino, exhibendam esse eius sacræ imagini, huic enim dicitur nō deberi adorationem supremam latræ, qua certissimum est honorandum esse Christum Dominum. Nec opus est propria verba adducere, nam & plurima sūt, & ut credimus, facilem habent expositionem. Dicimus ergo, quæ ibi dicuntur intelligenda de imaginibus formaliter quidem consideratis, adeoque non purè materialiter, idest prout sunt lignum, æs, aut quid simile, sed prout dicunt vim repræsentandi importando tamen expressè proprium modum essendi, vi cuius ponunt in numero cum exemplari: eo ferè modo quo species, quæ est naturalis imago obiecti, secundum quod expressè affert proprium modum essendi ponit in numero cum obiecto, haberque esse diminutum, quod dicitur intentionale realiter numerice distinctum ab esse entitatuo obiecti quod repræsentat, quodque est esse naturale simpliciter tale. Cæterum hoc modo nunc de imagine non loquimur, sed tantum de illa prout primariò instituta ad repræsentandum exemplar, quo modo non ponit in numero cum eodem exemplari, vnde coadoratur ad illius adorationem; & hoc modo sumitur formalissimè in ratione imaginis, solumque de materiali & implicitè inuoluit proprium modum essendi, de qua proinde verificatur dictum Aris: quod idem sit motus in imaginem, & in rem cuius est imago. Idemque contingit in specie formalissimè considerata, hoc est ut reducatur naturalis imago obiecti: Et hoc modo de imaginibus non loquuntur Patres septimæ Synodi, vnde nobis non aduersantur.

31. Secundò arguitur ratione.
Imago

Imago quantumuis formalissimè sumatur est quid creatum , ergo eidem imagini tribui non potest ex- dem adoratio latriæ , quæ exhibetur Christo Domino . Antecedens ex se patet. Consequentia suadetur, quia suprema latriæ adoratio solum debetur ei, quod intrinsecè est quid increatum , vt nos ipsi diximus supra agentes de adoratione humanitatis Christi , prout affectæ vnione hypostatica præscindente à persona Verbi.

Confirmatur , Ideo est idem motus in imaginem naturalem vt talem & eius obiectum , vt apparet in speciebus intentionalibus , quia istæ in esse repræsentatiuo sunt eiusdem prorsus numericæ naturæ cum obiecto quod repræsentant , sed imago depicta Christi est prorsus diuersæ naturæ , ac sit Christus Dominus , ergo non erit idem motus adorationis in imaginem quantumuis formalissimè sumatur , & in illius prototypum. Maior quoad id quod in illa supponitur , idest species in esse repræsentatiuo esse eiusdem prorsus naturæ cum obiectis , alibi docuimus . Quantum verò ad causalem , suadetur, quia vnitas motus sumitur ab vnitate termini formalis , vnde nisi fuerit vnitas saltē specifica termini , nequit vnitas motus haberi ; ex identitate igitur naturæ existentis in obiecto , & in specie repræsentante haberi solummodo potest vnitas motus . Secus si essent diuersæ naturæ . Minor videtur manifesta , nam pictura & exemplar sunt æquiuocata , aut ad summum analogata , quæ nec genere conueniunt , quanto minus specificè? Cö- sequentia liquet .

Respondetur concedendo antecedens , & negando consequentiam , ad eius autem probationem dicendum , quod creatum illud vt formalissimè repræsentans non ponit in-

numero cum Christo increato ; & hoc ideo , quia vna cum ipso constituit ynam & eamdem adæquatę rationem terminandi vnicum adorationis motum . Eo fere modo quo in eodem Christo Domino datur creata humanitas , quæ vna cum Persona Verbi constituit Christum , qui dicit vnam eamdemque adæquatam rationem terminandi adoracionem latriæ . Ex quo apparet quod sicuti Christus in ratione adæquata terminandi latriam dicit intrinsecè creatum & increatum , quæ sub eadem ratione terminandi coadunantur: ita imago formalissimè accepta & exemplar integrant vnam eamdemque rationem adæquatā terminandi adorationē latriæ & hęc adæquata ratio terminandi vtiq; intrinsecè complectitur increatum Christū Dominum . Quod fortè clarius innotescet ex mox dicendis in solutio- nione ad confirmationem .

32. Ad hanc ergo respondeatur cōcedendo suppositū maioris,iuxta alibi dicta,negatur tamē causalis , si per eam intēdatur assignari causam adæquatam vnitatis motus: ad eius verò probationem dicitur non esse necessariam eam identitatem sive numericam , sive specificam in na- tura : siquidem motus speciem sumit à formali ratione terminandi , sub qua contineri possunt , & vni- ficiari per illam plura specie diuer- sa . Et sane affirmatio & negatio maximè distant inter se , & tamen vt refert D.Tho: quæst:8. de Verit: art 14 . in fine corporis Philosophus dicit in 6 . Metaph: Dico autem simul & separatim intelligere affirmationem & negationem , quasi non deinde , sed unum quid sit . Non enim simul in- telliguntur in quantum habet ordinem distinctionis ad inuicem , sed in quan- tum uniuntur in una propositione . Sicut ergo affirmatio , & negatio summè distantes vniificari possunt sub

S.Thom.

sub eadem formalis ratione, ita ut terminent unum intellectus motum. Ita quoad praesens: Per quod patet ad minoris probationem, non obest enim ea esse analogata quoad ordinem entitatum, dummodo vniuersitatem sub eadem ratione terminandi adorationis motum.

Eiusmodi autem vniuersitatem declarari potest in hunc modum, quia imago ut formalissimè talis exprimit hoc quod est exercite ducere, & transferre adorationis actum in prototypum, ita tamen ut transeundo per imaginem, hanc afficiat, sed sic afficit, ut in ea nec sistat, nec siffrere possit: & hoc ideo, quia in illa cum precisione sumpta non inuenit propriam rationem terminandi, quæ est excellentia increata, unde ultius progreditur ad eam ut sic loquimur, inueniendam in exemplari, eaque inuenta coadunat sub ipsa imaginem & exemplar, & hoc totum sic vniuersitatem adorat, & imaginem tanquam partem illius totius sic vniuersitatem coadurat.

33. At aduersus hanc doctrinam insurgit Mirandulanus. Si adequarem obiectum eius adorationis ut modo diximus est Christus & imago eius, iam imago creata est partiale obiectum adorationis supremæ, nempe latræ, quod asserere ut inquit ipse, videtur male Catholicum.

Verum haec impugnatio habet manifestam instantiam in creata humanitate Christi, quam certum est esse partiale obiectum adorationis latræ; nemo enim dicet per huius adorationis actum non coaduari humanitatem ad adorationem totius: Et quamvis verum sit humanitatem strictiori modo vnitam esse cum Persona Verbi, cui reali vniione coniungitur: hoc tamen de materiali se habet, sufficit enim imaginem Christi, & Christum propo-

ni ab intellectu per modum vniuersitatem adequati obiecti, in quod feratur actus voluntatis, & rursus quod imago formalissimè sumpta sit per se primò instituta ad representandum obiectum sive exemplar; his enim positis substare potest rationi formalis terminandi latræ, quæ formalis ratio utique tota reperitur in exemplari, ex quo redundat in imaginem. Non negamus tamen certius omnino esse humanitatè assūptam coaduari per eamdem latræ, qua adoratur Christus, quam imaginem & Christum eamdem terminare adorationem. Sed paritas stat in hoc, non esse male Catholicum asserere creatam imaginem formalissimè sumptam ingredi obiectum quod adequatum adorationis latræ Sicut Catholicum valde est, creatam humanitatem intrare obiectum quod adequatum adorationis latræ qua colitur Christus.

34. Ad magis autem illustrandam hanc doctrinam, & simul declarandum quo modo imago formalissimè sumpta, atque adeo ut non ponens in numero cum proprio exemplari, adorari possit eadem adoratione, qua adoratur exemplar, notanda est doctrina quam tradiderunt. N. Salman: trac: de prædest. disp: 5. num. 17. vbi inductione probant ex peculiari vniione Dei cum creaturis cōsurgere, ut illæ creaturæ, ut sic coniunctæ cum Deo habente rationem ultimi finis, sint finis omnium illius generis, secundum quod sunt inferiora. Ita quia Deus est personaliter vnitus humanitati Christi, idcirco Christus ut homo est finis humanitatis eiusdem & totius vniuersitatis, adhuc secundum suam substantiam, & primum suum esse considerati, hoc enim posterius docuit Apost: ad Coloss: 1. vbi loquens de Christo ait: *Qui est imago Dei innisibilis primogenitus omnis creature*

creature quoniam in ipso condita sunt
universa in celis, & in terra, visibilia,
& invisibilia. Et Angelicus Preceptor 2. 2. quæst. 1. art. 7. docuit Christum reuelatum fuisse Adamo Innocenti ut consummatorē gloriæ. Similiter quia idem Deus, ex vnoione cum humanitate est peculiari modo præsens in Eucharistia, ideo hæc est finis omniū Sacramentorum. Ut docet S. Tho: 3. p. quæst. 63. art. 6. & consequenter aliarum rerum ordinis naturalis. Demum quia speciali modo idem Deus est in hominibus iustis, ut pariter D. Tho: p. p. quæst. 8. art. 3. docuit, fit indè iustos esse finem omniū creaturarū, vti ostendit Angelicus in cap: 8. ad Rom: lec: 6.

35. Hanc doctrinam præsenti materia applicamus, atque adeo asserimus imaginem Christi formalissimè sumptam, & consequenter ut non ponentem in numero cū suo exemplari, propter quod representandum est primariò institutivi huius peculiaris coniunctionis reddi partiale obiectum quod adorationis latræ, quæ vltimo fini primoque principio debetur, & sicut tota ratio, vnde ea quæ nuper enumerauimus habent vim finalizandi, desumitur à Deo fine vltimo, peculiari modo cum ijs creaturis vnto, & hoc absque vel apparenti erroris periculo: ita prorsus quoad præsens. Et hoc ipsum extendimus ad imagines Beatissimæ Virginis, quæ vna cum eorum exemplaribus, & ratione istorū coadorantur adoratione hyperdulie, & tandem idem dicendum credimus de aliorum Sanctorum imaginibus, quibus concedendā asserimus dulie coadorationem, ex peculiari coniunctione ad propria exemplaria, quæ per duliam, veneramur. Consultò hic omittimus obiectionem, quæ fieri posset, nempè ex hac doctrina deduci pos-

De Imaginum Adoratione.

se quamlibet creaturam, seu quæ fuerit Dei vestigium, seu ad illius imaginem adorari posse formalissimè sumptam eadem adoratione, qua Deus adoratur, hæc enim difficultas infra in peculiari dubio erit ad examen reuocandæ, vndè pronunciamus.

S. III.

Soluuntur alia argumenta eidem assertioni opposita.

36. **T**ertiò arguitur. Imago nō potest adorari, nisi adoratione respectiva ad exemplar, sed hoc adoratur adoratione prorsus absoluta, ergo fieri non potest, vt vna & eadem sit adoratio imaginis & exemplaris. Maior videtur certa, quia imago adorari debet, secundū quod essentialiter est in seipsa; est autem de eius essentia transcendentalis respectus ad exemplar, vndè dicebamus quod formalissimè sumpta dicit ad aliud, hoc est ad prototypum, est igitur de eius essentia prototypum transcendentaliter respicere, atque adeo nequit non adorari adoratione respectiva, quæ illi est conformis. Minor constat cum exemplar omnino ratione sui, ac independenter ab alio habeat excellentiam adoratione dignā. Consequentia suadetur, tum quia non apparet quomodo unus idemque actus per respectū ad diuersa possit in se coadunare munera respectui, & absoluti, quæ sunt diuersi ordinis. Tum rursus quia adoratio respectiva est essentialiter inferior ad adorationem absolutam; illa enim essentialiter dicit dependentiam, quæ est nota inferioritatis: secus verò absoluta: & sanè sicut ex parte obiectorum, nobilius quid est esse

F^f absolute,

absolutè , & independenter à quocumque alio adorabile , quam tale esse dependenter ab alio: ita quantum ad adorationis actum . Idque non obscurè appetet in fine , & medijs,hæc enim quæ dependenter à fine amantur terminant actū electio nis, quæ est inferioris conditionis ad actum intentionis,quo finis indepen denter ab alio diligitur .

P. Suer. Ad hoc argumentum respōdet P. Suer: tomo 1 . in 3. p. disp: 54. sec: 4 . circa finem , concedendo adorationem illam esse respectiuam, etiā cum per eam simul cum exemplari coadoratur imago ; hæc enim non est adorabilis propter se , sed tantū ob extrinsecam exemplaris excellētiā : vnde nullum reputat inconueniens , vnam eamdemque adorationem esse respectu diuersorum absolutam ac respectiuam : sic exigente adæquato eiusdem adorationis obiecto , in quo exemplar est per se , & absolutè adorabile : imago verò non nisi ratione alterius est adoratione digna. Hinc asserit , adorationem illam prout fertur ad exemplar maiorem exprimere excellentiam , quam prout fertur ad imaginem , sicut enim hæc est illo inferior valdè ita inferiori modo paticipat prædictam adorationem : licet enim hæc vna sit , non est opus quod æqualiter cadat in omnia, quæ per illam coadorantur: sicut eadem adoratione , qua Sanctus homo colitur, adorantur corpus & anima , non tamen æquè , sed magis anima quā corpus. Sic ille .

37. Verum hæc solutio non videtur omnino vera ; cum enim in præsenti loquamur de imagine formalissimè sumpta , adeoque prout non ponit in numero cum re cuius est imago , non appetet quomodo adorari possit adoratione respectiva; nam in tantum hæc esset respectiva , quatenus terminaretur ad imaginem

vt respicientem exemplar ; porrò imago vt respiciens exemplar exprimit distinctum esse ab eodem exemplari , quandoquidem respiciens , & id quod respicitur oportet sumi vt distincta ; videtur autem certum , hanc distinctionem nō expresse importari ab imagine formalissimè accepta , cum prout sic exprimat vt faciens quid vnum cum prototypo . Tum rursus quia posito , eam adorationem esse partim respectiuam , partim verò absolutam , iam non verificatur eūdem prorsus esse motum in imaginē formalissimè sumptam , & illius exemplar : quod videtur non omnino coherere cum Aris: & S. Tho: absolutè , ac sine vlla limitatione dicentibus eūdem esse motum in imaginem , & in rem cuius est imago . Nec refert quod dicitur de inferioritate imaginis , vt constabit ex mox dicendis ; ostendemus enim ex ea non sequi , ponendam esse aliquam inferioritatem in adoratione , prout coadorante imaginem cum exemplari : idemque putamus dicendum de adoratione hominis sancti , in qua ponendam non credimus eam inæqualitatem , cum ratio formalis terminandi tenens se ex parte hominis Sancti sit vna prorius & indiuisibilis nullam admittens diuersitatem , quā proindè nequit refundere in adorationem quam specificat & terminat , & cui indiuisibilitati non obstat diuersitas eorum , quæ illi substant .

38. Melius itaque videtur respondendum negando maiorem , ad cuius probationem dicitur , imaginem formalissimè sumptam , vt potè non ponentem in numero cum exemplari non importare respectum ad idem exemplar ; quamvis realiter dicat talem respectum : sicuti realiter loquendo affert proprium modū essendi realiter distinctum à suo exemplari . de quo tamen modo essendi

essendi non curatur, cum est sermo de formalissima ratione imaginis. Quod patet in specie intentionalis, quæ formalissimè sumpta non ponit in numero cum obiecto quod representat; vnde idem formalissimus intellectus motus ad ipsam & ad obiectum terminatur, absqueulla diuersitate ex parte actus intellectus. Ita ergo quoad præsens, idem prorsus erit motus in imaginem formalissimè sumptam, & prototypon, absq; distinctione respectiue & absolute adorationis. Per quod patet ad consequentia probationes.

Declaratur magis hoc ipsum in imagine formalissimè sumpta, & exemplari concurrentibus ad constituantem adequatam rationem quæ terminatiuam illius adorationis datur vnica tantum & formalissima ratio terminandi adorationem, ergo dandus erit unus actus absqueulla diuersitate respectiui & absoluti. Antecedens videtur manifestum, est enim hæc sola excellentia exemplaris, quod est Christus Dominus à qua formalizantur, & cui substantia & imago modo dicto accepta & exemplar, ut enim optime dixit P. Suar: in imagine non datur alia ratio terminandi latræ adorationem, quam excellentia Diuina sui exemplaris, idemque constat de exemplari. Consequentia suadetur, quia ab una eademque, ac prorsus indiuisibili ratione terminandi nequit haberi, nisi unus formalissimus adorationis actus, absqueulla diuersitate; nam quamvis hæc formalissima ratio applicetur alicui secundum se inferiori, nempe imaginis, hæc tamen inferioritas prorsus de materiali se habet, nec oportet inferioritatē suam refundi in formalissimam rationem terminandi, atque adeo nec in adorationis actū, qui omnino pendet ab ea formalis ratione terminandi, veluti à sua ra-

De Imaginum Adoratione.

dice, vt inductione patet in omnibus alijs actibus, qui à proprijs formalibus obiectis specificantur.

39. Idque non obscurè etiam apparebit exemplo creationis; nam cum ratio formalis terminandi illā sit ens, sub formalis ratione entis, idcirco siue producatur per eam Angelus, siue musca, quæ est longè imperfectior Angelo, semper sub formalis ratione creationis exprimit eamdem prorsus perfectionem: non alia ratione nisi quia maior & minor illa perfectio omnino de materiali se habet: atque adeo maior imperfectio creaturæ non refutiditur in formalem illam rationem terminandi, & consequenter nec in actum creationis, in quo proinde eadem prorsus enitet perfectio, siue magis siue minus perfecta producat creaturā. Vnde que repugnat virtutem creandi communicari homini, exempli causa, ad creandum supremum Angelum, ac ad creandam insimam prorsus creaturam. Posita ergo ex parte imaginis, & exemplaris formalissima ac indiuisibili ratione terminandi, non appetet vnde adoratio actus habere possit aliquid inferioritatis prout terminatur sub illa ad imaginem formalissimè sumptam, & aliquid superioritatis prout terminatur ad exemplar ut inquit P. Suar: Et quidem si hoc modo distinguendum esset in adorationis actu oporteret ut in supra latræ, qua adoratur Christus primo poneamus maximam superioritatem prout talis adoratio terminatur ad eius Personam Diuinam, deinde aliquid minus de eadem superioritate prout terminatur ad eius animam sanctam, ac tandem minus adhuc de eadem superioritate prout terminatur ad corpus, quæ tamen distinctio minus consentanea videtur indiuisibilitati rationis formalis terminandi. Vnde pu-

tamus adorationem qua Sanctū hominem colimus, vnam prorsus eademque esse, sive sumatur prout terminatur ad animam substantem, rationi illi formaliter terminandi, siue prout terminatur etiam ad corpus, quia animam esse excellentiorē corpore omnino de materiali se habet, adeoque non refundit inæqualitatem aliquam in adorationem, vt putauit citatus Suarez.

40. Quartò arguitur. Si imagini formalissimè sumptæ exhiberi posset eadem adoratio, ac illius exemplari, sicuti imagini Christi exhibetur adoratio suprema latræ, ita posset offerri sacrificiū, quod Christo indubitatum est posse offerri, sed hoc videtur falsum, ergo falsum erit imaginem formalissimè acceptam adorabilem esse eadem adoratione, qua adoratur exemplar. Maior probatur quia si non posset offerri sacrificium, id maximè contingere, quia istud continet supremum latræ cultum, quem cum non denegemus imagini Christi formalissimè sumptæ: utique nec sacrificiū poterit denegari. Minor supponitur certa nēpe sacrificiū soli Deo esse debitum, nec posse creatæ imagini quantumvis formalissimè sumatur exhiberi. Et hoc ipsum etiam supponendum videtur de cultu orationis, & his similibus. Consequentia liquet.

Huic pariter argumento occurrit P. Suar: sec: 4: s̄epe citata in fine negando sequelam, quia ut sumi potest ex doctrina Scoti in 3. distin: 9. §. ultimo sunt quidam actus, qui præcisè respiciunt personam intelligentem, ut talē, & per quos solum coluntur personæ, ad quas diriguntur, non autem imagines, nec vestes, nec similia. Hinc Trident: sess: 25. docuit ab imaginibus nihil esse petendum, nec aliquam fiduciam, in ijs ponendam, quia petitio, & fi-

ducia sunt actus dirigendi ad personam intelligentem tantum. Vnde cum adoramus Pontificem ex osculando eius pedē, ad hunc nō dirigimus vlo modo petitionē, sed ad solam personam: adoratio enim latius patet & extenditur ad omnem rem, cui homo venerationem aliquam exhibit. Quare idem dicendum de Sacrificio, quod ad solum Deum dirigitur, in protestationem supremi ipsius Dominij, hinc nullatenus potest imaginibus communicari: & hoc contra quosdam hæreticos docuit Irenæus lib: 1. cap: 24. Epiphanius: hær: 27. 29. & 79. Augustinus: hæresi 7. Idem sentit P. Vasq: disp: 110. cap: 4. quod tamen iuxta eius sententiam adstruentem, solam externam adorationem imaginibus reddendam, secus internam, id consequenter asseratur.

41. Verum huic modo dicendi, quamuis fortè non improbabilis sit, non videtur standum esse, saltem supposita sententia quam elegimus, nempè imaginibus Dei, & Christi Domini formalissimè sumptis exhibendam supremam latræ adorationem: quod ut melius percipiatur. Nota ex N. Salman: in arbore generali virtut: sacrificium sic definiri *Oblatio rei sensibilis, à legitimo ministro Deo facta, per realem immutationem, ad restandum supremum illius Dominium, & nostram subjectionem.* Ex qua definitione colligitur, in sacrificio claudi supremam latræ adorationem: hæc enim ut omnes fatentur, est actus quo nos Deum tanquam primum principium, & supremum Dominum omnium nostrum recognoscimus. Imò ex eisdē verbis clarè constat potissimum quod in sacrificio continetur esse protestationem illam Dei ut supremi Domini, cum in eam tendat sacrificiū, dicitur enim offerri sacrificiū ad testandum, supremum Dei dominū.

Nunc

Nunc ergo ad argumentum respondemus concedendo sequelam de imaginibus Dei, & Christi Domini formalissimè sumptis, & negando minorē: nam hoc ipso quod imaginibus istis deferatur suprema latrīæ adoratio, vt vidimus, & hæc sit id potissimum quod in sacrificio clauditur, non est cur negetur eisdem sacrificium, hoc ipso quod predicta exhibeat adoratio. Alia enim quæ idem sacrificium importat & per quæ ab interna adoratione secernitur, vt pote sensibilia & externa, sunt inferioris conditionis, atque adeo non apparet, cur imaginis nequeant deferri modo dicto. Tū rursus, quia adoratio latrīæ est etiā internum sacrificium, quo Deo supremo Domino animam eiusque potentias, & quicquid intimum in nobis est Deo subiçimus. Si ergo internum hoc sacrificium per latrīæ actū sacrī imaginibus Dei & Christi offerimus, quarè denegandum erit idem sacrificium, vt associatum externis illis ac sensibilibus cérémonijs. Eo vel maximè, quia internum latrīæ sacrificiū excellentius videtur externo, vt dochit Angelicus Præceptor 2.2. q. 85. art. 2. his verbis *Oblatio sacrificij sit ad aliquid significandum, significat autem sacrificium quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo animam seipsum offert Deo secundum illud Psalmi: sacrificium Deo spiritus contribulatus; quia sicut supra dictum est exteriores actus religionis ad interiores ordinantur.* Vndè apparet interius latrīæ sacrificium excellentius esse exteriori cum huius illud sit finis: cum ergo predictis imaginibus exhibeat excellentius sacrificium, non apparet ratio cur exterius non sit eodem modo offerendum.

42. Demum hoc ipsum non obscurè colligitur ex verbis Septimæ Synodi; siquidem actione septi-

ma in definitione fidei habentur hæc verba. *Merito nos ad imagines reuerterer accedimus oblationibus suffituum & luminarium.* Videtur autem certum nomine oblationis intelligi sacrificium, ab isto enim solummodo differt, quod per eam offertur res immutata, & integra permanens, quæ tamen est differentia solummodo accidentalis.

Occurrit tamen huic autoritati adducto loco P. Suar: asserens per ea verba solū denotari, quod actiones & cérémoniæ, quæ inter sacrificandū fiunt, in honorem imaginis redundant, nullatenus sacrificium. Sed vti apparet eiusmodi responsio voluntaria est, nec eius vel leue signum habetur ex modo loquendi Concilij. Deinde cum adoratio suprema latrīæ deferatur imaginibus formalissimè sumptis, & aliundè, vt dicit P. Suar: etiam externæ cérémoniæ redundabant in sacrificiarum imaginum honorem, iam nihil deesse videtur ad hoc, vt verum sacrificium, æquè ac suprema latrīæ adoratio illis exhibeat.

43. Motiuā verò, quibus dūctus est P. Suar: non videntur admodum efficacia. Primum enim, quod ex Scoto affertur non multum ei fauet, perlegimus enim totam illā distinctionem, nec potuimus inuenire eam doctrinam expressè ibidē assertam, sed vix aliquale illius vestigium, nec ullo modo subtilis Doctor loquitur de sacrificio; sed dumtaxat de adoratione latrīæ, quā asserit tribuendā humanitati Christi ut coniuncta est Verbo, attendendo ad rationem formalem terminandi, & non multum curando de distinguenda natura à Persona Verbi, in qua prout sic distincta non reperitur ex proprijs meritis ratio formalis terminandi summam adorationem, eodemque modo discurrat de dilectione summa charitatis: in qua doctrina

vt liquet magis nostræ sententiæ, quam opinioni P. Suar: fauere videtur. Sed quicquid sit de hoc superesset adhuc ostendendum citato authori, sacrificij actionem talem esse, vt exhiberi solum posset personæ intelligenti, taliter quod neque concomitanter dirigi queat in imaginem formalissimè sumptam,, quod nullatenus, efficaciter saltem, probatur. Quod rursus affertur ex Concilio Tridentino facilem habet expositionem, nempè ipsum loqui de imaginibus secundum se, non verò vt assumuntur simul cum prototypis, Et quidem si eidem Concilio non aduersatur, supremum latræ actum versari in imaginem Dei & Christi simul cum prototypo, non appetet cur orationi nequeat competere idem modus tendendi, cum oratio sit actus adoratione latræ inferior.

Imo oppositum huius, quod asseritur de actu orationis habetur ex consuetudine Ecclesiae, quæ orationis actum dirigit etiam in res inanimatas non sistendo in illis, sed transeundo ad personam intelligentem, quæ per illam representatur: hinc in hymno de Sancta Cruce habentur hæc carmina.

Hymn.
Eccles.

O Crux Aues pes unica
Prys adange gratiam
Reisque dele crimina

Qui orandi modus non excludit crucem inanimatam, cui simul cum Christo per eam figurato ea deferuntur oratio.

44. Dicit tamen P. Suar: in hoc orandi modo vti Ecclesiam figura Metonimia, nominando videlicet continens pro contento, nempe pro Christo Domino crucifixio, ad quem solum dirigitur prædicta oratio. Verum hæc responsio non appetet quomodo congruere possit

alijs eiusdem hymni carminibus videlicet.

*Sola digna tu fuisti
Ferre mundi victimam,
Atque portum præparare
Arca mundo naufrago .*

Ijs etenim in verbis expressè est sermo de continente, vt de se pater: in Crucem ergo oportet aliquo saltem modo dirigi prædictam orationem. Nec refert quod respondit Vasq: loco citato cap: 4 . num. 21. ^{P. Vasq} nempè Ecclesiam vti figura Protopopeiæ: nam cum commodè possimus iuxta nostrum dicendi modum ea verba magis propriè intelligere, minus congruum est recurrere ad prædictas figuræ, seu tropos à litterali sensu magis recedentes.

Ad exemplum tandem adoratio-
nis Summi Pontificis, dicimus per
osculum pedis non adorari eam
partem, sed totam personam, quā-
uis eius adorationis signum, ac ex-
ternus actus determinetur ad pecu-
liarem eam, & quidē infimam par-
tem, ad denotādam maiorē submis-
siōremq; reuerentiam, qua dignus est
Christi Vicarius: vnde nō appetet, ni-
fi materialis differentia inter ador-
ationis, & petitionis actum, &
consequenter parum, aut nihil eo
exempli conuincitur. Hinc credi-
mus probabiliorem esse eam, quam
tradidimus responsionem, magis-

que nostræ, & Patris Suarez
assertioni cohærentem,,
quod lectori iudi-
candum relin-
quimus .

D V B I V M III.

S. I.

Verum imago ut præscindens ab exemplari sit adorabilis: & qua oratione?

Considerauimus dubio præcedenti imaginem ut facientem quid vnum cum exemplari, adeoque terminantem eundem adorationis motum cum illo; agendum nunc de imagine, secundum quod assert proprium modum essendi ab exemplari distinctum: iuxta quam considerationem, et si realiter loquendo, sit respectiva exemplaris; atq; adeo istud tanquam terminum claudat: adhuc tamen præcisione mentis summi potest ut abstrahens ab eodem termino, quamvis hunc positivè non excludat. De imagine ergo sic præscindente queritur; num sit adorabilis? qui inquirendi modus coincidet cum eo, quo alij querunt, utrum adorari possit imago non adorato directe exemplari, ita ut istud non sit obiectum quod talis adorationis, sed ab eo præscindatur, quantumuis re ipsa exemplar eiusque excellentia sit radix eiusdem adorationis. Inquiritur rursus quænam adoratio imaginibus sacris ut sic præscindentibus debeatur, illas enim, ex proprijs meritis cum præcisione sumptis, dignas esse aliquo honore videtur manifestè sequi

ex dictis dubio primò
huius disputationis
n.7. & sequen-
tibus.

*Ponitur prima assertio & autho-
ritate, ac ratione probatur.*

45. **D**icendum est primò; illud citum omnino est imagini, ut præscindenti ab exemplari tribuere eamdem adorationem, quæ exhibetur eidem exemplari; adeoque simpliciter loquendo, imago ut sic præscindens non est adorabilis. Hæc secunda pars sequitur manifestè ex prima; si enim imagini sic præscindenti de negatur absolute, adoratio, quæ exhibetur eius exemplari, utique simpliciter & absolute negatur, illam esse adorabilem; si quam etenim adorationem simpliciter terminaret, alia certè esse non deberet, nisi ea quæ tribuitur eius exemplari, à cuius excellentia adoratio illius oritur, ut melius ex dicendis in decursu huius dubij innotescet. Prima autem assertionis pars, ex qua, ut mox diximus, sequitur secunda docetur communiter à Thomistis ut inquit P. Suar. *p. Suar.* tomo 1. in 3. par. disput. 54. sect. 5. in principio, pro qua etiam alios adducit. Et quam etiam à fortiori sequi tenentur omnes, qui ut vidi mus, dubio primò huius disputationis absolute dixerunt imagines solum abusivè adorari, ad quorum dicendi modum reducitur opinio P. Vasq., ut ibidem adnotauimus, quare hi omnes pro hac sententia possent adduci.

Idein docuisse S. Thom: probari primò potest ex hoc, quod 3. par. quæst. 25. vbi ex professo de imaginum adoratione disputauit, solum loquutus est de imagine ut non ponente in numero cum exemplari, quo modo docuit esse adorabilem

eadem adoratione , qua adoratur exemplar ; inde enim colligitur hoc tantummodo imaginem esse adorabilem ; si enim alio modo considerata, esset etiam adorabilis, diminutè satis processisset S. Tho: non agens de imagine , prout alio modo considerata est simpliciter adorabilis; iuxta opinionem postmodum referendam , quod senti e de Angelico Præceptore indignum censemus. Colligitur rursus hanc fuisse mentem D. Tho: ex doctrina quam habet 2.2. quæst. 103: artic. 3. ad 3. vbi in hunc modum loquitur. *Dicendum quod motus , qui est in imaginem , in quantum est imago refertur in rem cuius est imago . Non tamen omnis motus qui est in imaginem refertur in eam , in quantum est imago : & ideo quandoque est alius motus specie in imaginem , & motus in rem . Sic ergo dicendum quod honor vel subiectio dulia respicit absolute quamdam hominis dignitatem . Licit enim secundum illam dignitatem sit homo ad imaginem , vel similitudinem Dei , non tamen semper homo quando reverentiam alteri exhibet , refert hoc actu in Deum . Vel dicendum quod motus , qui est in imaginem quodammodo est in rem , non tamen motus , qui est in rem oportet quod sit in imaginem ; & ideo reverentia qua exhibetur alicui in quantum est imago Dei redundat in Deum : alia tamen est reverentia , qua Deo exhibetur , qua nullo modo pertinet ad eius imaginem .*

46. In his duabus responsionibus apertissimè distinguit S. Tho: imaginem formalissimè sumptam , ab imagine secundum se accepta , adeoque ut explicante proprium modum essendi , vi cuius ponit in numero cum exemplari . Et loquens de imagine formalissimè sumpta assertit eundem esse motum in imaginem , & in rem , cuius est imago: at loquens de ista secundum se , & per

consequens ut explicante proprium modum essendi afferit iuxta primam responsionem terminare motum specie distinctum ab eo , quem terminat eius exemplar , quod est Deus : iuxta secundam verò nullo modo motum terminatum ad rem representatam per imaginem ad hanc terminari . Ex quo apparet per utramque docere nostram assertiōnem qua afferimus adorationem terminatam ad exemplar , exhibendam non esse imaginis , prout preſcindenti ab exemplari : nam hoc modo non sumitur imago formalissimè , idest quatenus facit quid unum cum exemplari , vti de ea loquuti sumus dubio præcedenti .

Probatur deinde conclusio autho-
ritate Concilij Moguntini cap. 41. -
dicentis Pastores nostri populum accu-
rati moneant , imagines non ad id pro-
poni , ut adoremus , aut colamus eas ,
sed ut quod adorare , aut colere , aut
quarum rerum uiliter meminisse de-
bemus per imagines recordemur . Ap-
paret ergo Concilium negare ima-
ginibus secundum se sumptis ado-
rationem & cultum , & solum haec
illis esse exhibenda , quatenus ha-
bent coniunctionem cum exempla-
ribus , quibus vna cum illis tan-
quam non ponentibus in numero ,
adoratio est exhibenda ; & idcirco
exigit etiam ad talem adorationem
reuocari ad memoriam prototypa ,
quia absque actuali coniunctione
cum ipsis non est licitum imagines
adorare . Cui authoritati omnino
consonat , quod habetur ex Conci-
lio Senonensi in decretis fidei cap.
14. his verbis *Neque dum Catholicus
quispiam Sanctam Christi veneratur ima-
ginem , aliquod numeri illi subesse putat ,
aut quasi Deum colit sed ob recordatio-
nem Filij Dei , ut in eius amore recalle-
scat , cuius imaginem videre desiderat . Et
nos quidem non quasi Diuinitatem ,
ante imaginem prosternimur , sed il-
lum*

Concil.

Mogunt.

Concil.

Senon.

lum adoramus, quam per imaginem aut passum, aut in throno sedentem recordamur. Vides ad imaginis adorationem semper exigi consortium prototypi, cuius excellentia est ratio formalis adæquata terminans adorationem, cui formalis rationi nisi actu substet imago, non erit adorabilis; cum ergo prout praescindens ab exemplari non substet in exercitio huic formalis rationi terminandi, non erit prout sic adorabilis, simpliciter loquendo saltem, iuxta ea quæ infra dicentur. Vide-

Synod. etiam potest septima Synodus actione septima in definitione fidei,

Trident. & Concilium Tridentinum sess. 25. quibus in locis ferè eadem reperies.

47. Dicit P. Suar. loco adducto per hæc & similia Sacrorum Conciliorum verba denotari, exemplar eiusque excellentiam esse rationem formalem terminandi adorationem, non quidem proximam, sed radicalem, adeoque exemplar claudi in adoratione imaginum praescindendum ab illo remotè, non verò proximè; eo ferè modo quo dicunt Santos adorari propter Deum, cum tamen proximum ac directum obiectum adorationis, qua colimus Santos non sit Deus, sed eorum iustitia.

At primum citò refellitur ex ipsis Sacrorum Conciliorum verbis, si enim sola imago ut præscindens ab exemplari posset esse obiectum directum, & adæquatum illius adorationis, non adeò expressè assererent Concilia, eam adorationem non ferri in imagines, sed in prototypa; ex hoc namquæ loquendi modo satis aperte indicatur in obiecto quod eius adorationis includi oportere exemplar, ita ut potius in istud, quam in imaginem dirigendus sit adorationis actus. Sed hoc melius ex dicendis innotescet. Nec fauet P. Suar. exemplum adductum, nam

De Imaginum Adoratione.

Sanctorum iustitia est excellentia quædam, quæ ut distincta ab excellentia Dei, est digna adoratione simpliciter tali, qualis est adoratio Dulie, quam Sancti terminant per talem iustitiam, quæ dicit propriam & intrinsecam rationem formalem quæ, & sub qua; unde mirum non est, Sanctos posse esse obiectum quod immediatum, & directum adorationis Dulie, independenter a Deo, in quem solum remotè, & ultimatè refunditur honor exhibitus Sanctis: eo fere modo quo omnis actus virtutis habet tendere mediante suo obiecto quod in obiectu Charitatis, tanquam in finem omnino ultimum. Ceterum imagines ut præscindentes ab exemplaribus, non habent intrinsecam aliquam excellentiam dignam adoratione simpliciter tali, ut mox ostendemus: unde oportet adorationem tendentem ad ipsas ferri quoque in exemplaria, tanquam in ea, quæ essentialiter requiruntur ad integrandum obiectum quod directum talis adorationis. Sanctorum Patrum testimonia omittimus, quia eorum loquutiones, coincidunt cum ijs, quas ex Conciliis retulimus.

48. Probatur igitur ratione habente fundamentum in doctrina D. Tho. 2.2. quæst. 103. artic. 4. ad 3. *s. Thom* Imago ut ab exemplari præscindens est intrinsecè quid irrationale, & inanime, sed nullum irrationale & inanime potest terminare simpliciter adorationem illam, quæ exhibetur exemplari illius, ergo imago ut præscindens ab exemplari non est adorabilis eadem adoratione, qua adoratur exemplar, adeoque nullatenus terminat adorationem simpliciter talem. Maior probatione non indiget, nam imago formaliter accepta, præscindens tamen ab exemplari dicit proprium modum essendi, & vim repræsentatiuam exemplaris:

Gg quo-

quorum neutrum est quid rationale, aut intrinsecè animatum : in hoc enim pictæ aut sculptæ imagines differunt ab imaginibus naturalibus quæ sunt species sensibiles , aut intelligibiles : istæ enim cum in esse repræsentatiuo sint eiusdem proflus naturæ cum obiectis, quæ repræsentant , idcirco si repræsentent obiectum viuens & rationale, habent intrinsecè vitam & rationalitatem: secus contingit in pictis , aut sculptis imaginibus , quæ cum sint artificiales imagines , quantumvis viua , & intellectualia repræsentent obiecta , nec viæ nec rationales sunt , vnde homo viuus , & pictus æquiuocè conueniunt , hoc est vix secundum quid .

Minor suadetur , quia adoratio illa quam homo defert exemplari , talis est ut per illum actum se subiicit illi , totaliter quidem si exemplar fuerit Divinum, non totaliter si fuerit solum participans Diuinam perfectionem , ut contingit in Beataissima Virgine , & reliquis Sanctis . Porrò eiusmodi subiectionis actus licet neque ab homine exhiberi rei irrationali & inanimatæ , quia hæc ex sui natura est omnino hominem rationali inferior , inordinate igitur homo per actum adorationis simpliciter talem seipsum aut totaliter, aut non omnino se subiiceret imaginis ut ab exemplari præscindenti . Et hoc est quod loco nuper adducto docuit Angelicus , cum ait . *Dicendum*

S.Thom. *quod creature irrationali in se considerata non debetur ab homine aliqua subiectio vel honor : quin potius omnis talis creatura est naturaliter homini subiecta . Consequentia ex præmissis sunt manifestæ .*

Confirmatur . Adoratio, & maximè latræ est actus Religionis , sed hæc nequit simpliciter loquendo elicere actus suos circè rem inanitam , ergo imago ut præscindens ab

exemplari nequit adorari ea adoratione, qua adoratur exēplar, adeoq; nullam adorationem simpliciter tam , sic accepta terminat . Maior, quoad latræ actum est omnino certa , nam elicituè procedit ab habitu Religionis, hyperdulæ verò, & duligactus ab illa imperatiuè saltem procedunt , quod parum refert ad præsens . Minor suadetur , quia Religio cum sit pars potentialis iustitiae , cum ista conuenit in eo quod actum suum refert ad alterum , eique suo modo debitum reddit : manifestum est autem iustitiam non ordinare actus suos , nec reddere debitum, nisi personæ rationis capaci , cui facit æqualitatem , & cum qua contrarium aliquem init . Quare hoc ipsum præstare debet Religio cum per actus suos versatur circa imagines , ita ut in illis ut præscindentibus ab intellectuali persona non sifiat , sed ad hanc usque transeat , eique debitum cultum , & obseruantiam reddat . Consequentia probatione non indigent .

S. I I.

Impugnatur responsio huic rationi , & confirmationi tradita .

49. **A**dductæ à nobis rationi occurrit P. Suar. tomo I. in 3. par. disputat. 54. sect. 5. circa finem , minorem illius veram esse de adoratione simpliciter , & absoluè tali ; secus de adoratione quadam respectuā : hanc enim dicit posse terminare imaginem, etiam prout præcisione mentis quodammodo separatur ab exemplari ; si quidem ad illam terminandam sufficit exemplar eiusque excellentia extrinsecè afficiens imaginem sic sum-

sumptam. Et hoc omnino videtur dicendum iuxta sententiam ponentem imaginem simul cum prototypo adorandam eadem adorationem, qua prototypon, quia etiam tunc ex parte homo se subiiceret creaturæ irrationali propter extrinsecam causam. Hinc utentes hac rationem nituntur euertere omnem internam adorationem versantem circa imagines. Nullum itaque putandum est inconveniens, quod homo aliquo modo se submittat rei irrationali, non propter ipsam, sed propter exemplar, quod representat: quia hoc non est seruire creaturæ propter seipsum, sed propter Deum, quod est seruire Deo in ipsa, ex hoc quod imago colitur, ut aliquid Dei: vel Sancti, qui excellentiores sunt.

Ad confirmationem dicit actum Religionis, & consequenter iustitiae non debere semper formaliter & expressè respicere personam intellectualem, sed satis erit ut ratione illius rem irrationalem reuerenter tractet, in quo virtualiter exhibetur personæ intelleculi debitus cultus: quamuis in expressa & formalis intentione hoc non habeatur. Quod declarat exemplo; dum enim quis exercet actum circa rem inanimatam ratione stipendijs vel mercedeis, virtualiter reddit ius suum Domino; sicut lèdendo rem inanimatam fit contra ius debitum personæ rationali, quamuis hoc non intendatur.

Hanc evasione, quatenus in ea assurrit ad terminandum adoracionis actum sufficere excellentiam extrinsecam in obiecto terminante, quantumvis predictus actus esset secundarius, iam impugnauimus supra agentes de adoratione humanitatis Christi, & unionis hypostaticæ affientis eandem humanitatem. Vnde ibidem dicta videnda sunt. Placuit nihilominus etiam in præ-

De Imaginum Adoratione.

senti aliquid addere. Pro cuius intelligentia nota ex eodem Suarez, in ea sectione circa medium §. An vero hi actus sint specie diuersi. Adorationem quam ipse vocat respectiuam specie distingui, ab actu adorationis absolute, qui fertur in exemplar, assignans autem, citatus author, huic adorationi respectu proprium ac directum obiectum quod sic ait. *Licet excellentia prototypi, in qua formaliter nititur utraque adoratio, sit eadem, tamen aliter est in persona representata, aliter participatur in imagine, in illa enim est vere ac formaliter, in hac vero tantum habitudine quadam, unde illam simpliciter reddit excellentem, & dignam perfectam & absolutam adoratione in tali ordine: hanc vero solum secundum quid reddit excellentem & dignam adoratione respectiva, ergo hoc satis est ad specificam actuum diuersitatem. Sic ille, cuius verba dare voluimus, ne videremur velle fingere nobis hominem, quem feriremus.*

50. Nunc sic argumentamur: Imago ut præcisione mentis separatur ab exemplari solum est habitudine quadam, seu extrinsecè excellens, ergo nihil habet intrinsecum ratione cuius sit adorabilis, ergo non diuersificat specie actum, qui terminatur ad ipsam. Antecedens est ipsius Suarez. Prima consequentia videtur per se nota, cum excellentia sit formale adorationis obiectum, si nulla enim in illa datur excellentia intrinseca, nulla utique dabatur intrinseca ratio adorabilitatis. Secunda consequentia suadetur, nam quicquid habet formaliter & intrinsecè actus, qui est ipsam tendentia, & habitudo ad obiectum: debet intrinsecè praesse in eodem obiecto, quod est causa formalis extrinseca illius. Si ergo in obiecto nulla est intrinseca excellentia distincta specie ab alia, uti-

Gg 2 que

què impossibile erit tribuere actui terminato ad ipsum specificam diuersitatem ; quomodo fieri poterit ut imago præscindens ab exemplari non sit intrinsecè excellens excellentia specie diuersa ab exemplari , & quod reddat actum terminatum ad ipsam specie intrinseca diuersum ab eo qui terminatur ad exemplar ? Sanè ponentes media ut talia non esse intrinsecè , sed solum extrinsecè , honesta honestate finis , vti ponunt omnes , aut fere omnes , non asserunt aetum terminatum ad media ut honesta specie distingui posse ab eo qui terminatur ad finem : & ideo electionem diximus alibi distingui specie ab intentione , quia in medijs est intrinseca utilitas , seu bonitas specie diuersa à bonitate finis .

51. Ad hæc; cum dicitur , imaginem sic præscidentem reddi secundum quid excellentem vel est sermo comparatiuus , idest per comparisonem ad maiorem omnino excellentiā exemplaris ; vel absolutus ? Primum non videtur posse dici , nam quod solum est excellens per denominationem extrinsecam , absolute loquendo est secundum quid excellens ; inductione enim constare videtur denominationem extrinsecam non constituere rem , nisi secundum quid in eo ordine in quo est talis denominatio : nihil enim est simpliciter tale , nisi intrinsecè tale fuerit : hinc melius omnino est minimum cuiuscumque formæ intrinsecè habitum , quam maxima extrinseca denominatio : quod patet à contrario , nam minimum intrinsecæ mutationis Deo repugnat : & denominatio extrinseca mutati , quantumuis maxima nullo proflus modo Diuinæ obstat perfectioni . Debet igitur absolutè loquendo imago sic præscindens habere excellentiam secundum quid ,

quomodo ergo distinguit actum adorationis simpliciter talem terminatum ad ipsam , ac diuersum ab eo , qui terminatur ad exemplar ? Si verò dicas hanc respectivam adorationem esse secundum quid talem , simpliciter verum erit , imaginem sic præscidentem non adorari , & hoc est quod intendimus .

Quod verò secundò loco dicitur minus vrget . Etenim cum imago adoratur simul cum exemplari , submissio , quam homo exhibet rei adoratæ fertur in obiectum formale & directum , quod vt constat , dicit intrinsecè maiorem excellentiam persona adorante : nec talis submissio commensuranda est partibus huius obiecti formalis & adequati , cum respectu huius , partes de materiali se habeant . Vnde dicebamus supra num. 39. nullam adorationis actum sumere diuersitatem ex partibus concurrentibus ad constitendum obiectum quod adorationis , ex hoc quod formaliter non inspiciantur . Cæterum si adoratio tenderet in imaginem ab exemplari præscidentem , hæc esset obiectum formale quod adæquatū , quod proinde deberet creatura rationalis , tanquam directum obiectum respicere , & consequenter ei directè ac per se primò subijci , quamvis remotè subijceretur Deo quod non tolleret peruerisionem ordinis .

52. Et ratio huius videtur esse , quia ad hoc vt videamus , an aliquis actus ordinatè fieri possit , debemus attendere ad merita obiecti quod proximi , quicquid sit de remoto : sicut enim obiectum quod proximū ac directum specificat , sic reddit illum ordinatum vel inordinatum : & propterea qui actum honestum ordinaret vt ad obiectum quod directum , ad utile , qua tale , peruersè ordinaret , quamvis remotum illius obiectum esset honestum . Per quod patet ,

pater, quomodo corruat quod ultimum loco dicitur, Deus enim eiusque excellentia solum remotè concurret, non verò tanquam ratio formalis proxima terminandi, ut concurrit, dum imago formalissimè sumpta simul cum exemplari coadatur.

Ex quibus etiam impugnatum relinquitur, quod responsum est confirmationi: Nam vel persona intellectualis intrat obiectum quod directum illius actus Religionis, & sic imago adoratur simul cum illo; si nou ingreditur, & sic tollitur proprium specificatum actus Religionis & iustitiae, quia istud habetur a obiecto quod proximo, quicquid de remoto & ultimo; ut constat in omnibus actibus virtutum per acquisitionem, quorum specificatio desumitur ab obiecto quod proximo & directo, non verò ab ultimam nempe ab obiecto Charitatis, it quod etiam virtualiter, & ex consequenti tendunt. Ad exempla vere dicendum, nec iustitiam, nec iniustiam propriè loquendo exerceri posse circa rem inanimatam, nisi respiciatur expesè, tanquam obiectum quod persona intellectualis, quæ solummodo capax est iuris, ac lesionis, quare res illa inanimata sumitur ut faciens quid unum cum eius possessore, nec ut præscindens à possessore propriè loquendo terminare potest iustitiae actum aut illius oppositum.

g. III.

Ponitur Secunda assertio ac ratione probatur.

53. **D**icendum est secundò. Sacris imaginibus ab exemplari præscendentibus exhibenda est dumtaxat honoraria quædam veneratio, quæ ad essentiam adorationis non pertingit, vocari tamen potest adoratio secundum quid. Ad intelligentiam huius assertionis notandum ex S. Bonaventura in 3^o distin&. 9. artic. 1. quæst. 4. duplicitate alicui deferri honorem, aliquando in testimonium virtutis & famulatus, & huiusmodi est honor adorationis, qui ut ex superiori dictis constat partitur in tres species nempè latriam, hyperduliam, & duliam. Aliquando in obsequium reverentiae, & eiusmodi actus appellatur honoraria veneratio, quæ non est species adorationis, sed dumtaxat quædam illius imperfecta satis participatio, ita ut ad essentiam adorationis non pertingat. Et hanc dicimus deferēdam esse Sacris imaginibus, ut à proprijs exemplari bus præscendentibus; à quo autem principio eiusmodi actus honorariæ venerationis eliciatur, explicabimus infra. Hæc assertio satis clare habetur in 7. Synodo in definitione fidei his verbis. Per hanc imaginum & picturarum inspectionem omnes qui contemplantur ad prototyporum memoriam, & recordationem & desiderium veniant illisque (imaginebus videlicet) salutationem & honorariam adorationem exhibeant, non secundum Fidem nostram veram latriam. Vbi videtur esse sermo de imaginibus præscendentibus ab exemplari, quibus negatur essentia actus latræ,

S. Bonau

latriæ, ut patet per ly Veram.

54. Probatur nunc cōclusio ratio.
ne. Imagines prædicto modo sumptę dicunt intrinsecè excellentiam secundum quid talē, & rursus de-
nominantur extrinsecè excellentes ab excellentia exemplariorū, ergo exhibenda est illis honoraria solum
veneratio, quæ ad essentiam veræ adorationis non pertingat, quæque est solummodo adoratio secundum
quid talis. Antecedens quoad pri-
mam partem probatum relinquitur ex dictis supra dubio primo num. 7.
& sequentibus; ibi enim ostendimus imagines per se primo ad ræpræsen-
tandum institutas, esse intrinsecè ducentes ad exemplar; & vi huius
intrinsecæ conducentiae esse aliquo modo intrinsecè excellentes: sicuti
medium est intrinsecè suo modo
bonum, ex hoc quod conduceat ad
consequendum finem. Vide quæ
ibi fusius diximus. Quoad secun-
dam partem probatione non indiget
idquæ fatentur etiam tenentes op-
positum ei, quod in prima assertio-
ne docuimus: & præcipue P. Suar:
loco s̄epe citato. Consequentia
faudetur, quia oportet honoratio-
nis actum proportionatum esse
objeto, circa quod versatur; hæc
autem proportio omnino adest inter
imagines prædicto modo considera-
tas & excellentes, & hanc venera-
tionem honorariam, quod in hunc
modum explicatur.

Excellentia ea duplex reperta in
imaginibus eo modo præcidenti-
bus, omnino est excellentia secun-
dum quid talis siue enim separa-
tim consideretur, siue coniunctim
non excedit limites excellentiæ se-
cundum quid talis. Et quidem
loquendo de prima seorsim accepta
id constat, cum imago adhuc re-
maneat aliquid omnino inanime, &
vi destinationis ad repræsentandum
sanctum exemplar non accipiat in-

trinsecè sanctitatem simpliciter, sed
ad summum quandam dignitatem,
& consecrationem, quæ solum ana-
logicè sanctitas dici potest, ut mox
explicabimus. Rursus per denomi-
nationem merè extrinsecam proue-
nientem ab intrinseca Sanctitate, &
excellentia exemplaris, haberi ne-
quit, nisi excellentia secundum
quid, quæ pariter analogica excel-
lentia est, quod etiā S. præcedenti impu-
gnantes responsonem P. Suar. ostē-
dimus. Ex quibus manifeste appa-
ret propotion & correspondentia
inter imagines præscindentes
exemplaribus, & honorariam venerationem;
hæc enim, ut diximus,
explicantem nostram assertiōnem
analogicè pariter conuenit in ado-
ratione, ad cuius essentiam non
pertingit.

Confirmatur & declaratur magis
hoc ipsum. Imago ut modo dicto
præscindens ab exemplari dicit san-
ctitatem solum analogicè conue-
nientem, cum sartitate eiusdem
exemplaris, erg. sic considerata
colenda solummodo est per hono-
rariam hanc venerationem; Ante-
cedens suadetur, breuiter aduer-
tendo, quod duplex est analogia
vna proportionalitatis propriæ iux-
ta quam analogum est intrinsecè in
utroque analogato, quamvis magis
principaliter, omninoque perfe-
ctius in primo analogato, minus
principaliter ac valde imperfectè in
alijs analogatis: ita ens prout hoc
modo analogum ad substantiam &
accidens, intrinsecè est in utroque,
perfectius tamen in substantia, quam
in accidenti. Alia est analogia at-
tributionis, iuxta quam analogum
est solum intrinsecè in principali
analogato, extrinsecè in alijs: sic
sanum prout dicit temperiem hu-
morum ad debitam mediocritatem
redactam, est analogum ad animal,
& medicinam in illo intrinsecè, in
ista

ista extrinsecè , & per denominatio-
nem desumptam ab intrinseca sani-
tate animalis, invenitur . Et nota-
, primam analogiam non excludere
secundam, etiam respectu eorundem
analogatorum . Vnde ostensum est
in Logica tractatu de Analogia en-
tis, hoc posse utraque analogia ana-
logari cum Deo & creaturis , cum
substantia & accidenti . Hoc po-
sito .

55. Probatur antecedens ; nam
Sanctitas est analogi utraque analo-
gia ad exemplar & ad imaginem : &
primo analogia proportionalitatis
propriæ quatenus in utroque est in-
trinseca Sanctitas perfecta principali-
lis , ac simpliciter in exemplari , ve-
luti in principaliori analogato ; im-
perfectione omnino minus principali-
ter , & secundum quid in imagine,
tanquam in analogato minus prin-
cipali . Rursus est analogia attributionis
per denominationem
extrinsecam desumptam à Sanctitate
intrinseca exemplaris , à qua
omnino dependeret, sicut sanitas me-
dicina à sanitate intrinsecè existente
in animali . Consequentia ex ante-
cedenti est manifesta, cū hæc hono-
raria veneratio , & adoratio exhibita
exemplari sint etiam utroque
modo analogata respectu adoratio-
nis absolute dictæ .

Ex quo deducitur, hunc dicendi
modum non coincidere cum opini-
one P. Vasquez afferentis, exter-
num dumtaxat reverentia signum
sacris exhibendm imaginibus quo-
cumque modo consideratis . Exter-
num siquidem illud signum non est
villo modo actio humana, solumque
extrinsecè denominari potest adora-
tio . At eiusmodi honoraria veneratio
quam adstruimus quamvis ita secu-
dum quid sit adoratio , ut ad huius
essentiam non pertingat , verè ta-
men est cultus internus exhibitus


imagini sic præscindenti , adeoque
verus actus humanus .

Superest nunc ut explicemus , à
quonam principio eiusmodi hono-
raria veneratio elicatur ; & breuiter
dicendum , procedere ab eo habitu
virtutis , à quo elicetur actus adora-
tionis tendens in exemplar imagini
respondens : ita ut si versetur erga
imagines Dei & Christi Domini eli-
ciituè procedat ab habitu Religio-
nis , qui latræ actum exercet ; si ve-
rò tendat in imagines Beatissimæ
Virginis eliciituè procedat ab ha-
bitu hyperdulizæ : si verò erga San-
ctorum imagines ab habitu Dulizæ,
sicut per adorationes elicas ab his
duobus habitibus Santissimam Vir-
ginem , aliosque Santos colimus , ut
liquet ex dictis .

56. Pro cuius etiam clariori in-
telligentia scito , honorariam hanc
venerationem esse effectum æqui-
uocum prædictorum habituum ; ut
enim ostendimus ad essentiam adora-
tionis habendam non pertingit ;
hinc eminenter præhabetur in præ-
dictis habitibus , quorum vniuersus
effectus est adoratio vnicuique ex
illis respondens . Neque eiusmodi
doctrina censenda est singularis ; ve-
rè etenim hoc ipsum in alijs habiti-
bus contingit . Et quamvis forte
plura adduci possent exempla , suf-
ficiet vnum desumptum ex doctrina
quam habet Angelicus Præceptor 3. s. Thom
par. quæst. 9. artic. 3. ad 2. in hæc
verba . Dispositio se habet ad per-
fectionem dupliciter , uno modo sicut
via ducens ad perfectionem , alio mo-
do sicut effectus à perfectione proce-
dens . Per calorem enim disponitur
materia ad suscipiēdam formam ignis,
qua tamen adueniente calor non cessat,
sed remanet , quasi quidam effectus
talis forme . Et similiter opinio ex
syllogismo dialectico causata est via
ad

N. Cöpl. ad scientiam, que per demonstratio-
nem acquiritur, qua tamen acquista
potest remanere cognitio, quæ est per
syllogismum dialecticum, quasi conse-
quens scientiam demonstratinam, qua
est per causam, quia ille qui cognoscit
causam, ex hoc magis potest cognoscere
signa probabilia, ex quibus procedit
dialecticus syllogismus. Ex qua do-
ctrina apparet, habentem scientificum
habitum posse per hunc se ex-
tendere ad habendam cognitionem
de eodem obiecto scito per medium
probabile, quæ cognitio utique est
effectus æquiuocus habitus scientifi-
cæ, cum ad cognitionis scientificæ
essentiam non pertingat. De qua
doctrina videri potest Caiet: in
comm: illius ar: Eamque etiam
optimè expendunt N. Conpluten:
in Logica quæs: vlt: in solutionibus
ad argumenta.

Non dissimiliter ergo & nos in
præsenti philosophamur, cum asse-
rimus habitus prædictos virtutum
primariò institutos ad elicendos
prædictos adorationum actus, qui
sunt eorumdem vniuoci effectus,
posse secundariò extendi ad eli-
ciendas prædictas honorarias venera-
tiones ijs imaginibus, modo sàpè
dicto sumptis, respondentes, & hæ
erunt eorumdem habituum æqui-
uoci affectus, sicut de probabili
cognitione dictum est, quæ pa-
riter est æquiuocus habitus
scientifici effectus, in il-
lo eminenter præ-
contentus.



§. IV.

Soluuntur argumenta contraria
primæ assertioni.

57. **O**ppositam primæ nostræ
assertioni sententiam
acerrimè defendit P. Suar: tomo I. p. ^{Suar.}
in 3. disp: 54. sect: 5 - quatenus
simpliciter docet imagines adorari
posse non adorato directè exempla-
ri, & hoc absque vlla in honestate,
& dicimus simpliciter prædictis
imaginibus tribui ab ipso adoratio-
nem, quia etiam si reuera putet ado-
rationem istam inferiorem esse illa
qua adoramus earundem exempla-
ria, quatenus illa, quæ versatur cir-
ca imagines tanquam in obiectum
quod directum, in ratione talis ad-
quatum, vocetur ab ipso respectua;
quia tamen in eadem sectione §.
Dicit fortasse aliquis. Apertè dis-
sentit à modo dicendi S. Bonauen-
turæ, quem in secunda assertione
secuti sumus, adeoque tenet ado-
rationem essentialiter sumptam ver-
sari circa imagines præscindentes
ab exemplaribus, vt ab obiectis di-
rectis illius actus, idcirco absolutè
loquendo sententiæ quam elegimus
aduersatur. Refert autem pro suo
dicendi modo alios authores, qui
apud ipsum videri poterunt.

Primum pro hac opinione funda-
mentum, quod fusè prosequitur P.
Suar: desumitur ex eo quod sit pos-
sibile actum veræ adorationis à vo-
luntate, per habitus virtutū perfecta
elici erga prædictas imagines sic à
prototypis præscindentes ob extrin-
secam excellentiæ exemplarium de-
nominantè extrinsecè easdem ima-
gines, in hunc ergo modum potest
efformari argumentum. Non repu-
gnat intellectum proponere volun-
tati

tati imaginem, vt ab exemplari præscidentem, sed imago hoc modo proposita adorari potest, per verum adorationis actum, ratione extrinsecæ excellentiæ prototypi, ergo reuera imago adorari potest nō adorato exemplari, tanquam obiecto quod directo illius actus, & consequenter ut præscindens ab exemplari. Maior à nobis non negatur, & ex ipsamet experientia est manifesta, vt ibidem probat citatus author.

58. Minor probatur cum enim voluntas tendat in obiectum prout propositum per intellectum, cum iste proponere possit unam rem, vt honorabilem ratione alterius, præscindendo tamen ab illo altero, ad quod res illa dicit habitudinem, tanquam ad quid per se, & absolutè honorabile, vtiquè poterit voluntas adorare rem dicentem prædictam habitudinem, absquè eo quod talis actus expressè feratur in per se honorabile, sed satis erit si in istud implicitè, & virtualiter tendat, tanquam in obiectum quo, & rationē formalem terminandi adorationem extrinsecè afficienrem illam, cuius realiter habitudinem terminat.

Confirmatur hoc ipsum aliquibus instantijs; nam fidelis assentitur veritatibus fidei, nixus Diuino testimonio, & veritati infallibili eius ut rationi formalis, quamvis eo actu, quo credit rem reuelatam, non credit vel Deum esse primam veritatē infallibilem vel Deum hoc reuelasse. Rursus actus scientiæ, quo attinguntur conclusiones nititur præmissis, ut rationi formalis assentiendi, quamvis idem scientificus actus non feratur in præmissas, tanquam in obiectum scitum seu iudicatum. Amplius cum voluntas amat rem unam propter aliam, ut propter rationem amandi extrinsec-

De Imaginum Adoratione.

cam, sicut quando proximum propter Deum diligit, & tamen non oportet per illum actū Deum attungi. Demum id contingit in pura electione mediorū propter extrinsecam bonitatem finis, quæ per eandem electionem non attingitur, nisi ad summum in obliquo, & tanquam ratio volendi. Similiter ergo poterit in adorationis actu contingere, cum versatur circa imagines ut præscindentes ab exemplaribus, quæ non opus erit per eam adorationem directè, & ut quod attingi. Neque obstat inquit Suar: si assignentur aliquæ differentiæ inter adducta exempla, & rem de qua agimus, quia illæ de materiali se habebunt, cum argumentum procedat à paritate rationis, adeoque seruata semper proportione.

Respondetur ad argumentum, concedendo maiorem, & negando minorem intellectam de actu, qui habeat essentiam adorationis: ad illius probationem dicendum quod cum illa habitudo, si consideretur ex parte imaginis non dicat excellentiam sanctitatis simpliciter, sed solum secundum quid, cum sit quid inanime: & rursus cum extrinseca ea excellentia prototypi non reddat imaginem nisi extrinsecè, adeoque secundum quid sanctā nulla datur ex parte imaginis ratio formalis simpliciter talis terminans essentiam actus adorationis, vnde mirum nō est si hunc terminare nequeat. Secus tamen contingere si imago sumeretur simul cum exemplari, in quo intrinsecè est ratio formalis terminandi, ut iam diximus supra in hoc eodem dubio, & dicetur in responsione ad secundum. Haec responsio desumitur ex Angelico Preceptore 2. 2. quest 99. art. 1. dicente Sacrum dicitur aliquid, ex hoc quod ad Diuinum cultum ordinatur sicut autem ex eo quod aliquid ordi-

S.Thom.

H h natur

natur ad finem bonum sortitur rationem boni, ita etiam ex hoc quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficietur quoddam Diuinum, & sic ei quedam reuerentia deberur, quae refertur in Deum. Loquitur hic aperte D. Tho: de cultu debito rebus sacris ratione excellentiae finis extrinseci, à quo denominantur extrinsecè excellentes: sicut medium ab honestate finis denominatur extrinsecè honestum, & cum asserat istis deberi solum quandam reuerentiam, perspicuum est illis sic extrinsecè denominatis, non tribuere veram adorationem, hoc est essentialiter talē.

59. Ad confirmationē respondetur quoad primum exemplum, manifestam esse disparitatem, cum enim ratio formalis obiecti fidei sit Diuinum testimonium, seu veritas prima in testificando, & testificatio ex sui natura sit quid extrinsecum rei, cui testimonium perhibetur, non est opus rem testificatam, ut attingam per actum fidei intrinsecè affici ab ea testificatione, unde non oportet hanc per eundem actum fidei attingi, sed satis est attingi rem illi substantem. Oppositum omnino contingit in re de qua agimus, excellētia enim rei adorabilis ex sui natura est illi intrinseca, unde nisi attingatur, non attingetur proprium ac formale obiectum quod essentialis adorationis, adeoque haec cessabit. Neque haec est differentia materialis, sed omnino formalis, ut potè orta ex naturis rerum, & directè consistens in eo, in quo fit partitatis ratio.

Ad secundum exemplum pariter est manifesta & formalis disparitas, conclusio enim circa quam versatur actus scientiae est intrinsecè ac perse scibilis, adeoque habet propriam rationem formalem quæ, & sub qua intrinsecam, distinctam à ratione formali sub qua, quæ est propria-

præmissarum, quæque solum radicaliter concurrit ad actum scientiae, quarè hic actus essentialiter habetur quamvis non attingatur directè, ratio formalis sub quā præmissarum. Cæterum præcisa imagine ab excellentia exemplaris, nulla excellentia simpliciter talis in imagine intrinsecè reperitur, vnde nil mirum si cœfset essentia actus adorationis, qui sine aliquo obiecto directo, & ut quod simpliciter excellenti cōsistere nequit, ut inductione patet in omnibus actibus. Ex quo omnino constat ad duo alia exempla, nā & in proximo & in medio datur propria bonitas intrinseca simpliciter talis, & consequenter propria & intrinseca ratio formalis quæ & sub qua, vi quarū terminare possunt secundarium actū Charitatis, & voluntatis, electionem videlicet, unde solūmodò radicaliter pendent tales actus à bonitate Diuina, & bonitate finis, tanquam à rationibus sub quibus remotis, quas vtiquè attingere non oportet. Secus quoad præsens, cum vi illius præcisionis non appareat obiectum quod directum simpliciter & intrinsecè excellens, quod essentiam actus adorationis terminare queat. Et quamvis quoad media aliter philosophetur P. Suar: putans in illis nullam dari bonitatem intrinsecam, id parum refert, cum nos oppositum sentiamus.

60. Secundum argumentum, desumit citatus author ex honestate talis actus, & in hunc ferè modum arguit. Imago simul cum prototypo potest licetè adorari, ergo si adoratio (ut sic dicamus) coniuncta licita est, etiam altera disiuncta erit licita. Antecedens constat ex dictis à nobis. Consequentia suadetur, nam cum adoratur, non adorato directè exemplari, adeoque ut præscindens ab isto nec existimatur digna maiori honore, nec re ipsa affici-

afficitur maiori adoratione , quam cum adoratur simul cum prototypo , imo quodammodo minus colitur priori modo , quia in re actus adorationis , qui exercetur minus perfectus est .

Confirmatur . Vtraq; ea adoratio nititur excellentiae exemplaris , ergo siue simul cum prototypo , sive ut præscindens ab isto semper poterit licet adorari . Antecedens constat cum utroque attingatur aliquo modo prædicta excellentia . Consequentia probatur , quia ille actus est honestus propter exemplaris excellentiam , quod autem exemplar directe adoretur , vel non directe adoretur , & consequenter siue præscindamus ab illo , siue non , id de materiali se habebit , dummodo excellentia exemplaris sit ratio adorandi , vti reuera est .

Respondeatur concedendo antecedens & negando consequentiam , ad cuius probationem constat ex dictis , ita enim actus ille tendens in imaginem præscidentem ab exemplari , minor in ratione adorationis redditur , vt amittat essentiam adorationis , solumq; sit honoraria quedam veneratio analogicè cum adoratione conueniens , sicut illius obiectum directum in ratione excellentis analogicè dumtaxat , seu secundum quid conuenit cum excellentia exemplaris : quare si coleretur per actum qui haberet essentiam adorationis , licet non afficeretur maiori adoratione , quam sit ea , qua adoratur simul cum exemplari , esset tamen veneratio maior , quam postuleret status imaginis , & excellentia eius prout in illo , & consequenter esset inordinata , ac proinde illicita .

61 Ad confirmationem dicitur , quod si loquamur de imagine præcisione mentis separata ab exemplari , ea non sufficienter nititur ex-

De Imaginum Adoratione .

cellentiae exemplaris ita ut essentiam adorationis actum terminare possit . Et ratio videtur manifesta , quia respectu imaginis sic sumptæ excellentia exemplaris solum esset obiectum quo , & extrinsecum , vt fatetur idem Suar . Porro obiectum quo & extrinsecum non sufficit ad specificandum actum , nisi supponat obiectum quod intrinsecè inspetum , habens quicquid requiritur ad hoc ut in ratione obiecti quod specificet talem actum . Et sic quia media ut talia non habent nisi extrinsecè , & ut quo bonitatem honestam finis , idcirco nequit actus terminatus ad ipsa essentialiter esse honestus , nisi tendat in media ut coniuncta fini honesto , à quo si præcisione mentis separaretur , nequiret esse essentialiter honestus , deficiente obiecto quod honesto . Cum ergo uti probauimus imago ut præscindens ab exemplari non habeat excellentiam simpliciter talem , à qua constituantur in ratione obiecti quod adorationis essentialiter sumptæ , nequit ex dependentia ab extrinseca excellentia exemplaris , specificare adorationem essentialiter sumptam ; quapropter falsum est quod subditur , nempè coniunctionem cum exemplari per accidens & de materiali se habere .

Et sane si probatio P. Suar: aliquid conuinceret , probaret omne obiectum virtutis per se acquisitæ præscindens ab obiecto Charitatis terminare posse actum Charitatis , quia huius ratio formalis ultimo finalizzat omnem illum virtutis actum , & obiectum , estque quid extrinsecum respectu ipsorum . Sicut ergo ut obiecta proxima talium virtutum possint per essentiam actus Charitatis attingi , oportet ut sumatur ut expressè ordinata , & coniuncta cum obiecto eiusdem Charitatis ; ita quoad præsens .

62. Tertiò arguit. Assignari nō potest vnde oriatur inhonestas eius actus, quo adoratur imago vt p̄fscindens ab exemplari, ergo honestum erit actus adorationis essentialiter sumptum ad illam sic acceptam terminari. Antecedens probatur quia illa imago etiam vt p̄fscindens ab exemplari adoratur propter excellentiam exemplaris, adeoque etiam prout sic est obiectum sufficienter honestum, ita ut terminare possit essentiam talis actus adorationis, absque permixtione aliquius superstitionis cultus. Tum etiam quia in ea adoratione solū omittitur coniunctio imaginis cum exemplari eiusque excellentia, quæ omissio nullam dicit inhonestatem, cum eam omittere neque in se malum semper sit, ex hoc quod ad summum ea coniunctio cadere posset sub p̄cepto affirmatio, quod non obligat pro semper: rursus neque eadem coniunctio est circumstantia apponenda necessariò obiecto illius adorationis, cum nullum extet nec naturale, nec positivum p̄ceptum eam p̄scribens, vt consideranti notum fieri. Consequentia ex antecedenti est manifesta.

Respondetur negando antecedēs ad cuius primam probationem liquet ex dictis excellentiam exemplaris, solū extrinsecè afficere imaginem sic p̄fscindentem, & eiusmodi extrinsecam affectionem non esse sufficientem ad reddendam illam terminum specificantem adorationem simpliciter talem. Hinc illa adoratio esset superstitionis, quatenus esset superflua, hoc est excedēs merita imaginis, modo dicto p̄fscindentis, & eiusmodi cultum superstitionis reputat Angelicus Præceptor 2. 2. quæst. 93. art. 2. dicens. *Alio modo potest aliquid esse superfluum secundum quantitatem proportionis,*

quia scilicet non est fini proportionatum. Per quod patet ad secundam probationem, nam quamvis absolute loquendo non adsit tale p̄ceptum eam p̄scribens coniunctionem, ex suppositione tamen quod circa imaginem exercendus sit actus adorationis simpliciter talis, adest p̄ceptum negatiuum vetans eam p̄cisionem, qua posita cultus esset improportionatus, qui p̄cepto negatiuo inhibetur, vt satis ex se est notum.

§. V.

Soluuntur argumenta secundæ assertionei opposita.

63. Secundè pariter assertioni aduersatur P. Suar: loco sèpè adducto, ex quo in illā primā arguitur ex autoritate tum Septimæ Synodi, tum etiam 8. tum demum D. Tho: loco à nobis adducto supra num. 58. ex 2. 2. quæst. 99. art. 1. & 3. Ex omnium enim horū autoritate habetur imagines etiam secundum se, & vt ab exemplaribus p̄fscindentes esse cultu, & adoratione dignas. Verum facilis est solutio, vel enim non loquuntur de imaginibus modo dicto p̄cisis ab exemplaribus: vel si de eis hoc modo consideratis loquantur, utique non est sermo de adoratione simpliciter, sed de honoraria quadam veneratione, ac reuerentia, quæ ad essentiam actus adorationis non pertingunt, id quod ex eorum verbis ita perspicue habetur, vt meritò pro nostro dicendi modo adduci potuerint.

Aduersus utramq; hanc responsionem insurgit P. Suar: & quoad primam asserit eam quidem efficaciter improbari non posse, tamen hoc ipso quod Sactis imaginibus vt ab exem-

exemplaribus præscindentibus concedatur aliquis interior cultus, , vti nos concedimus, iam constat eas adorari posse non adorato directè exemplari , quamuis ea adoratio non sit æqualis perfectionis cum illa , quæ exemplaribus exhibetur, quam inferioritatem posuit D.Tho: cum ait illis exhibendam quandam reuerentiam . Maxime quia si irreuerenter tractans imagines cōmittit sacrilegium, minus graue tamen quā cōmitteret irreuerenter tractādo eārū prototypa, quod docet ibi S.Tho: ar.3.iā imagines vt præcisē ab exemplaribus sunt capaces terminandi adorationis actum , sicut sacrilegij iniuriam , siquidem contraria nata sunt fieri circa idem .

Hec tamen non multum urgunt, nam ad primum dicimus cultum illum interiorem ita deficienter esse adorationem, vt ad huius essentiam non pertingat , vt iam diximus de actu probabili , qui elicitor ab eodem scientiæ habitu iam prius acquisito : & hoc voluisse Concilia & S.Thom: posito quod loquantur de imaginibus præscindentibus ab exemplaribus, constat ex dictis, unde concedimus existimasse Cōcilia & S.Tho: posse nos reuereri imagines, absq;eo quod ea reuerentia directè tenderet in exemplaria , male tamen inde infertur eam internam reuerentiā habere essentiam adorationis. Et ex hoc patet ad secundum nam ad inducendam sacrilegij culpam, in eo qui irreuerenter tractat imagines præscindentes ab exemplaribus , sufficit eas eodem modo consideratas aliquo cultu dignas esse, non vero exigi quod postulent adorationem simpliciter , seu essentialiter talem .

64. Contra secundam solutionem , quæ vt vidimus desumitur ex expressa Sancti Bonaventuræ doctrina, quod fatetur Suar: quamuis

ex typografi fortè errore , citet art. 2.loco 1 . hoc modo inuehitur Verumtamen illa distinctio primum sine fundamento data est , quia nulla est ratio , cur adoratio omnis ad solam creaturam intellectualem referri possit , magis quam veneratio . Et post pauca, quæ ad præsens non conducent , subdit . Accedit & maximè urget quod illa distinctio expresse reprobata est in 7.Synodo, nā in actione 4.cum relatum esset dictum Anastasi Episcopi Theopoleos. Quid aliud est , quam honoris alicui exhibiti veluti emphasis, adoratio? Ex hac sententia ita colligit Tharasius . Omnes igitur, qui sacras imagines venerari contentur, adorationem autem recusant , à Sancto Patre tanquam hypocrita redarguntur . Si ergo rationes facte probant reuerentiam, & venerationem aliquam exhiberi posse imaginibus , etiam dum in eis non colitur directè exemplar , tanquam obiectum quod , etiam probant simili modo adorari posse imagines . Hactenus citatus author.

Verum enim uero mirati non parum sumus authoris huius , alias modestissimi, animositatem , ne dicamus irreuerentiam,qua optimam tanti Doctoris distinctionem rejicit.

Et quantum ad id , quod afferit sine fundamento eam distinctionem fuisse excogitatam, nullius momenti esse citò apparet, ferè enim in quocumque rerum ordine , in quo datur perfectum illius, datur etiam & imperfectum, sic in ordine scientifico actus naturalis discursus, qui à Logica, quam naturalem vocant, elicitor, imperfectus est, taliter quod ad scientiæ essentiam sēpē numerò non pertingat ; sic in ordine moralium virtutum dantur actus satis imperfecti eliciti ab ijs virtutum seminibus, quæ natura pariter nobis indidit ; idemque probari posset longa satis inductione in pluribus alijs

alijs rebus, in quibus nihil magis obuium, quam prædicta distinctio. Deinde fundatum illud cui ntitur optimum est, nempe adorationem simpliciter, & essentialiter talam exhiberi non posse nisi creatura intellectuali, nam sicut hæc sola est capax perfectionis, & excellētæ simpliciter, nempe gratia sanctificantis, ita sola hæc poterit esse obiectum quod directum adorationis simpliciter, vel saltem debet indispensabiliter ingredi illud quod fuerit directum obiectum quod eiusdem adorationis.

65. Quod secundo loco assertus author, putatque valde virginis, nobis leue admodum apparere, nam primò dicitur nullatenus constare, eo loco sermonem esse de cultu exhibito imagini ut præscindenti ab exemplari, sed optimè intelligi posse de cultu exhibito illi ut coniunctæ cum exemplari, integrante obiectum quod illius actionis, & respectu talis obiecti promerentis adorationem simpliciter, fatemur inutilem esse prædictam distinctionem, ac in prædictis verbis improbari. Secus supposita præcisione iam dicta, de qua præcisione non est certum loquutam, fuisse Synodū, ut fatetur Suar: Demum stupore dignum est asseri definitionem esse Concilij Nycæni vnius Anastasij Theopoleos Episcopi dictum, appareat enim Tharasium relatorem solum dixisse hunc fuisse sensum Anastasij. Vnde ergo licuit Suarez inferre in adductam ex San. Bonaventura distinctionem ab universalis ea Synodo expressè conclamatum fuisse? Certè nec Anastasius, nec Tharasius sunt grauissimus ille Nycænorum Patrum Senatus, nec huius supremum caput. Vide nunc an militet aduersus Suar: quod ipse dixit de Seraphico Doctore, nullo videlicet fundamento illius nisi di-

stinctionem. Hinc parcendum nobis si præter morem minus temperanter calamo indulsimus: coegit nos nedum candidæ veritatis amor, sed & veneratio, qua reveremur Seraphicum Bonaventuram, in ingenij felicitate Angelici Præceptoris collegam.

66. Eidem nostræ secundæ assertioni repugnat opinio P. Vasq: ^{P. Vasq.} tomo 1. in 3. p. disp: 108. dicentis solum externum cultum dirigi in imaginem, quamvis hic procedat ex affectu interiori, qui totus dirigitur in exemplar, vnde nullum prorsus interiorem cultum dirigidum esse in imaginem sic præscindentem asserit. Pro hoc dicendi modo adducit P. Suar: loco citato tale argumentum. Si rectam intentionem adorantis spectemns, illa reuera non est adorandi imaginem, sed exercendi circa illam actionem externalam, ut hoc modo per ipsam exemplar adoret, ergo seclusa adoratione exéplaris nulla ratio relinquitur adorandi imaginē, seu (quod idem est) seruandi rei inanamati.

Confirmare possumus hoc argumentum ex doctrina quam tradit ^{P. Vasq.} P. Vasq: loco adducto cap: 16. n. 146. vbi assertit in totali termino adorationis imaginum posse nos distinguere picturam, quæ est quid creatum, & inanime repræsentans prototypon, & exemplar, quæ est res viua & Sancta, sanctitate supernaturali. Vnde fit ut imago secundum se accepta se habeat quasi corpus, exemplar verò tanquam illius anima. Ex parte etiam adorationis distinguitur & materiale, & formale, istud est cultus internus, qui est verus actus virtutis: illud verò est signum externalum, quod se habet tanquam materia actus virtutis: Ex quo deducit quod etiamsi cultus interior, tendens in exemplar non sit separatus ab exteriori signo, quod

DISPVVTATIO V. DVBIUM IV. 247

quod est illius materia : sic tamen facienda est distributio , vt omnis cultus interior respondeat animæ imaginis, seu exemplari. Signum verò exterius , quod est materia , tribuatur corpori illius termini totalis, hoc est imagini .

Respondeatur ad rationem negando antecedens, quatenus in eo asseritur ad rectam adorantis intentionem pertinere, hoc quod est solum exterrum cultum dirigi in imaginem : quantumuis enim in ista non detur excellentia simpliciter , vi cuius ut præscindens ab exemplari adorari possit per actum , qui ad essentiam adorationis pertingat: adhuc tamen ratione excellentiæ secundum quid talis , ortæ seu ex intrinseca habitudine ad exemplar , seu ex denominatione extrinseca proueniente à sanctitate prototypi , est capax terminandi cultum interiorum secundum quid dictum , quem cum D. Bonauen : nomine honorariæ venerationis insignimus , in quo non adest aliquid reætitudini illius intentionis aduersum : cum sit proportio requisita , vti iam sufficienter , vt credimus , ostensum est .

Ex quo respondetur ad confirmationem , nam ea distributio à Vasq: facta recta esset, posito quod imago ut præscindens ab exemplari , ita esset quid inanime , vt nullam vel iniuriam haberet sanctitatem , in qua vitam supernaturalem imaginis constituimus . Cum ergo ostensum sit sanctitatem , secundum quid tam competere imaginibus , vt ab exemplaribus proprijs præscindentibus , aliquid etiam interni cultus , nempe secundum quid , eisdem imaginibus absque vestigio inordinationis reseruandum est . Quamplura alia , quæ ibidem congerit Vasq: non adducimus , cum ex dictis facilem habere possint respondionem .

D V B I V M IV.

*Vtrum liceat adorare apparentem
Imaginem Christi , sub qua
dæmon delitescit ?*

ET si præsens dubium mystici potius , quam scholastici instituti proprium videatur , placuit tamen in præsentiarum in examen illud vocare , ne adorationis Sacramentum imaginum notitia , ex hac parte minus completa relinquatur . Eo vel maximè quia illius decisionem non iniucundam fore arbitramur . Præmittemus verò aliqua , quæ ad dicendorum intelligentiam sunt admodum necessaria ,

§. I.

*Præmittuntur aliqua votatu
digna .*

67. **P**RINCIPIO sciendum , quod etiamsi in titulo solum queratur de apparente imagine Christi Domini sicut representativa est tamen eadem ratio de alijs imaginibus , quæ seu Beatissimam Virginem , seu Angelos , aut demum alios Sanctos representent , quæ propter quicquid de Christi apparenti imagine dictum fuerit erit etiam de alijs imaginibus intelligendum .

Deinde pro certo habendum inesse dæmonibus facultatem elaborandi aliquas imagines , sub quibus hominibus appareant , mendaciter afferentes per illas videri Christum Dominum , quamuis re ipsa eis tangentur ipsimet dæmones : Id aper-
Apof. tissimè docuit Apost: 2. ad Chor: 11. cum ait *Sathanas transfiguratus in Angelum lucis* . Quod exponens Ange-

S. Thom. Angelicus Præceptor ibidē lec: 3. ait quod Sathanas id facit Ostendens se esse vel Angelū Dei, vel aliquādo Christum. Id ipsum etiam perspicuè colligitur ex eodem Angelico Præceptorē tum p. p. quæst. 117. art. 4. ad 2. tum 2. 2. quæst. 95. art. 4. ad 2. vbi loquens de apparitione animæ Sancti Prophetæ Samuelis, facta Sauli arte Pythonissæ, de qua est sermo 1. Reg: cap: 28. in hunc modum loquitur in secunda respōsione. *Vel ncn verè Spiritus Samuelis à requie sua excitatus est, sed aliquod Phantasma, & illusio imaginaria dia-boli Machinationibus facta, quam Scriptura Samuelem appellat, sicut solent imagines rerum suarum non-nibus appellari.* Si igitur concurren-te magica Pythonissæ arte id factum est, vtique hoc, ipsum præstari poterit à dæmone, independenter ab eiusdem artis influxu. Et sane hoc ipsum s̄pēnumero contingit plures Sacræ testantur historiæ, in quarum relatione immorari, alieni omnino est à præsenti instituto.

S. Thom. 68. Quantum autem ad modum, quo Dæmones vtuntur in hac exercenda facultate; nota ex S. Tho: p. p. quæst. 94. art. 4. ad 2. duplicem hunc esse, & utrumque explicat ibidem his verbis. *Vno modo ab interiori, secundum quod dæmon potest immutare phantasiam hominis, & etiam sensus corporeos, ut aliquid videatur aliter quam sit sicut supradictum est (videlicet quæst. 111. art. 3. & 4.) Et hoc etiam fieri dicuntur virtute aliquarum rerum corporearum.* Quatenus hæ applicatae prædictis sensibus, eos taliter alterant, et immutant eorundem naturalem dispositionem, vt faciant illis apparere ea quæ reuera non sunt, aut aliter quam sunt.

S. Thom. *Alio modo ab exteriori. Cum enim ipse formare possit corpus ex aere cuiuscumque forme ac figure, vt illud assu-*

mens in eo visibiliter appareat, potest eadem ratione circumponere cuicunque formam corpoream, ut in eius specie videatur. Animaduertione tamen dignissimum est id quod docuit Seraphica S. Virgo & Mater Nostra Theresia à Iesu libro suæ vitæ cap: 28: paulo post medium, non posse dæmones Christi imaginem tantum arte elaborare, vt illud ipsum maiestatis, ac gloriosi fulgoris præficerat, quod in ea niteret si esset aut immediatè à Deo, aut mediante Sanctorum Angelorum ministerio. Verba eius sunt. *Si deue stimar molto questa visione, & à mio parere è senza pericolo, peroche dagl'effetti si conosce, che non ha qui forza il demonio.* Parmi che tre ò quattro volte ha voluto il maligno rappresentarmi dò questa maniera il medesimo Signore, in rappresentatione falsa; piglia egli forma di carne, mà non può contrasfarla, con quella gloria, come quando è da Dio; Hactenus illuminatissima hæc orationis Magistra. Hoc apparitionis externè modo usus est Deus, vt piè credimus, cum in carne Beati Patris Nostri Ioannis à Cruce diuersas Christi, & Sanctorum imagines fidelibus oculis conspicendas obiecit. De quibus apparitionibus opusculum egregiè scripsit Noster Philippus Maria à Sancto Paulo Sacræ Congregationis Rituum quondam Consultor meritissimus, editumque fuit Neapoli hoc eodem anno 1677. vbi difficultatem hanc diligenti calamo discusam reperies.

69. Notandum ultimò semper dæmones per eiusmodi apparitiones intendere deceptionem eorum, quibus eas imagines repræsentant. Hoc autem contingit tum ex cupiditate, qua flagrant inducendi homines in errorem, nihil enim gratum magis mendacij amatoribus, quam deceptio: & hoc eo artificiosius exequuntur.

S. Maier Therese.

Philipp. M. a S. Paulo.

quantur respectu eorum, qui orationis studio sunt dediti, quia cum probè sciant illos ab eo quod aper-
tè malum est, veluti à facie colubri-
abhorre, non audent eosdem ne-
quitiæ armis aggredi, sed abuti ni-
tuntur ipsam sanctitatis instru-
mentis, vt illos in elatæ mentis tu-
morem deducant, ac tandem à re-
cto veræ virtutis tramite auersos, in
vitiorum præcipitia deijscant. Tum
rursus quia cum eorum voluntas sit
in malo obstinata, omnis eorū actio
siue deliberata fuerit, siue naturalis
semper est ex prauo aliquo fine, aut
iniqua circumstantia peccaminosa;
& idcirco etiæ aliquando verum ali-
quid afferant ad decipiendum hoc
ipsum dirigunt. Ita S. Tho: p. p.
quæst. 64. art. 2. ad 5. his verbis.
s.Thom.
Dicendum quod actus dæmonis est du-
plex. Quidam scilicet ex uoluntate de-
liberata procedens, & is propriè potest
dici actus eius, & talis actus dæmonis
semper est malus. Quia etiæ aliquando
aliquid bonum faciat, non tamen bene
facit: sicut dum veritatem dicit, ut
decipiatur, & dum voluntariè credit et
confitetur, sed rerum evidentiæ coa-
ctus. Alius autem actus dæmonis est
naturalis, qui bonus esse potest, &
attestatur bonitatem naturæ: & tamen
tali bono actu abutuntur ad malum.

His positis quod in controuersiā
vocamus non est, an scientibus sub
illis apparentibus imaginibus dæ-
monem latere, licitum sit eas imagi-
nes colere, quia euidentissimum est
cultum illum fore superstitionem,
& ad idolatriam pertinere, cum
adoratio Christo debita tribueretur
dæmoni mediantibus illis imaginib-
us; quapropter solum dubitatur de
modo quo quis se gerere debeat in
adorandis illis imaginibus, cum
ignorat, an arte dæmonis fuerint
elaboratae nec ne? Et quia etiam ta-
les imagines à nostra phantasia pos-
sunt efformari, ideo etiam aliquid
de hoc erit dicendum.

De Imaginibus Adoratione;

§. II.

Duae assertiones autoritate, &
ratione probantur.

70. **D**icendum est primò illici-
tū omnino esse adorationē
aliquā prædictis apparentibus ima-
ginibus absolute deferre, non præ-
misso diligentī examine, quo ad-
modum certè cognoscatur eas esse à
Deo, non verò à dæmons sub illis
delitescente. Hanc assertionem do-
cuit S. Bonaventura in 3. disp: 9. *S.Bonav.*
art. 1. quæst. 6. per totam, idem
sentit Alexander 3. p. quæst. 30. *Alexand.*
membro 3. art. 1. §. 3. Marsilius
in 3. quæst. 8. art. 2. ad 5. dub:
Marsil. Adrian: quodlib: 4. Hi afferunt
non esse absque expressa & actuali
conditione adorationem ijs appa-
rentibus imaginibus exhibendam,,
oportet ergo vt adorans explicitè
adijciat hanc conditionem, si verè
Christus latet sub hac imagine eam
adoro, siue aliam cōsimilem, qua si-
gnificet cultum illum negare dæmo-
ni, si fortè sub illis delitescat.

Probatur primò assertio authori-
tate Sacræ Scripturæ Nam Eccle-
siastici 19. dicitur *Qui credit citio Ecclesiast.*
leuis corde est, id est imprudens, que
imprudentia tanto diligentius præ-
cauenda est, quanto res de qua agitur
grauior est; maximi autem momen-
ti est adorationis cultus, qui ad Re-
ligionem virtutum moralium maxi-
mam spectat. Hoc ipsum clarius
docuit S. Ioa: epis: 1. cap: 4 dicens
Charissimi nolite omni spiritui crede-
re, sed probate spiritus si ex Deo sint:
quoniam multi Pseudoprophætæ exie-
runt in mundum. Quod exponens
Angelicus Doctor ait. Dicit ergo,
Charissimi, quasi dicat, an Deus ma-
neat in aliquo per spiritum, sed tamen
nolite credere: passim & indifferenter.

I

Quia

250 DE IMAGINVM ADORATIONE.

*Quia qui citò credit lenis est corde.
Videatur ibi.*

Expressius propositam assertio-
nem docuit S. Tho: in 3. dist: 9.
quæst. 1. art. 2. quæstiun: 6. ad 3.
S. Thom. his verbis Dicendum quod non potest
diabolus in specie Christi apparens sine
peccato adorari , nisi sit conditio actu
explicita, non enim sufficit solo habitu,
quia ipsa nouitas rei insolite confide-
rationem , & attentionem requirit.
Sicut dicitur de B. Virgine Luca 2.
*Quod cogitabat qualis esset ista saluta-
tio.* Idem sentit S. Doct. Iec: 3. in cap:
11. epist: 2. ad Chor: cum expo-
nens illud Apostoli Sathanas trans-
figurat se in Angelum lucis , inquit
quod ad distinguendas falsas à veris
apparitionibus Valeat , & necessaria
est discrecio spirituum, quam spiritua-
liter Deus contulit Beato Antonio .
S. Thom. Oportet ergo per eiusmodi gratiam
gratis datam diligenter prædictas
examinare apparitiones, ne in ado-
rationis actu error contingat .

71. Probatur nunc ratione S.
Tho: Res noua & insolita , ac ad-
modū grauis diligens valdè examē
exactamq; postulat attentionem, sed
huiusmodi sunt prædictæ repræsen-
tationes, ergo absq; diligenti ad-
modum examine non potest sine
peccato prædictis imaginibus, abso-
lutè loquendo cultus adorationis
exhiberi. Maior videtur manifesta-
nam ex hoc quod est noua, adhuc
per sui experientiam certos nos mi-
nime reddidit de sui bonitate : &
rursus quia grauis ponderatione
graui indiget, vt patet in humanis
actionibus , quæ si graues fuerint,
iuxta prudentiæ dictamen non nisi
diligenti prævia discussione solent
exerceri. Minor suadetur quia Deus
communiter non solet respectu fide-
lium prædictis vti apparitionibus:
vndè si veræ fuerint , ex singulati-
tantum priuilegio electis valde ani-
mabus , eximiaque sanctitate præ-

ditis exhibentur spectandæ. Adora-
tionis etiam actum erga tales ima-
gines exercere , res est grauissimi
ponderis , cum enim Religio, post
Theologales virtutes, primum te-
neat locum , ac tanquam finem cui
finem omnino ultimum attingat ,
vtique eius actu abuti, maximè ca-
uendum est . Consequentia liquet
est enim imprudentiæ , ac temerita-
tis culpa in re grauissima negligenter , & absque sufficienti discussione
tum naturæ, tum circumstantiarum
illius se gerere : & quia impruden-
tiæ peccatum induit conditionem,
illius materiæ , in qua exercetur,
fiet inde , vt per illam supersticiofi
cultus culpam incurratur .

Confirmatur. Periculi plenum
est facile existimare Deum tales no-
bis exhibere apparitiones , ergo vt
ijs tanquam Diuinis manifestatio-
nibus adorationis cultum exhibea-
mus , oportet vt rigidum satis ea-
rundem præcedat examen. Antece-
dens probatur , quia ea facilis aesti-
matio solet superbiendi præbere
incentiuia, vndè consultissimum est
eas minimè desiderare , vti ostendit
sex optimis rationibus Seraphica-
Orationis Magistra S. Mater N.
S. Ther. Theresia in libro Mansionum, man-
sione secunda cap: 9 . versus finem.
Imo saltem in principio , cum ad-
huc de earum veritate satis certo
non constat, optimum est eas parui-
pendere. Tum quia ea facilis cre-
dulitas leuitatem cordis parit, adi-
tumque dæmoni aperit vt facilius
per falsas apparitiones homines , &
præsertim mulieres decipiunt : ma-
ximè cum eius nocendi artes innu-
meræ propemodum sint , ex hoc
quod ille viuacissimo prorsus inge-
nij acumine polleat. De quo fuisus
mystici Doctores , inter quos non
infimum tenet locum B. Ioannes à
Cruce , primus innouati Carmeli
Sanctissimus cultor . Consequentia
B. Ioann. liquet

liquet nam quod difficulter credimus, diligentius examinare consueuimus, sicut si de facili id esse existemus.

72. Dicendum est secundò etiam quando predictæ imagines sunt à nostra imaginatione efformatæ, non sunt nisi prævio diligenti examine absolutè loquendo adorandæ. Pro huius intelligētia assertionis sciendum aliquos esse homines, quod in mulieribus frequentius contingit, debilis adeo phantasiaz, ut quicquid imaginantur, putent se videre, & consequenter censem Diuinæ eis fieri apparitiones. Huius autem explicationem & causam tradidit Angelicus Doctor p. p. quest. 111. art. 3. his verbis *Manifestum est quod apparitiones imaginariae causantur interdum in nobis ex locali mutatione corporalium spirituum, & humorum.* Vnde Aris: in libro de Somno, & Vigil: cap: 3. assignans causas apparitionis somniorum, dicit quod cum animal dormit descendente plurimo sanguine ad principium sensituum, simul descendunt motus, idest impressiones relicte ex sensibili motionibus, quæ in spiritibus sensualibus conservantur, & mouent principium sensituum, ita quod fit quædam apparitio, ac si tunc principium sensituum à rebus exterioribus mutaretur. Et tanta potest esse commotio spirituum, & humorum quod huiusmodi apparitiones, etiam vigilibus fiant, sicut patet in phræneticis, & alijs huiusmodi.

Hinc constat cur dixerimus id prouenire ex debilitate imaginatiæ virtutis; & consequenter sæpe numero in mulieribus id euenire: nam quando hæc fuerit admodū fortis, minus vehementer immutatur ab ea sanguinis, humorum ac spirituum comotione: sicut cum fuerit debilis, tunc enim minus re-

De Imaginum Adoratione.

sistit; Quin imò solet aliquando tanta vehementia immutari, vt non relinquat intellectui vim expeditam discurrenti, & consequenter percipiendi deceptionem ibi contingentem, vndè fit vt putet veram omnino fieri apparitionem. Eo vel maxime quia cum in debili, ac minus bene temperata imaginatiua ea sit vehemens immutatio, sic distemperatur, ac vincitur vt species sensibiles ab eadem imaginatiua descedat ad sensus exteriores, vndè ea debilitate laborantes putant se oculis corporis cernere, quod intus dumtaxat imaginantur: qui modus sentiendi cum sit oppositus ei, qui ex naturali ordine habetur, iuxta quem à sensibus externis species ascendunt ad internos, manifestè inde sequitur imaginatiua à sua naturali dispositione esse remotam. Ita S. Doctor in 4. dist: 44. quest. 2. *S.Thos.* art. 1. *questiuncul. 3.* Non dicimus quod Phrenetici, & alijs mente capti, in quibus propter victriam (passiuam intellige) imaginativa virtutis fit huiusmodi fluxus specierum ad organa sentientia, verè sentiant, sed quod videtur eis quod sentiant, Confirmat id quod diximus, nempe id oriri ex debilitate imaginatiæ virtutis, authoritas eiusdē Paren-*S.Thos* tis Nost. Theresiæ, quæ Mansione sexta, iam adducta, in hunc modum loquitur. Accade ad alcune persone (e so che è vero, per hauer meco trattato, non tre ò quattro, ma molte) esser di sì fiacca imaginativa, ò hauer intelletto tanto efficace (intellige ex hoc quod rapiatur ex vehementi illa imaginationis sensatione) ò non so io che sia, che quanto pensano, dicono che chiaramente lo veggono, secondo che ad esse pare. De his ergo ab imaginatiua nostra elaboratis imaginibus est sermo in nostra assertione. Pro qua authores non adducimus, quia nullus, quem viderimus

I i 2 hanc

hanc in terminis examinavit difficultatem, quod fortè contigit quia ad eam, de qua in præcedenti assertione loquuti sumus, facile reduci potest.

73. Nunc ratione probatur. Adoratio quæ eiusmodi apparitionibus à nostra imaginatiua elaboratis exhiberetur, esset illa eadem, quæ exhibenda esset posito quod eiusmodi apparitiones essent à Deo, sed illicitum est hanc adorationem ijs imaginibus à nostra efformatis imaginatione exhibere, ergo nequit absq[ue] diligentí examine istiusmodi apparitionibus cultus adoracionis exhiberi. Maior est manifesta, hoc ipso enim quod credantur vere, & à Deo factæ, ea est illis tribuenda adoratio, ac tribueretur si re ipsa à Deo fierent. Minor probatur quia veris apparitionibus exhibetur talis adoratio, vt putetur aliquid Diuinum illis subesse, quandoquidem Deus ijs mediantibus est omnino peculiari modo præsens animabus à se electis ad hunc singularem communicationis modum, quo se illis, prout condit o mortalis vitæ patitur, familiarem & conspicendum præbet, vt prælibent in hac vita, quod uberrimè percepturæ sunt in futura: euidens est autem adorationem huic apparitioni à Deo factæ debitam, excedere merita eius, quæ à nostra fabricaretur imaginatione, vnde & illicita esset, sicut & improportionata, seu superexedens.

Confirmatur & declaratur vis adductæ rationis. Imagines arte elaboratas adorare non debemus, quasi credamus inesse illis aliquam Diuinitatem, vel eius virtutem, ob quam sint colendæ, atqui hoc ipsum dicendum de apparentibus imaginibus virtute nostræ imaginatiua efformatis, ergo absq[ue] diligentí examine non est illis absolute lo-

quendo exhibenda adoratio Maior expressè docetur à Concil. Trident. sess. 25. s[ecundu]m citata. Minor suadetur siue enim imago interna imaginationis arte sit efformata, siue exter no pénicilli artificio depicta, parum quoad præsens refert. Consequen tia suadetur, nam cùm in apparitionibus à Deo artifice factis, adsit peculiaris omnino præsentia Deitatis, ac participatio virtutis ipsius; vt euidenter ostendunt mirabiles, ac supernaturales effectus quos causant in animabus, quæ fæliciter sortitæ sunt hac cum Deo familiaritate gaudere: fiet indè quod si adoratio, quæ illis tribuitur concedetur ijs, quæ à nostra imaginatione fabricantur apparitiones, vtiquæ istis exhiberetur adoratio taliter ac si putaretur in illis aliquid Deitatis aut virtutis ab ipso participatæ, delitescere: quod sicut illicitum est respectu externalium imaginum, ita respectu earum, quæ nostra artifice, imaginatione finguntur, adeoque peccaretur peccato superflui, & inordinati cultus.

74. Probatur secundò eadem assertio; breuiter tamen aduertendo ex D. Tho: in 4. dis: 44. quest. 2. ar. 4. quæstiunc. 3. corpus gloriosum S. Thom. ita esse animæ glorificatæ potestati subiectum, vt quoad specierum immisionem ita sit illi subordinatum, vt si anima voluerit ipsum videri à præsentibus, videatur, secus si animæ id non libuerit, adeoque poterit illud reddere inuisibile, etiam si coram alijs existat. Id quod non obscurè colligitur ex Transfiguratione Christi Domini, qui dotem claritatis pro eo tempore permisit ab anima in corpus descendere; nam vt optimè adnotarunt N. Salman: trac: de Beatitudine disp: 5. num. 22. corpus Christi in Transfiguratione visum est claritate gloriæ resulgens à tribus Apostolis

&

& fortè alios coram , sed longius existentes latuit , quamuis de facili videri potuisset , propter eximiam eius resurgentiam , quæ solis claritatem exæquabat : sed audiamus S. Tho: *Visibile videtur secundum quod agit in visum , ex hoc autem quod aliquid agit , vel non agit in aliquod extrinsecum non est aliqua mutatio in ipso : unde sine mutatione alicuius proprietatis , quæ sit de perfectione corporis glorificati potest contingere quod videatur , & non videatur . Vnde in potestate anime glorificatæ erit , quod corpus suum videatur , vel non videatur : sicut & quelibet alia actio corporis in anime potestate erit : alias non esset corpus glorificatum instrumentum summè obediens principali agenti .*

Notandum secundò ultra hanc potestatem animæ supra corpus gloriosum in ordine ad redditum illud alijs præsentibus visibile , seu inuisibile , plures doctores asserere inesse eisdem glorificatis corporibus facultatem immittendi species eorundem representatiuas ad quacumque distantiam ; contentam tamen intra terminos huius vniuersi , ita ut etiam si unus existeret in loco orientis videri posset ab alio in loco occidentis existente ; quam efficaciam habent corpora gloriose V.G. Christi & Beatissimæ Virginis ratione perfectissimæ claritatis , idemque continget proportione seruata in alijs corporibus glorificatis post nouissimum Iudicij diē . Hoc autem absquè ullo miraculo fieri potest non , interiacente aliquo corpore opaco inter Beatum corpus , & videntem : si verò aliquod eiusmodi corpus obsistat , quod transmissionem specierum sensibilium impedit , virtute Diuina poterit tale impedimentum omnino superari , ita ut eam transmissionem non impeditat .

75. Nunc efformatur ratio in

hunc modum . Probabilissimum est imaginarias Christi Domini apparitiones fieri per hoc , quod corpus Christi Domini in cælo empireo glorificatum existens , speciem sui representatiuam immittat ad imaginationem , non obstante impedimento corporum opacorum interiacentium , sed hoc posito in apparitionibus à Deo factis est latens sub illis ipsumet obiectum talium apparitionum , secus quando istæ fabricatæ sunt à nostra imaginatione , ergo cum ab eadem nostra imaginatione efformantur eadem apparitiones , non sunt absolutè loquendo adorandæ . Maior suadetur quia cum beatis corporibus adsit ea facultas immittiendi species sensibiles , eorum representatiuas ad sensum viatoris ab ipsis distantem , & aliunde possint se oculis corporeis inuisibilia reddere , fiet apparitio in sensu interno , absq; eo quod fiat in extero , quamvis forte eas species sensibilis transeat per sensum externum , vtique hic modus explicandi talis apparitiones admodum facilis est , cum solum superandas obstantia corporum opacorum interiacientium ; vnde minus ponitur de miraculo , quod satis consentaneum videtur , cum absque necessitate non sint multiplicanda miracula .

Minor quoad primam partem videtur certa nam species ab obiecto immissa continet eius naturam , cum sit illius vices gerens , ac naturalis eiusdem imago , vt videre est in omnibus alijs speciebus , quæ , iuxta Thomistarum sententiam , sunt eiusdem numero naturæ cum proprijs obiectis , si in esse representatiuo considerentur ; quod alibi fusè ostensum est , in quo proinde non immoramus . Quod si adhuc sentire volueris cum alijs docentibus species virtualiter tantum naturam obiecti

obiecti repræsentati continere, adhuc sufficienter ea prima pars minoris probata relinquetur. Quoad secundam verò est manifesta, nam si à nostra imaginatione ea apparitio fabricata fuerit, vtique species eis inseruientes non sunt eorum obiectorū propriae, & consequenter nec formaliter, nec virtualiter eiusdem naturæ cum illis. Consequenta liquet, siquidem adorās id quod repræsentatur per apparitionem, fabricatam à nostra imaginatiua, ita se gerit, ac si ea apparitio immediatè esset à Christo, adeoque ac si sub illa Christus ipse modo dicto lateret, & ideo daretur superfluuus, & supersticiosus cultus. Diximus quod fortè ea species transit per sensus externos, quia omnino probabilissimum est immediate immitti ad phantasiam, virtute Diuina id præstante.

76. At quid dicendum de apparitionibus imaginarijs Sanctorum Angelorum, aut beatarum animarum corporibus carentium? Dicimus quoad primum quod si oculis corporeis appareant, quod non semel contigit, manifestum est Angelorum substantiam præsentem esse corporibus aereis assumptis, quibus vt motores, & tanquam in loco per operationem sunt præsentes, si verò apparitione imaginaria repræsententur, sunt etiam in eadem imaginatiua eius, cui apparent tanquam in loco seu fabricando peculiarem speciem, sub qua repræsentantur, seu assumendo aliquā ibidem existentem, qua vtantur ad seiplos repræsentandos: aut demū ex pluribus speciebus in memoria cōseruatis tertią aliquam efformando, sub qua appareant. Vnde semper sunt verè quoad substantiam, & operationem præsentes, qua præsentia carent apparitiones eorumdem à nostra imaginatione effor-

matæ, vt satis ex se constat. Circa Beatas animas cum hæ aliquando fuerint corporibus coniunctæ, habuerintque proindè proprietatum corporum sensibiles species, & hæ conseruentur saltem in memoria sensitiva Christi Domini, poterunt immitti ad imaginationem eius cui fit apparitio. Nisi velis quod sicut antequam res huius vniuersi ad extra productæ fuissent infudit Deus in intellectibus Angelicis species illarum repræsentatiuas, adeoque eiusdem naturæ cum illis, exemplatas tamen ab ideis Diuinis. Ita posito quod talia obiecta sensibilia extiterint possint dependenter ab ideis Diuinis, illas eminenti modo exemplantibus in hominū imaginationibus poni, quæ erunt eiusdem nature cū obiectis quæ extiterūt, & quæ repræsentat, & à quibus in genere causæ formalis extrinsecæ pendent, vt dictum est de speciebus infusis Angelorum intellectibus. Hinc narrat Illustrissimus Didacus Iepes scriptor Vitæ S. Matris N. Theresiæ, huic oranti in quodam Sacello apparuisse S. Dominicum, eamdemque Sanctam Virginem postmodum asseruisse statuam S. Patris Dominicani, quæ in eodem facello asseruabatur, similem esse eidem Sancto Patri, cum inter viuos degeret. Verum hæc dixisse sufficiat, amplius enim in hoc immorari esset nimium instituti nostri leges violare.



Didacus
Iepes in
Vita S.
Theresa
lib.

S. III.

*Assertio tertia, & aliqua signa
ad distinguendas veras ap-
paritiones, à falsis.*

77. **D**icendum est tertio non repugnare, imò & non semel posse contingere, vt ex ignorantia inuincibili quis excusetur à culpa, si non præmisso diligenti examine, prædictis apparitionibus, vt à Deo factis adorationis actum exhibeat, quamvis re ipsa non sint ab ipso, sed vel ab eius imaginatione, vel ex arte dæmonis. Ita sentit P. Vasq: disp: 108. in 3. p. cap: 5. num. 32. afferens frequenter id posse contingere, præsertim in rudibus, & qui de his rebus minimè instructi sunt. Ex quo asserto deducit sententiam S. Bonaventuræ esse manifestè falsam: S. Tho: non meminit, forte quia verba à nobis ex ipso adducta non legit. Parerat tamen vt de sententia S. Bonaventuræ modestius loqueretur, dicto enim alicuius Sanctissimi Doctoris, vt talem vniuersa veneratur Ecclesia, notam manifestæ falsitatis inutere, non multum à temeritate distare arbitramur. Eo vel maximè, quia præclarissimus is Doctor nequam à proposita assertione dissentit, nam loquitur per se, non verò ex eo quod supponatur talem apparitionem fieri homini admodum rudi ac spiritualia hæc minimè calenti. Et sane ipsum loqui de eo qui vincibili, adeoque culpabili laboraret ignorantia, non obscurè colligitur ex eius solutione ad primum. Iuxta quem sensum loqui, loco adducto ex 3. senten: credimus Angelicum Præceptorem, quos proinde sequimur.

Ratio pro assertione perfacilis est Nam assignari non poterit vnde repugnet fieri posse aliquam ex prædictis apparitionibus, seu arte dæmonis, seu ex propria imaginatio ne alicui rudi, aut debilitate imaginationis laboranti, taliter quod nulla prorsus occurrat suspicio de deceptione, quæ ibi latere possit, in quo euentu si eliciatur adorationis actus, ac si reuera ea apparitio esset à Deo, indubitatum videtur ex ignorantia inuincibili posse omnino à culpa excusari, ergo supposita hac ignorantia orta ex alio capite, non est cur modo dicto adorans damnetur ad culpam.

78. Confirmatur. Ut ex sacris historijs habetur non semel eiusmodi apparitiones factæ sunt puerulis, quos constat omnino putasse eas fieri à Deo, & adorationis actū prout illa ferebat etas eliciuisse, quos nemo peccati reos constituet, ex hoc quod expressè eam non adiicerint conditionem, aut ante præmissum examen, quo constaret eas apparitiones esse à Deo, actum adorationis suspenderint, igitur videatur indubitatum ignorantiam inuincibilem posse à culpa excusare: Neque huic obstat quod dixerit S. Bonauen: eos adoratores non excusari ob ignorantiam; intelligendus est enim de ignorantia vincibili, qualis reperiatur in sufficienter instructo de periculo deceptionis, quod in eiusmodi apparitionibus non raro solet latere. Nec admirationem ingerat Seraphicum Doctorem seuerè admodum fuisse loquutum, vt enim prudentissime admonuit ea quæstione 6. Tales apparitiones potius sunt formidandæ, quam desiderandæ. Narratur enim (loquitur Seraphicus Doctor) de quodam Sancto Patre, quod cum ei diabolus in specie Christi appareret, ille clausis

256 DE IMAGINVM ADORATIONE.

clausis oculis dixit se in hac vita nolle Christum videre, & diabolus humilitate eius confusus statim evanuit. E contra de pluribus narratur, qui se ad visiones idoneos reputauerunt & desiderauerunt, & quod ad multas insanias & errores precipitati sunt. Inuiti hic prætermittimus sex rationes cælesti stilo conscriptas à Seraphica Matriarcha N. S. Theresia, quas reperies mansione 6. cit: cap: 9. quibus ostendit quantum periculi contineat has desiderare apparitiones, illuc lectorem remittimus ne ipsum hic nimia prolixitate grauemus.

79. At cōtra nostrā hanc assertio. nē obijcīes. Si adorans excusaretur ob inuincibilē ignorantiam semper ac in omni euētu excusaretur, dummodò expressè non cognosceret sub ea apparente imagine dæmonem latere, ergo non bene exposuimus SS. Doct: cum diximus illos esse intelligendos solum respectu eorum, qui sola laborant vincibili ignorantia, dum eos peccati reos cōstituunt. Antecedens probatur quia non potest homo eam vincere ignorantiam, nisi ex peculiari dono Spiritus Sancti, nempe per gratiam gratis datum, quæ appellatur discretio Spirituum, hoc autem donum non datur omnibus, sed ad summum valde spiritualibus, ijsquè paucis, igitur saltem ij, quibus Deus huiusmodi donum non contulerit, nequibunt etiam vincibilem superare ignorantiam, adeoque isti quantumvis ea laborent, & adorent apparentem illam imaginem erunt immunens ab omni culpa. Consequentialia liquet.

Hanc obiectiōnem proposuit sibi Angelicus Preceptor exponens cap: 4. Epistolæ 1. S. Ioannis Apostoli S. 1. circa finem, eamque nos consultò adduximus, vt ex eius solu-

tione præberetur occasio explicandi aliqua signa, ex quibus veræ apparitiones, à fictis possint cognosci, quod omnino exigebatur ad completā huius tertiae assertionis notitiam. Respondet ergo S. Doctor in hæc verba. *Possunt probari (veræ vi-
s. Thes. delicit apparitiones) probatione exteriori, per signum scilicet quod dat Dominus Matth: 7. A fructibus eorum cognoscetis eos, & hoc possunt facere omnes, sed non probatione interiori. Idest proueniente ab interno instinctu & dono Spiritus Sancti, qui, vbi vult spirat, diuidens singulis prout vult, id enim maximè locum habet in gratijs gratis datis, quæ non semel dantur etiam indignis, ex hoc quod non dicant indispensabilem connexionem cum gratia sanctificante.*

80. Quænam autem sint signa ex quibus eiusmodi exterior probatio habetur, docuit idem Angelicus Preceptor exponens caput 11. epist: 2. ad Chorint: vbi lec: 3. hæc habet *In hoc potest cognosci quod Sathanas sit, quia bonus Angelus in principio hortatur ad bona, & perseverat in eis: malus in principio quidem pretendit bona, sed postmodum volens explere desiderium suum, & quod intendit, scilicet decipere, inducit, & instigat ad mala. 1.Ioan.4. Omnis spiritui nolite credere. Et ideo Iosue cum videret Angelum in campo suo dixit Indicum 5. Noster es, an aduersiorum? Aliud etiam signum est quod bonus Angelus, et si terreat in principio, tamen statim consolatur, & confortat, sicut ad Zachariam Luc: 1. Ne timeas Zacharia. Et ad Beatam Virginem dixit Ne timeas Maria. Malus autem Angelus stupefacit, & desolatum dimittit, & hoc ideo ut stupractum facilius decipiat, & persuadeat sibi.*

*Angelicam hanc doctrinam legit
Seraphica*

DISPVTATIO V. DVBIUM IV. 257

S.Ther.

Seraphica orationis Magistra Sancta Theresia, non in prædictis S. Tho: commentarijs, quibus non studuit, sed excellentiori in Christi libro, quem altissima contemplationis acie perpetuò meditabatur, vnde eius reticere verba, mihi eius indigno discipulo, & inter filios minimo non licuit, in hunc ergo modum cap: 28. sue Vitæ scribit.

E cosa molto manifesta, e se non vuol un anima lasciarsi ingannare, non mi pare l' ingannerà, se cammina con humiltà, e simplicità. Chi hauerà hauento vera visione di Dio, ben subito se n'accorgerà, percioche quantunque incominci con consolatione, e gusto, l'anima nondimeno lo ributta da se; & à mio parere deue anche effer differente il gusto, e che non mostra segni d'amor puro, e casto, onde in breue dà ad intendere chi egli è.

81. Nunc vt etiam aliquid de pauperrimo ingenioli nostri penuromamamus, quæri primò potest cur visiones à Deo factæ in principio timorem incutiant? id enim S. Doctor sola autoritate comprobauit. Et videtur nobis dicendum hoc ideo esse, quia timor cautus reddit timentem, adeoque circumspetum ne aliquid periculi lateat. Cum ergo visio fuerit à dæmone hic detegi formidans timoris cautelam amouet: è conuersò Deus qui nocere non intendit, eandem cautelam nedum fugit, sed ingerit, nemo enim ferire volens dicit, caue. Secundò cur delectatio à dæmone immissa fastidiatur ab anima, eamque abiciat, vt dicit Seraphica Virgo? Siquidè videtur id opponi naturæ delectationis, quæ est quies in bono possesto. Vndè non apparet quonam modo verum sit quod ipsa docuit. Verum citò id cognoscetur, animaduertendo obiectum, non posse esse delectans, ac quietem proindè creans, nisi fuerit consol-

De Imaginum Adoratione.

num naturæ suppositi, non enim bonum absolutè sumptum delectat, sed dumtaxat bonum quod aut verè fuerit conueniens appetenti, aut saltem apprehendatur ut conueniens. Deducitur id manifestè ex doctrina S. Tho: 1. 2. quest. 25. art. 2. vbi optimè ostendit amorem priorem esse delectatione, & quia primum saluatur in posteriori, vtquè omnis delectatio supponit, & claudit inse amorem, hunc autem sic describit: *Ipsa aptitudo, siue proportio appetitus ad bonum, est amor.* Hanc eandem igitur aptitudinem, seu coaptationem, & conuenientiam ad bonum delectans necessariò in delectatione claudetur. Ex quo fit quod cum bonum proportionatum anime, eiusque voluntati sit solus Deus, hic tantum sic delectat, vt quietem causet; dæmon verò & bona quæ ipse suggerit, cum non sint coaptatae animæ eiusq; appetitui, ideò ea anima naturali instinctu fastidit, & à se reijcit, vndè nil mirum si delectatio à dæmone immissa inquietam reddat animam, eiusque appetitum. Hinc quies est solum apparenſ, ſicuti & bonum, de quo ſumitur. Fa rappreſentationi (ideſt dæmon) per diffare la vera visione, che hâ veduta, ma talmente ella le ributta da se, s'altera, ſi diſgusta, e ſi inquieta, che perde la deuotione, e gusto che prima haueua, e rimane ſenza deuotione alcuna. Sic ibidem Sapientissima Virgo.

82. Cuius ſupercelesti doctrinæ pabulo iterum nutriri mentem nostram oportet, vt cognoscamus vndè dignosci queat eas apparitiones, quæ à Deo ſunt nec à noſtræ imaginationis arte fabricatas esse. Eodem igitur capite 28. hæc habet Che poi queſta viſione ſia un' imaginatione, è impossibile ſopra ogni imposſibilità, niente hâ del probabile, peroche la ſola beltà, e bianchezza d' una

S.Ther.

K k mano

mano, sormonta, & eccede ogni nostra imaginatione; poiche senza noi ricordarcene, nè bauerlo già mai pensato, si veggono in un momento presenti cose, che non si potrebbono in lungo tempo ordinare, e comporre con l' imaginatione, atteso che come hò detto supera, ed è cosa molto più sublimme di quello che noi in questa vita possiamo comprendere; è dunque questo impossibile: e se anco in ciò potessimo qualche cosa per quest' altra ragione che hora dirò, si vede chiaro che non è imaginatione. Imperoche se fosse cosa rappresentata coll' intelletto (intellige operante simul cum imaginatiua, loquitur enim de imaginariis visionibus) oltre che non farebbe quelle grandi operationi, che questa visione fà (anzi nessuna) farebbe come uno che volesse far finta di dormire, e stesse svegliato non essendogli venuto il sonno; che come egli lo desidera per la necessità, o debolezza di testa, che patisce, s' addormentia in se, e fa le sue diligenze, e tal volta pare che faccia qualche cosa; mà se non è vero sonno non lo sostenta, nè dà forza alla testa, anzi alcune volte rimane più suanita. Così in parte auerrebbe qui, che rimarebbe l' anima suanita, non sostentata, e forte, anzi stanca, e disgustata: mà in questa ch' io dico non si può magnificare à bastanza la ricchezza che rimane, anche nel corpo di salute, e di conforto.

83. Eamdem materiam prosequitur cap: 29. sequenti, ubi addit aliud satis evidens argumentum, ex quo aperte cognosci possit quando eiusmodi apparitiones sunt à nostra imaginatione, quando verò à Deo, loquens itaque de imaginaria Humanitatis Christi visione inquit. Ben può rappresentarla innanzi alla sua imaginatione, e starla mirando per qualche spazio di tempo; considerando le figure, e bianchezza che hā, & à poco à poco andarla più perfetta-

nando, e raccomandando alla memoria quell' imagine; questo chi gliel' vietarà? Poiche coll' intelletto può fabricarlo. Mà in quello di cui parliamo non è possibile far questo; l' habbiamo solamente da mirare quando il Signore la vuol rappresentare, e come vuole, e quel che vuole; nè ci è leuare, nè mettere, nè modo per ciò, per molto che noi facciamo; nè per vederla quando vogliamo, nè per non vederla; in volendo mirar qualche cosa in particolare, subito si perde il veder Christo. Numquam elegantius, ac solidius loquutus est Theologorum aliquis sicut mulier hæc, quæ calamum longe doctius tractauit, quam colum; cuius simplicissimus stilus grauitati Scholasticæ splendorem ingerit ac maiestatem, adeoque credimus parsurum lectorem prolixitati, cui, in eius referendis doctissimis verbis, indulsumus.

In hoc demum paragrafo notandum duximus iure optimo dixisse S. Bonavent: vix aliquem posse ex ignorantia à deceptione excusari, quando enim eiusmodi apparitiones sint à Deo, quando verò à demone facillimum est ex prædictis signis animaduertere, vndē dicebat S. Virgo Theresia ut retulimus n. 80. E cosa molto manifesta, se non vuole un anima lasciarsi ingannare, non mi pare l' ingannará. Vides absque permixtione culpabilis ignorantie, vix posse deceptionem contingere.



§. I.V.

Argumenta soluta.

84. **A**duersus primam assertio-
nem non videtur extare
aliqua Theologorum sententia;
possimus tamen in illam sic argu-
mentari. Non videtur necessarium
in euentu prædictarum apparitionū
actu & explicitè adjicere eam con-
ditionem, sed sufficit si habituali-
ter, aut saltem virtualiter appona-
tur, ergo malè cum Sanctis Bon-
aventura & Thoma asseruimus eam
conditionem actu explicitè esse ap-
ponendam. Antecedens suadetur,
quia ut quis absque superstitionis
cultus periculo adoret hanc V. G.
hostiam consecratam, non est opus
ut explicitè & actualiter intendat
eam adorare si fuerit ritè consecra-
ta; sed omnino sufficit virtualis &
implicita appositio illius conditio-
nis; idem ergo quoad præsens di-
cendum; posito saltem quod pro-
babiliter existimetur sub ea appa-
rente imagine, dæmonem non late-
re. Consequentia liquet.

Confirmatur Quoties obiectum,
aliquid ex sua communi ratione
sonat in bonum, ac malitiam non
exprimit, et si aliundè ex aliqua cir-
cumstantia vitiari possit, licet tamen
illud appetere, quamvis nulla ex-
pressa addatur conditio, sed de ge-
nere horum obiectorum est adorare
Christum, ergo in euentu prædi-
tarum apparitionum, licebit nulla
expressè addita conditione velle sic
adorare. Maior docetur à N. Sal-
man: trac: de Vit & peccat: disp: 11.
num. 52. & constat in istis videli-
cer concionari, confessiones audire
& similibus, quæ in suo formali &
obiectuo conceptu soant in bonū

De Imaginum Adoratione.

nec malitiam exprimunt, quamvis
si fiant ab ineptis, aut non habenti-
bus requisitam facultatem vitiari
possunt, & tamen honestum est illa
apparere, nulla addita expressa con-
ditione, dummodò neque exclusa.
Minor probatione non indiget.
Consequentia autem videtur ex pa-
ritate rationis manifesta. Adde-
quod videtur superare diligentiam
humano modo operandi adhiben-
dam, hoc quod est exigere actualem
& expressam adiectionem illius
conditionis, sufficiet enim virtua-
lis, sicut in alijs humanis actioni-
bus, vt cum debita rectitudine exer-
ceantur sufficit virtualis intentio
benè operandi.

85. Respondetur negando an-
tecedēs ad cuius primam probatio-
nem liquet ex dictis, siquidem id-
circo ad prudenter adorandā hanc
hostiam consecratam sufficit virtualis,
& implicita adiectione illius con-
ditionis, quia non est res noua &
insolita; ac supponitur factas fuisse
debitas diligentias ad hoc ut ille
in Sacerdotem ritè fuerit institutus.
Non ita in prædictis apparitioni-
bus, quæ cum sint nouæ & insolite,
nouam ac insolitam postulant dili-
gentiam. Ipsa etenim nouitas, &
singularitas eius priuilegiatae, ac
Divinæ communicationis sollicitat
animum ad omnem adhibendam
circumspecctionem. Maximè cum
supponamus haberi sufficientem
notitiam de periculo deceptionis,
quæ ijs in apparitionibus potest de
facili subesse. Vnde non est simile.

Ad confirmationem eodem mo-
do dicitur, nempè doctrinam in
maiori propositione traditam limi-
tandam esse ad ea, quæ nec sunt no-
ua, nec insolita, nec demum ex pec-
uliari priuilegio procedentia: nam
si talia fuerint, & aliundè periculum
deceptionis non infrequens, necessa-
rium erit adjicere explicitè actua-

liter talem conditionem: vnde quod ad has apparitiones nouas insolitas, ac à periculis non immunes nequite ea doctrina absolute loquendo sustineri; ad id quod ultimo loco additur, dicendum pariter nouitatem illam, ac insolitum modum. Diuinæ communicationis, quæ in ijs apparitionibus inueniuntur sollicitare animum ad cautè timendum, & consequenter ad apponendam explicitam illum conditio nem, neque id superat diligentiam humanam, sed omnino requiritur ad prudenter operandum; secus dicendum de alijs actionibus, quæ ex assiduitate, & carentia peculiaris priuilegijs, & periculi, ut rectè exerceantur insolitam hanc non postulant diligentiam, & ideo quoad eas sufficiet virtualis & implicita intentione rectè eas exercendi. Secus quod ad presens.

86. Secundum argumentum. Si esset adiicienda ea expressa conditio, maximè ne ea adoratio versaretur erga dæmonem, sed ea non opposita, adhuc talis adoratio non ferretur in dæmonem, ergo non erit necessariò actu & explicitè apponenda. Major de se patet. Minor suadetur quia in eo euentu dæmon se habet per modum fabricantis, & efformantis illas imagines, in artificem autem non fertur actus adoratoris, posito enim aliquam imaginem externam elaboratam fuisse ab homine scelestissimo, & etiam ex prava intentione pictoris, volentis sub specie sacræ imaginis inspectores ad turpes motus sollicitare, ex hoc quod minus decenter esset expressa; adhuc tamen nemo dicet in honestum fore illi imagini exhibere adorationem, non adiecta peculiari conditione excludente prædictum artificem: Idem ergo quod ad presens, cum ea interna apparatio, ut supponitur, non dæmonem,

sed Christum exprimeret. Eo vel maximè quia semper adoraretur cum habitudine ad exemplar, quicquid sit de illius artifice.

Confirmatur. Si arte dæmonis pingeretur externa aliqua Christi imago, aut alterius Sancti, quamcumque prava intentione dæmon id perageret, utique liceret illam absolutè adorare, ergo idem dicendum de interna ea apparitione Christi, quam idem dæmon effingit Antecedens tum ex se manifestum appareret: tum probatur autoritate Seraphicæ Virginis Theresiae quæ mansione 6. lèpè citata cap: 9. post medium hec habet. Impero che come diceua un gran Letterato il demonio è un gran pittore, e che se al vino gli rappresentasse l'immagine del Salvatore, non gli sarebbe dispiaciuto per auuiuar con essa la deuotione, e far guerra al demonio con le sue medesime armi; e che se bene un pittore fosse sceleratissimo, non per questo ha da lasciar si di far riuerenza all' immagine che fa, se ella è di colui, che è tutto il nostro bene. Pareua à questo Letterato molto male quello che alcuni consigliano, che quando di questa maniera si vedesse qualche visione se le facciano le fice in faccia: perche (diceua) che douunque si sia che vediamo dipinto il nostro Rè della gloria, dobbiamo farli riuerenza: e veggo che hà ragione: atreso che anche fia noi s' hauerebbe à male, se sapesse una persona che vuol bene ad un'altra, che questa facesse simili beffe e vituperij ad un suo ritratto. Hor quanto più è ragione che sempre s' habbia rispetto, ouunque si vegga, ad un Crocefisso, o qualsivoglia ritratto del nostro Imperatore? Ex quibus verbis consequentia manifesta relinquitur.

87. Confirmatur rursus. Iuxta S. Thos: doctrinam, quæ habetur 2. 2. quest. 95. art. 4. ad 1. Inquirere aliquid à dæmoni sponte occurrente, quandoque licet propriæ utilitatem aliorum

aliorum, ergo cum ex prædictis apparitionibus sequi possint aliquæ vtilitates, & aliunde non adoretur dæmon sub ijs latens: non erit saltē rigidæ adeo cautela procedendum, vt necessū sit explicitè actualliter eam apponere conditionem. Quod saltē videtur admittendum polito quod voluntas adorantis esset admodum firmata in bono, & aliena ab intentione præstandi cultum aliquem dæmoni, tunc enim videtur cessare periculum.

Ad solutionem huius argumenti & confirmationem illius, notandum ex S. Tho; 2. 2. quæst. 95. art. 4. illicitum esse à dæmone cognitionem veritatis requirere. Tum quia ut ibi inquit *Dæmon qui intendit perditionem hominum, ex huiusmodi suis responsis, etiamsi aliquando veradicit intendit homines assuefacere ad hoc quod ei credatur, & sic intendit perducere in aliquid, quod sit salutis humanae nocium.* Vnde Athanas; exponens illud quod habetur Luce 4. increpauit illum dicens obmutescet, dicit; quamvis vera fateretur dæmon, compescet tamen Christus eius sermonem ne simul cum veritate etiam suam iniqitatem promulgaret, ut nos etiam assueficiat, ne curemus de talibus, et se vera loqui videatur. Tum etiam quia Nefas est ut cum adsit nobis scriptura Diuina, à diabolo instruamur. Id quod Sanctus Preceptor docuit de cognitione veritatis in communione, vtique etiam dicendum de eiusmodi apparitionibus ab eodem dæmone factis, etiamsi enim ad devotionem, ac pietatem fouendam, videantur conducere, & reuera conducerent; adhuc tamen hoc ipso quod sint à dæmone sunt respuendæ, cum per illas intendat homines assuefacere ad ineundam secum aliquam societatem, seu familiare conturbernium, vt postmodum facilius possit nocere;

& ad prava perducere.

88. Illustrior fiet hæc doctrina, si cum Caietano animaduertatur duplē distingui posse dæmonum cultum, formalem vnum, quo quis dæmonem inuocans, intendit se illi subiçere per adorationis actum; de quo nemo dubitat omnino malum esse. Materiale alterum, quo quis intendit solum inuocare demonem ut ab ipso veritatem cognoscat, nullatenus volens se illi per adorationis actum subiçere: eo modo quo quis ab alio homine veritatem quereret, cui tamen per adorationis actum non se subderet. Et hunc etiam docet esse superstitionem cultum, cuius rationem assignans ait. Nec tamen propterea evaditur peccatum mortale, quia opera ista etiam materialiter spectant ad societatem dæmonum: & constituunt initiam societatem formaliter cum dæmonibus, ac per hoc cum hostibus Dei, & proprijs. Constat autem quod societas cum hoste, siue consummata sit, siue initia solum sit, pernicioſa est, & leſe maiestatis rea, & cum tali hoste, scilicet dæmons, contraria fidelitatem quam Deo debemus est, & contra nos ipsos, quia dolos sunt semper, ubique, & in omnibus. Et post pauca subdit id quod valde præsenti congruit instituto. Et vis perpendere granitatem huius peccati, respice quod sicut ad initium cœlestis felicitatis & Patriæ spectat conuersatio in hac vita cum Angelis, aut Sanctis apparentibus quandoque nobis, ita ad initium eterna damnationis, & infernalis habitaculi spectat societas cum dæmonibus, & propterea in ea est iniqitas consummata. Hinc deducitur cur etiam sit illicitum vti superstitionis verbis, aut actionibus ad sanitatem, vel finem aliquem secundū se honestum consequendum, quantumuis excludatur explicitè quemque societas cum dæmoni, nam saltē interpretatiō & virtualiter,

tualiter, qui ijs vtitur consentit in eam societatem, & familiaritatem cum dēmonibus, quod superstitionis est vitium.

89. Nunc ad argumentum dicitur maiorem illius concedendam esse, intellectam saltem de cultu materiali dēmonis, iuxta quem sensum neganda est minor; ad cuius probationem dicitur, quod etiam si ea imago à Dēmone efformata ipsum non repräsentet, sed sanctū aliquod prototypon, si enim ipsum repräsentaret esset formalis illius cultus: quia tamen dēmon fabricator illius, est in illa tanquam in loco per suam substantiam, ex vi operationis redditam præsentem, idcirco saltem daretur materialis illius cultus & adoratio, quam constat esse illicitam. Per quod patet ad exemplum allatum, nam pector ille scelestissimus non reddetur modo dicto præsens, & affixus depicte illi imagini; vnde non est simile.

Ad primam confirmationem dicatur primò, illicitum omnino esse petere à Dēmone quod eam pingueret imaginem, quantumuis postulans honestissimum finem intenderet, id enim simile esset ei, qui veritatis manifestationem ab eodē dēmone postularet, quod vti ex D. Tho: vidimus est illicitum, etiam posito quod certi essemus quoad eam singularem veritatem, nolle dēmonem nos decipere. Secundò dicitur quod supposito quod dēmon eam pinxit imaginem, ei tamen nullo modo per operationem præsens existeret, posset ei adoratio honestè exhiberi: id tamen nō quoad præsens contingit, quia dēmon apparitioni illi supponitur per suam operationem præsens, vnde non potest non terminare materialē illum cultum. Ad authoritatem ibi adductam, quantum ad pri-

mam illius partem, dicendum sapientissimum eum virum loquacum fuisse, posito quod dēmon se haberet, vt humanus pictor, qui imagini à se depicte non est presens, nec ei per suā operationem & substantiam coniunctus, id quod manifestè conuincitur ex inducto exēplo hominis scelestissimi imaginem pingentis.

90. Circa secundam illius partem sentimus cum eodem docto viro, ac Sanctissima Virgine Theresia, illius dictum comprobante, imprudens omnino fuisse consilium eorum, qui iusserunt vilipendia illa exhibenda internis ijs apparitionibus. Et hoc tum quia omnino in plus est iniuriam irrogare, quam præcisè adorationis actum suspendere, aut supposito probabile valde esse eas apparitiones fieri à Deo adorationis actum adiecta expressa illa, & formali conditione adorare, quæ duo posteriora nos asserimus. Tum quia id consilium datum fuit Seraphicæ Theresiæ, quæ iam sufficienti examine compertum habebat eas apparitiones esse à Deo: inde enim aperte constat imprudenter admodum id consulentes se gessisse: Prudentiæ enim munus est circumstantias personæ maximè pendere.

Ad secundam confirmationem, vt occurramus, breuiter nota eam solutionem adhibitam fuisse ab Angelico Præceptore argumento, quod aduersus seipsum efformauerat, desumptum autem fuit argumentum ex Marci 5. vbi Christus curare volens dēmoniacum interrogauit dēmonem dicens. *Quod tibi nomen est?* Ex quo videbatur inferri licitum esse querere à Dēmone veritatis manifestationem, quod tanquam in honestum ibidem reprobavit Sanctus Doctor, vti iam vidimus. Huic ergo argumento in hunc modum respondet.

spondet. Dicendum quod sicut Beda dicit lib. 3. in Lucam cap. 32. exponens huins: caput 8. non velut inscius Dominus inquirit, sed ut confessa peste quam tolerabat, virtus curantis gravior emicaret. Aliud autem est inquirere aliquid à dæmone sponte occurrente, quod quandoque licet propter utilitatem aliorum; maximè quando Divina virtute potest compelli ad vera dicenda: & aliud dæmonem inuocare ad cognitionem occultorum acquirendam ab ipso. Sic ille.

Ex qua responsione habetur primò noluisse propriè loquendo Christum Dominum à dæmone manifestationem veritatis ediscere, quam ipse probè nouerat. Secundò lice-re dumtaxat habentibus potestatem exorcizandi, quæ est participatio virtutis Diuinæ, quæ rere à dænone, seu vt melius loquamus compellere ipsum ad manifestanda non quidem occulta, & maximè si fuerit sermo de mysterijs Diuinis, circa quæ falsa possunt ab illo immisceri, sed dumtaxat quod fuerit necessarium ad finem expellendi dæmonē à corporibus, quæ tyramnicè possidet, taliter videlicet vt detecta hostis conditione facilius vincatur. Et consequenter ad utilitatem eius, qui à dænone possidetur. Quæ omnino diuersa esse ab eo quod nunc examinamus nemo non videt.

Vnde S. Doctor doctrinæ hactenus traditæ nullatenus aduersatur.



D V B I V M V.

Verum Sacra Sanctorum Nomina, & præsertim Iesu, & Mariæ aliquam promereantur adoracionem.

91. **A** Sacris imaginibus ad novum venerationem deuenimus: habent enim nomina, nonnullam cum imaginibus similitudinem: nam sicut istæ propria representant exemplaria, ita & nomina res quibus fuere imposita indigat; quod vt melius percipiatur, & ad ea quæ sunt dicenda facilior via paretur, breuiter nota, ex S. Thom. 3. p. quæst. 37. art. 2. ad 3. nomen significare esse rei nominatæ, & non qualitercumque, sed esse perfectum, & maximè perfectione gratiæ sanctificantis.

Per primam huius doctrinæ partem soluit Glossa obiectionem quæ conficitur aduersus veritatem illam, quæ habetur Proverb. 4. cum Salomon de seipso loquens hæc effatus est. *Ego fui filius Patris mei tenellus, unigenitus coram matre mea.* Obiectionem sic Glossa in hunc locum adducit. *Quare Salomon se unigenitum coram matre nominat, quem fratrem uterimum processisse Scriptura attestatur.* Et hanc soluens subdit. *Nisi quia ille mox natu sine nomine, quasi nunquam esset de vita excessit: Igitur nomen significat else rei, cum eo carens, else etiam carere dicatur.*

Quod autem nomen significet perfectum esse rei nominatæ ostendit S. Thom. loco adducto his verbis. *Sicut Genes. 7. legitur Abraham suscepit nominis impositionem à Deo; & circumcisionis mandatum, & ideo apud Iudeos*

S.Thom.

Iudeos consuetum erat, ut ipso die circumcisio*nis* nomina pueris imponerentur, quasi ante circumcisio*nem* perfectum esse non habuerint. Et hoc ideò quia infantes per circumcisio*nem*, quod erat veteris legis Sacramen*tum* consequebantur gratiam sanctificantem, per quam culpa originalis ab Adamo descendens delebatur. Nomen ergo significat esse rei nominatae perfectum, & maximè perfectione sanctitatis supernatura*lis*, vi cuius habetur esse supernaturale, & gignitur homo in Filium Dei, sicut per carnalem generati*onem* in hominis filium.

92. Ex quo apparet, quod sicuti imaginis est proprium, repræsentare esse, ac naturam prototypi, & rursus imaginis sacræ sanctitatem, sui exemplaris exprimere: ita & nominis proprium erit rei nominatae esse indicare, & rursus sacri nominis sanctitatem eorum qui ijs insigniuntur denotare. Quapropter sicut ratione prædictæ representationis imago gerit vices sui prototypi, & si formalissimè sumatur non ponit in numero cum illo, sed pro uno eodemque reputatur ut ex superiori dictis liquet. Ita nomen vi prædictæ significationis substituitur loco rei nominatae, & sub formalissimo suo conceptu non ponet pariter in numero cum re nominata, cuius vices gerit. Demum sicut imago prout inuoluens proprium modum essendi præscindit ab exemplari: ita & nomen, prout etiam dicit suum modū essendi realiter distinctum à modo essendi rei nominatae, sumi potest. Vnde sit dubium procedere de dupli*c*i adoratione, vna quæ terminetur ad nomen, prout non ponens in numero cum re nominata, altera, prout ab eadem re nominata præscindit, eamque proinde non nisi extrinsecè affert. Loquimur autem præcipue de Sanctissimis nominibus

Iesu, & Mariæ, de quibus quicquid dictum fuerit, applicandum erit proportione seruata ad nomina aliorum Sanctorum.

I.

Ponitur unica conclusio, & auctoritate, ac ratione probatur.

93. **D**icendum est Sacratissima nomina Iesu, & Mariæ formalissimè sumpta, adeoque prout sumuntur ut non ponunt in numero cum ijs, quibus sunt imposta, propriè loquendo coadorari eadem adoratione, qua adorantur Iesu & Maria in seipsis: ut verò ab ipsis præscindunt solum esse digna honoraria quadam veneratione, quæ ad essentiam adorationis nō pertingit, proportionatur tamen rebus nominatis. Hęc secunda assertionis pars non habet difficultatē, sed omnino liquet ex ijs, quæ suprà docuimus agentes de veneratione imaginum, ut præscendentium à proprijs exemplaribus; quarè superest in præsentiarum probanda prima pars, habet enim peculiarem difficultatem, nequè omnes qui id sentiunt de imaginibus, ut non ponentibus in numero cum exemplaribus putant hoc ipsum dicendum de Sacris nominibus, ut constabit cum oppositum dicendi modum referemus. Notandum verò assertionem propositam intelligendam de ijs Sacris nominibus siue voce proferantur, siue scriptura exprimantur; de quo nemo ambigit esse eandem, aut fere eandem rationem.

Probatur ergò prima assertionis pars quoad dulcissimum Iesu nomen ex illo Apostoli ad Philipp: 2. dicentis. *In nomine Iesu omne genus reflectatur caelestium terrestrium, & infernorum.*

DISPVVTATIO V. DVBIUM V. 265

S.Thom. fernorum. Id exponens Angelicus Præceptor legit: 3. hæc habet *Hic errauit Origenes*, quia cum audiuist quod omne genu flectatur, quod est reverentiam exhibere, credidit futurum quandoque, quod omnis creatura rationalis, sive Angeli, sive homines, sive dæmones subiacerentur Christo subiectione Charitatis. Sed contraria hoc est illud Matth: 25. Ite Maledicti in ignem eternum &c. Sed dicendum quod est duplex subiectio: una voluntaria, & alia inuoluntaria. Et est futurum quod omnes Angeli Sancti Christo subiabantur voluntariè, & ideo dicit omne genu flectatur. Et ponitur signum pro signato Psal: Adorate eum omnes Angeli eius. Item quod homines beati, ac Sancti, ac iusti hoc modo subiiciuntur. Psal: omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. Sed dæmones & damnati non sic, sed inuoluntariè subiiciuntur. Iacobi 2. Dæmones credunt & contremiscunt. Ex quibus apparet Apostolum ibidem loqui de adoratione simpliciter tali exhibenda illi nomini ratione rei significatæ, quam claudit adæquatus & totalis illius adoratio- nis terminus. Omittimus alia tum Sacre Scripturæ, tum Sanctorum Patrum testimonia, quæ pænè innumera suppeterent & cuique obuia faciliter erunt. Videri tamen potest Angelicus Præceptor Opusc: 60. art: 6.

Surius; Quoad venerabile Mariæ nomen etiam non pauci Sanctorum Patrum eloquentes suos exercuere calamos in deprædicandis eius encomijs. Inter quos videri possunt S. Epiphanius, cuius sermonem refert Laurentius Surius tomo 6. de vitis Sanctorum sub die 8. Decemb: D. Bernardus Homil: super Missus est ubi luculenter de hoc sacratissimo nomine, pro sua erga Sæcundissimam Virginem deuotione, & pietate non pauca scripsit lectu dignissima. De-

S. Bern. *De Imaginum Adoratione.*

indè utriusque nominis adorabilitatem valde confirmat Catholicæ Ecclesiæ consuetudo, qua permititur, omninoque approbatur festum nominum Iesu, & Mariæ, pro cuius celebratione composita sunt peculiaria officia, quæ in eorum nominum festiis diebus recitantur: id enim euidentissimum est argumentum, ea nomina, ut cum nominatis coniuncta, esse simpliciter cultu & adoratione digna.

94. Probatur deinde ratione, quæ in hunc modum potest efformari. Ea quæ sunt valde Sancta adoratione digna sunt, sed nomina Iesu & Mariæ ut coniuncta personis, quibus fuere imposita sunt valde Sancta, ergo sic accepta coadquiri possunt eadem adoratione, quæ prædictæ adorantur personæ. Major probatione non indiget. Minor, quæ solam probationem desiderat, fusæ à nobis est ostendenda, ut aliquid obsequij sacratissimis ijs nominibus impendamus. Sciendum ergo ex Eminentissimo Baronio tomo 3. *Earon.* Annal: ad annum Christi 325. describente grauissimum Nycæni Concilij celebrati sub S. Sylvestro Papa, & Constantino Magno Imperatore, confessum, hæc haberi. Rursus verò in medio eiusdem confessus (ut habent acta dictæ Synodi Chalcedonensis, & aliorum Conciliorum) ponit solitum erat Sacrosanctum Euægeliū, in quod vultus omnium conuersi essent. At quid hoc myticum significaret S. Cyrillus Alexandrinus declarare videtur, dum ait in Apologia. Sancta Synodus (*nempe Ephesina*) in Sancta Ecclesia, quæ Mariana vocatur congregata est, Christumque assessorum capitis loco adiunxit: *venerandum enim Euægium in Sancto Throno collocavit, tantum non in aures sacerdotum clamans, iustum iudicium iudicante &c.* Liber igitur ille. (Prosequitur adductus Baro- vius) in sede regia collocatus Diui-

nam præferebat personam secundum illud Psal: 81. Deus stetit in sinago-
ga deorum, in medio autem deos dyn-
dicat.

Ex quo nunc probamus minorē, indubitatū est apud Sacrōrum conciliorū Patres valdē Sancta censuſſe Euangeliū verba, quibus tan-
tum honoris deferebant, ut pro ipso Christo eorum authore haberentur:
& hoc idē, quia per illa arcana Di-
uina nobis reuelantur: cur ergo non idem dicendum de Sacris no-
minib⁹ Iesu & Mariæ, quæ in
eisdem Sanctis Euangelijs conti-
nentur, & sanctissimas significant
personas, saltē ſi ſumāntur, vt de
ijs nunc loquimur prout coniuncta
personis, quibus fuere imposta. Sa-
nè ſi Euāgeliū idem cum Christo,
apud prædictos Patres censebatur;
non dubium quin valdē sanctū illud
existimarent: cū ergo uonima æquè
ſumī poſſint vt coniuncta personis,
quibus imponuntur, non erit eis san-
ctitas, vt ita conſideratis deneganda.

95: Deindē rursus ſuadetur
eadem minor animaduertēdo apud
Hebræos in lege veteri propriūm
Dei nomen, quod Græcē dicitur
Tetragrammaton ſumæ fuſſe vene-
rationis, ex hoc quod maximē San-
ctum putabatur; docuit id Abulensi:
in cap: 6. Exodi non longè à princi-
pio vbi hæc habet de prædicto no-
mine. *Vt quidam voluit tanta San-
ctitatis eſt, quod à nullo nominari de-
beat, niſi à Sacerdote Magno in bene-
ditionibus nubentium:* ideo quan-
tumcumque ſcribatur in hebrao, num-
quam legitur, ſed ſolum ponitur iſtud
nomen Adonay loco eius.

Tantum autē Sanctitatis nomē il-
lud habebat, quia vt paulo post no-
rat idē author significat eſſentiā Dei
purā. Ex quo apparet nomen signifi-
cans Deū, ex sanctitate obiecti signi-
ficiati sanctitatē defumere, adeoque
nomen Iesu Deum hominem signi-

ficans ex ſuo pariter obiecto sancti-
ficationem defumere, & conſequen-
ter proportione ſeruata idem dicen-
dum de nominib⁹ Mariæ, & alio-
rum Sanctorum.

Sed adhuc vlt erius progreditur
adductus scripturæ grauifimus in-
terpres, ostenditque hoc nomen Ie-
ſus maioris quodammodo reueren-
tiæ dignum eſſe, quam iſtud nomen,
Deus; cuius rationes ex commen-
tis cap: 20. Exodi quæſt. 6. hic
compendiosè adducere non grau-
bimur. Primò ergo id ostendit ex
laudabili consuetudine Fidelium,
qui audito hoc nomine Iesu, aut
caput detegunt, aut genua flectunt:
quæ non präſtare cōſueuerunt audi-
to hoc nomine, Deus. Secundò quia
tale nomen impositum eſt Christo à
tota Trinitate in prämium diffiſili-
mæ illius obedientiæ, qua factus
eſt obediens uisque ad Mortem Cru-
cis, vt dixit Apost: ad Philip: 2. Ter-
tiò quia iſtud nomen illud eſt iu-
quo ſolum ſaluuantur: iuxta illud
Act. 3. Non eſt aliud nomen ſub cælo,
in quo nos oporteat ſaluos fieri. Vnde
Iudæi, & Saraceni inuocant Deum,
& non ſaluuantur. Quartò quia iſtud
nomen Deus significat ipsum, vt
Creatorem, nomen verò Iesu ſig-
nificat Deum vt Redemptorem, &
quamuis creari ſit forte maius, quia
per illud accipimus fundamentum
omnium perfectionū, tamen quoad
noſtrā opinionem, & noſtrū
velle, maius beneficium eſt nos eſſe
redemptos, quam creatos. Vnde
dicit D. Greg: in benedictione cæ-
rei Paschalis, nihil nobis nasci pro-
fuit, niſi redimi profuiſſet. Quintò
quia nomen Deus significat eſſen-
tiam puram, aut etiam perfectio-
nem virtutis creatiæ, quam habet,
quæ duo significat etiam nomen Ie-
ſus, quatenus Deum hominem ſi-
gnat, & rursus ſignificat perfectio-
nem Redemptoris, quam non ſi-
gnificat

Abulensi.

Abulensi.

Abulensi.

DISPVATATIO V. DVBIUM V. 267

gnificat nomen Deus : tantò autem nomen aliquod est venerabilius , quantò significat plures Dei perfectiones . Hactenus Sapientissimus arcorum scripturæ Diuinæ scrutator , qui nec oblitus est nominis Mariæ , cum quæst. 7 . afferit peccari contra decalogi præceptum , quando nomen Virginis sine reverentia accipimus , & nomina Beatissimorum Apostolorum , ceterorumque Sanctorum quos Ecclesia canonizzauit . Habent ergò Sacra nomina Iesus , Virginis , & Sanctorum sanctitatē ex eorum obiectis desumptā . Consequentia principalis huius rationis ex præmissis hucusquè probatis est manifesta , ea enim ad alterius adorationem possunt coadorari , quæ sanctitatem habent ab eo , cui ut coniuncta sumuntur , quo modo de Sacris nominibus nunc est sermo .

96 . Confirmatur magis hoc ipsum , quia ad inuocationem sanctorum nominum Iesus , & Mariæ imò & aliorum Sanctorum Deus særissimè miracula operatus est , ergò eiusmodi nomina coadorari possunt ad rei nominatæ adorationem . Antecedens quoad nomina Iesus & Mariæ innumeris prope modum Sacræ historiæ testimonij , ijsque probatissimis ostendi posset , vndè consultò ea omittimus : vnum pro omnibus sufficiat , & habetur Actor . 3 . cum D . Petrus claudum sanans inquit . *In nomine Iesu Christi Nazareni , surge , & ambula .* Idem probari posset de nominibus aliorum Sanctorum , legitur etenim in vita Sancti Antonij Abbatis ad inuocationem nominis ipsius , adhuc inter viuos degentis , særè coactos fuisse dæmones obfessis abire corporibus . Consequentia suadetur , nam etiam si instrumentaria virtus miraculorum patratiua non dicat indispensabilem cum sanctitate cōexionem , eò quia pertinet ad gra-

De Imaginum Adoratione .

tiam gratis datam , connaturaliter tamen postulat cum sanctitate coniungi ; imò quando gratia miraculorum exercetur ad demonstrationem sanctitatis alicuius , quam Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis , quod contingit in rede qua agimus , semper ea gratia est cum sanctitate connexa ut dixit Angelicus Præceptor 2.2. quæst.

S.Thomæ

188 . art. 2 . Posita autem in nominibus sanctitate , & quod sumuntur simul cum Sanctis ijs personis , quibus fuere imposita non est cur ad harum adorationem illa nequeant coadorari .

97 . Adde rursus solere dæmones vti peculiaribus nominibus ad præstigia perficienda , siquidem ut ait S. Augus: lib: 10 . de Ciuitate Dei cap: 1 . in medio utuntur quibusdam determinatis characteribus , adeoque & nominibus , quibus illæ componuntur . Et expressius idipsum afferuit lib: 21 . cap: 6 . circa medium cum inquit : *Vtuntur etiam determinatis carminibus ad magicos effectus perficiendos .* Hoc autem non aliundè ortū ducere videtur , nisi ex hoc quod summoperè gestiant Dei æmulatores existere , qui per Sancta Scripturarum carmina , & Sanctorum nomina supernaturales producit effectus , tanquam per omnipotentis virtutis suæ instrumenta . Et quidem inesse dæmonibus Dei æmulandi auditatem docuit Angelicus Præceptor in cap: 12 . primæ epis : ad Chor: Iec: 1 . non longè à principio , in hæc verba : *Demones ad hoc precipue anhelant , ut Diuinus cultus eis exhibeat ; secundum illud Matth: 4 . Hæc omnia tibi dabo si cades adoraueris me .* Quod etiam docuit Abulen: in 16 . cap: lib: 1 . Reg: quæst. 41 . circa fin: dicens instituisse dæmones alias cæremonias , & determinata verba , quibus factis , ac auditis exeunt à corporibus ob-

S.Aug.

S.Thomæ

Abulen.

L 2 sessorum .

sefforum. Sic ergò dæmones quædam determinata nomina venerabilia reddere satagunt , quasi depravatores eius consuetudinis , quam Deus Sanctissimè instituit, cum vti-
tur sanctis nominibus ad miracula facienda.Id quod non obscurè con-
stat ex citato cap: 16 . lib: Regum
in fine vbi habetur Dauide Psallen-
te mitigari in Saule Spiritum ma-
lum , quod exponens loco adducto
Abulen. Abulensis ait. *Demones expelluntur*
non coacti viribus naturalibus, intellige
verborum, sed à virtute Dei, qui
vult operari prolati illis verbis. Si-
cum enim est in omnibus Sacramentis:
Nam in Sacramento Eucharistia pro-
lati verbis à Sacerdote est ibi verum
corpus & Sanguis Christi. En
quanta
verbis sacris virtus diuina cōmuni-
catur ad supernaturele effectus pro-
ducendos: vndē idem sentire fas est
de Sacris nominibus Iesūs, Mariæ,
& aliorum Sanctorum, adeoque
cultus & venerationis capacia esse,
quorum insultare sanctitati creden-
dus est dæmon, institutor peculia-
rium verborum, quorum auditui
cedit, volens ex hoc homines de-
cipere, ac inducere ad existimandū,
se quoque Deitatis virtute
gaudere, qui possit ijs nominibus
venerationis addere adorabilem,
quandam maiestatem: irritatus for-
tè ex eo, quod Sanctis nominibus
communicari à Deo experiat vir-
tutem, cum ad eorum inuoca-
tionem volens nolens sæ-
penumerò vincitur,
victusque fu-
gatur.

§. II.

Alia ratio propositam suadens af-
fectionem.

98. **P**Robatur secundò conclu-
sio alia ratione, id pecu-
liariter suadente de nominibus Sa-
cris , quæ à Deo fuerunt imposta .
Huiusmodi nomina sunt admodum
Sancta, si sumantur simul cum per-
sonis, quibus à Deo fuerunt pecu-
liariter imposta , ergò coadorari
possunt ad adorationem eius perso-
næ , cui fuerunt imposta dummo-
dò vna cum eadem persona suman-
tur . Antecedens quod maxime
probatione indiget , suadet sup-
ponendo doctrinam quam tradidit
Angelicus Praeceptor 3 . p. quæst.

37 . art. 2 . in hæc verba : *Nomina*
que imponuntur aliquibus Diuinitus
semper significant aliquod gratitum
donum, eis Diuinitus collatum Quod
rursus luculentius docuit lec: 1 . in
cap: 1 . Epis: ad Roman. sub initium,
vbi hæc ait : Imponuntur Diuinitus
quibusdam nomina à principio nativitatis
ad designandam gratiam, quam
à principio consequentur : sicut patet
de Ioanne Baptista Luca 1 . Quibus-
dam verò mutantur nomina ad des-
gnandum profectum virtutis eorum
vt Chrysos: dicit ut patet de Abraham
Gen: 17 . & de Petro Matth: 16 .
Ex quo habetur probatio anteceden-
tis, si enim nomina diuinitus im-
posta significant sanctitatem per-
sonæ cui imponuntur, & nomen re-
cipit Sanctitatem ex suo obiecto, vt
supra num. 95 . ex Abulensi dictum
est, omnino sequitur eadem Sancta
nomina considerata, vt eisdem con-
iuncta obiectis iure optimo admo-
dum Sancta censenda : vt etiam in
sacris imaginibus eodem modo
conside-

consideratis superius dictum est.
Consequentia constat.

99. Confirmatur, & declaratur magis hoc ipsum. Eiusmodi nomina nedum ex parte personæ sanctæ cui imponuntur recipiunt sanctitatem, verum etiam ex parte principij à quo imponuntur, ergo ex utroque hoc capite redundunt valde Sancta & adoratione, modo iam dicto, digna. Antecedens probatur pariter ex doctrina, quam habet Angelicus 3. p. quæst. 62. art. 4. ad 1. dicens quod in verbis voce articulatis detur aliqua vis spirituialis, deriuata à conceptione spiritualli mentis illius, qui ea profert. In ipsa voce sensibili (loquitur S. Doctor) est quedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit à conceptione mentis. Ex qua doctrina dedit, posse in Sacramentis nouę legis, quę sensibilia sunt dari spiritualē & supernaturalē virtutem, vi cuius eleuentur ad spiritualem gratiæ sanctificantis effectum producendum. Verba ipsius sunt: *Et hoc modo vis spiritualis est in Sacramentis, in quantum ordinantur à Deo ad effectum spiritualem. Consimilem huic & nos facimus illationem; nam sicuti vocalia verba ex spirituali mentis conceptione naturaliter procedentia habent ab illa participare virtutem quandā spiritualē, vi cuius mouere possunt spirituales audientiū cōceptiones. Sic & nomina peculiariter à Deo authore supernaturali prolata, in ordine ad Sanctitatem significandam, desument vtique à fonte Sanctitatis à quo proferuntur vestigium aliquod Sanctitatis, idoneaque redundunt ad hanc significandam, vnde sumpta simul cum Sanctis personis, quibus sunt imposita ad earum adorationem poterunt coadorari.*

Ad hæc, & illustratur magis hæc doctrina. Nomina imponuntur re-

bus secundum quod istæ in mente, præconciipientis illas existūt: Quod docuit S. Thom: tum in lib: Perihermenias; tum p. p. quæst. 13. art. 1. vbi in hunc modum loquitur. Secundum Philosophum voces sunt si- S. Thom. gna intellectuum, & intellectus sunt similitudines rerum, & sic patet quod voces referuntur ad res significandas mediante conceptione intellectus, secundum igitur, quod aliquid à nobis intellectu cognosci potest, sic à nobis potest nominari. Hinc manifestatur magis quomodo nomina à Deo peculiariter imposita ad significandam sanctitatem, hanc participant; siquidem procedunt à Deo præconciipientे Sanctitatem personæ, quam signare debent, vnde sicut verba procedentia à conceptu spirituali vim quandam spiritualitatis ab illo desumunt, ita procedentia à conceptione Sanctitatis ut talis, quam conceptionem prius quam obiectū respiciunt, desumet pariter ab illa quandam Sanctitatis impressio- nem.

Ex quo deducimus venerabile nomen Iesu sanctum valde existimandum, ex eo quod à Deo fuerit Christo Domino impositum, quāuis ab Angelo promulgatum, tanquam à legato misso à Deo. Quod & de nomine Mariæ verum est, id docente S. Epiphano; sicut & de nomine Precursoris Domini cōstat ex Lucæ cap: 1. Quod etiam quantum ad nominis mutationem, in alijs singulari Sanctitate præditi euénit. *Habent enim hoc* (loquitur D. Ambros: lib: 2. commen: in Lu- cæ caput 1.) *merita Sanctorum ut à Deo nomen accipiant.* S. Ambr.

100. His tandem addere placuit: nomina posse rebus imponi à duplii personarum genere. Primò à Sapientibus præcognoscentibus naturam & proprietates eius, cui nomen est imponendum. Secundo

ab

ab alijs eamdem naturam, vel proprietates rei nominandæ non præconcipientibus. Et quidem quamvis ab utrisque imposita sint, semper absolute loquendo sunt signa ad placitum; non tamen eodem modo. Quandò enim imponens nomen naturam & proprietates rei nominandæ non præcognooscit, istud non habet aliquam naturalem connexionem cum re nominanda, sed erit signum merè ad placitum, cui stat pro ratione voluntas, adeoque sicut hoc, ita & aliud nomen potuit imponi. Secus contingit quando nomen fuit impositum à Sapiente præconcipiente naturam, ac proprietates rei nominandæ, tuac enim nomen illud habebit aliquam naturalem connexionem cum re nominanda non tamen eiusmodi connexio talis est censenda, vt illud nomen simpliciter connumerandum sit inter signa naturalia, communiter enim Dialectici docent nomina significare ad placitum: quare solum volumus huic placito non stare pro ratione solam imponentis voluntatem, sed dicetur placitum rationabile, quatenus sapiens qui nomen imposuit, determinauit hoc potius nomen quam illud, ex hoc quod cognouit unum præ alio, naturæ aut proprietatibus rei nominandæ congruere. Ducimur autem ad ita existimandum ex eo quod S. Thom. p. p. quæst. 94. art. 3. in hunc modum arguat, loquens de primo omnium parente Adamo, *Ipsæ imposuit nomina animalibus ut dicitur Gen: 2: 19.* nomina autem debent naturis rerum congruere, ergo Adam scinuit naturas omnium animalium. Quibus in verbis apparet velle S. Thom. Sapientissimum Adam debuisse imponere animalibus nomina congruentia eorum naturis. Et ex composito dixit nomina debere congruere naturis rerū, quia reuera non sunt ri-

gorosè signa naturalia, quæ omnino respondent rebus signatis quantum ad earum naturas, sed voluit dari minorem quandam correspondentiā, qualem nomen *congruentia* exprimit. Aliquam tamen correspondentiam dandam esse, suadet illa consequentia, ergo habuit scientiam omnium animalium, nisi enim ea esset ex nominum impositione nullatenus deduci posset scientia rei nominandæ, ut de se patet.

Hoc posito satis evidenter apparet, nomina à Sapientissimo Deo personis Sanctis, ad designandam eorumdem Sanctitatem peculiariter ordinata, habere ingenitam, & quodammodo connaturalem quandam connexionem cum eadem Sanctitate rei nominandæ: sunt enim ad placitum, non qualecumque sed rationabile, atquè adeò fundatum in eo quod congruant naturæ rei cui imponuntur. Perspicias inde eiusmodi nomina habere quandam cum imaginibus conuenientiam, quatenus sicut istæ ducunt naturaliter in exemplarium cognitionem: sic & illa ratione eius congruentis correspondentiæ secundum quid munus signi naturalis præferunt. Vnde & fieri optimè poterit, ut participant aliquid Sanctitatis, & simul iuncta cum personis, quibus imponuntur ad hanc adorationem coadparari & illa possint.



S. III.

*Soluuntur contraria argu-
menta.*

101. **I**N opinionem primæ parti
nostræ assertionis opposi-
tam valdè inclinant P. Suar: tomo
I. in 3. p. quæst. 54. sec: 6. cir-
ca medium; adducitque pro eadem
opinione Antonium de Corduba
lib 1. quæst. 5. dub: 4. art. 2. ad
1. Confirm: 7. arg: & Dominicum
de Soto lib: 2. de Ius: & Iure quæst.
4. art. 2. Sed hic posterior quem
vidimus satis obiter, leuiterque loco
citato hanc difficultatē vix tetigit.
Sed quicquid sit de hoc peculiariter
arguitur contrā id quod dictum est
de nomine Iesu ex D. Tho: 3. p.
quæst. 16 art. 5. dicente quod hoc
nomen Iesus solum significat natu-
ram humanam, sicut hoc nomen ho-
mo, ergò huic nomini nequit exhibi-
eri eadem adoratio, quæ tribuitur
Christo Domino, seu Deo hominī,
vti nos dicimus: & hoc ideo quia
tota ratio adorationis eiusdem no-
minis desumitur ex excellentia rei
nominatæ, per illud nomen signi-
ficatæ, vt ex hac tenus dictis est ma-
nifestum.

P. Suar.

Corduba

Soto.

S. Tho:

S. Tho.

Pro huius solutione sciendum:
quod sicuti in secunda ratione di-
ctum est, eo modo res nominamus,
quo eas cognoscimus: vndè ex hoc
capite nomē magis tenet se ex parte
eius à quo impositum fuit, quam ex
parte eius, ad quod significandum
institutum est: iuxta quem sensum
loquutus est S. Tho: in 1. distinc:
2. qu. 3. art. 1. in corpore circā me-
dium, cum ait: *Ratio nominis magis
se tenet ex parte eius, à quo imponitur
nomen, quam ex parte eius cui impo-
nitur.* Quod si nomen consideretur,
prout mediante hac mentis conce-
ptione transit ad ipsam rem nomi-

natam, adeoque sub formalissima
ratione significantis, & indicantis,
magis tenet se ex parte rei signifi-
catæ, ac consequenter ex parte eius,
ad quod significandum institutum
est. Que etiam est doctrina Angeli-
ci Doctoris 2. 2. quæst. 92. art. 1.
ad 2. in hæc verba. *Significatio no-
minis attenditur, secundum id ad
quod significandum nomen imponitur.*
Neque id mirum esse debet, cum
enim nomen sit quid medium inter
imponentem illud, & personam cui
imponitur, potest secundum diuer-
sam considerationem nunc magis
se tenere ex parte vnius extremi,
nunc ex parte alterius. Eo ferè mo-
do quo actio si cōsideretur ut eges-
sus ab agente se tenet magis ex par-
te illius, quam ex parte rei produ-
ctæ, vt verò sumitur formalissimè
sub ratione viæ ad rem productam
ab hac species desumitur, & ex
parte huius potissimè tenet se. Ita
quoad præsens proportione seruata.
In hunc modum concordat duo ad-
ducta testimonia, quæ videbantur
inter se contraria Bergomensis in-
tabula aurea dub: 926.

S. Tho:

102. Scito rursus ex D. Tho:
in 3. dist: 18. quæst. 1. art. 4.
quæstiun: 3. ad 2 - quod vtrumque s. Tho:
hoc nomen Iesus, vel Christus im-
ponitur ex unione humanae naturæ ad
Divinam. Et ex his habetur solutio
argumenti nā loco citato ex 3. parte
loquitur S. Doctor de nomine Iesus,
prout se tenet ex parte imponentis,
seu ex parte eius à quo nomen im-
ponitur: hoc tamen non impedit
quo minus teneat se ex parte eius
ad quod significandū nomen impo-
nitur. Et iuxta primam considera-
tionem significat humanam natu-
ram: secundum posteriorem verò
Christum Deum hominem. Et con-
stat nos loqui de nomine Iesus se-
cundum hanc posteriorem considera-
tionem, quo modo acceptum di-
ximus

ximus coadorari posse eadem adoratione , qua adoratur Deus homo, prout non ponit in numero cum isto . Et quidem interpretationem hanc menti D. Tho: esse consentaneam , apertè satis colligitur ex eo, quod docet idem S. Doctor 3 . p. quæst. 37 . art. 2 . ad 1 . vbi ex professio ostendit hoc nomen Iesus significare virtualiter omnia ea nomina quibus Isaías cap: 7 . 8 . & 9 . futurum Redemptorem præsignificauit, inter quæ cap: 9 . habentur hæc: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* Docet ergò Sanctus Preceptor nomen Iesus ex parte rei significatæ etiam Deum denotare , adeoque nobis non aduersatur .

103. Secundò argui potest ex P. Suarez loco adducto , qui et si featuretur nomen coadorari posse ad personæ adorationem, vt simul cum ista sumitur, ait tamen id sibi difficile apparere . Tum quia nominantum implicitè , & per solam impositionem significant . Tum quia cum nomen transeunti voce proferatur , difficile potest apprehendi vt coniunctum cum persona , seu persona in illo , vt in ipso & per illud adoretur , ipsumque nomen eadem adoratione coadoretur . Sic ille .

Respondetur : breuiter animaduertendo, quod cum dicitur nomen implicitè significare , dupliciter id potest intelligi . Primo quoad id, à quo nomen impositum fuit , vt V. G. nomen Iesus , vt nuper ex Sancto Thoma dicebamus, impositum est ex vnione humanæ naturæ ad Diuinam, & sic de alijs nominibus, quæ solent imponi ab aliquæ proprietate , vel operatione vt docet idem Angelicus p. p. quæst. 13 . art. 8 . Secundò potest intelligi , quod implicitè significet personam cui imponitur , & quam supposita

impositione significat . Nunc igitur si sensus argumenti sit, quod nomen implicitè, hoc est non expressè preferat id à quo fuit impositum id libenter fatemur , siquidem satis est quod id innotescat illi, qui Sapienter nomen imposuit , vt diximus n. 100 . Secundum autem posteriorem sensum negandum est nomen implicitè significare, siquidem intelligentibus idioma , auditu nomine *lapis* statim occurrit res per illud significata, quamvis ignoretur nomen illud impositum fuisse à lædendo pede . Sic auditu nomine Iesu statim , & expressè concipitur Deus homo , quantumvis non statim appareat, vndè hoc nomen Christo Domino fuerit impositum .

104. Ad id quod dicitur nempe nomina per solam impositionem significare, dicendum quod si eiusmodi impositio facta fuerit à sapiente ex precognitione naturæ aut proprietatis rei nominatæ, liquet ex dictis dari aliquam congruentiam, seu connaturalem quodammodo correspondentiam inter nomen & rem nominatam, vndè non erit pura denominatio extrinseca , desumpta ex nudo voluntatis beneplacito . Quod si adhuc fuerit pura denominatio extrinseca orta ex tali placito voluntatis eius, qui nomen imponit ea tamen præsupposita & existente Sanctitate ex parte rei nominatæ , poterit etiam tale nomen, vt coniunctum cum re nominata ad huius adorationem coadorari . Quod & contingit in imaginibus arte elaboratis, in quibus aliquandò quoad extrinseca accidentia vix nulla, adest naturalis similitudo inter ipsā & prototypon , & tamen vna cum isto coadorari potest , vt fatetur idē Suarez . Idem ergò quoad præsens. Quamvis fortè non sit omnimoda prorsus paritas , quod non refert, nam magis & minus intra eandem speciem

speciem non diversificant simpliciter. Per quod omnino constat ad ultimum, nam posito quod nomen, ut mox ostendimus expressè significet personam nominatam respectu intelligentium idioma, non appetet cur transeunti voce pronunciato, statim mens proferentis ad rem nominatam nō transeat & vtrumq; per modum vnius concipiatur, atque adeò coadoret nomen ad personæ nominatæ adorationem. Ad hoc enim præstandum necessarium non esse cognoscere illud implicitum, vnde nomen fuit impositum, nemo est qui id non videat.

Peralip. Ad huius etiam maiorem elucidationem, & coronidem dubijs præsentis addendum placuit quod habetur in doctissimo Abulensi, qui exponens id quod habetur lib: 2. *Peralip:* cap: 14. cum dicitur. *In te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem.* Quæstione igitur 12. in fine, in hunc modum citatus author lo-

quitur. *In nomine autem Dei erit spes instrumentaliter, scilicet, quod speramus per illud, tanquam per instrumentum invocationis saluari.* Et quia virtus agentis, & instrumenti, eadem numero est, & non est virtus instrumenti, nisi quia derivatur ab agente, per illud non erit nisi unicus actus agentis, & instrumenti. Ita non erit nisi unica spes in Deum, & nomen suum. Ex quo appetet idem posse dici de adoratione, quod Sapientissimus hic Doctor de spe asserit, adeoque difficile minime putandum per nomen transeunte voce prolatum ad personam nominatam pertingere. Imo id fortè facilius erit, quam in imaginibus, nam si istæ habent esse permanens plus utique habent de proprio esse, in quo sistere possit cōceptus videntis illas: quā habeat vox de facili transiens, & ita minus difficulter sistetur in illa, & consequenter citius, ac facilius per illam peruenietur ad rem nominatam,



DISPUTATIO VI.

DE CRVCIS CHRISTI, & Sanctarum Reliquiarum Adoratione.



RVCEM Christi, Humani Generis à peccatis redempti venerabile instrumentum, inter reliquias esse connumerandam satis ex se manifestum apparet: proea ergo, & Sacris Reliquijs, quæ sunt prætiosissimum Catholicæ Ecclesiæ relictum, vna est instituenda disputatio. Porrò huius materia æquè

dogmatica est, ac ea quæ in præcedentibus fuit discussa, siquidem nedum antiquæ ætatis hæretici, verum & nostræ tempestatis impij Nouatores omnium prædictorū adorationem impugnare conati sunt. Quapropter piæ Catholicorum veritati, eorum adorationem adstruenti nostri calami litare labore, nedum perutile, sed & iucunditate plenum censuimus. Si quidem Augustino Doctore in lib. 10. Confess. cap. 23. *Bea-
ta vita est gaudium de veritate.*

S. Aug.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum licetum sit Sanctæ Crucis aliquam exhibere adorationem?



PECIEM adorationis Sanctæ Crucis reddendā in præsenti dubio non examinabimus, nam id dubio sequenti reseruamus: vndē solum de adoratione genericè accepta sermonem hic instituimus, vt nimiam vitium prolixitatem. Sciendum est autem posse nos loqui vel de ea Cruce, in qua Christus Dominus pro humani generis redemptione pependit, quæ proindè sacro

membrorum ipsius tactu, ac Sacratissimi profusione Sanguinis, velut quibusdam ornata margaritis, sanctificata, ac decorata est. Vel de qualibet alia Cruce in quacumque alia efformata materia, quæ utique erit imago eius Crucis in qua Christus mortuus est, & ea mediante, vt infra dicetur, ad representandum Christum ipsum ordinatur. De vtrōque hoc genere Crucis erit sermo in hoc dubio, quod duplici prindē assertione decideretur.



DISPVATATIO VI. DVBIUM I. 275

J. I.

Prima assertio authoritate; ratione probata.

I. Dicendum est primò Sacro-sanctum Crucis Lignum, in quo Christus pendens mortuus est, adorationem aliquam promeretur. Hæc assertio est de Fide. Probatur primò auctoritate Photij Patriarchæ Constantinopol. qui in Epistol. ad Michaelem Bulgar: Principem, quæ est de septem Concilijs, sic ait loquens de septimo Concilio. *Sic venerabilem crucem adoramus, in qua Domini corpus extensum est, & sanguis ille, quo mundus universus purgatus est, emanauit.* Habetur hæc epis: tomo 3. Concil: pag: 450. In eodem rursus tomo adducuntur responsa Nicolai 1. ad consulta Bulgarorum cap: 7. pagina 928. vbi Summus Pontifex hæc loquitur. *Igitur crucem Domini passionem eius venerantes osculamini, & pro eius amore, si necessitas exigit eadem cogitatione armamini: portate eam, sed summa reverentia, & corpore, & corde mundissimo.* Id ipsum passim docent Sancti Patres, inter quos S. Ioa: Damasc: lib: 4. cap: 12. hæc habet. *Hoc lignum venerandum, & ex tactu Sancti corporis, & sanguinis sanctificatum optimo iure adorari debet, sicutique ictum & lancea, & indumentum ac praeseppe.* Rursus S. Io: Chrysos: homil: quod Christus sit Deus tomo 5. loquens de particulis ligni crucis Domini, quas fideles asseruabant sic ait. *Tanta veneratione lignum illud habetur, ut qui parum ex illo habere possunt aura includant & cenuicibus imponant.* Videri etiam potest S. Aug: tomo 10. in appendice sermonum de diuersis serm: 49. vbi afferit in *De Crucis Christi &c.*

Dominicæ Crucis honorem fuisse, solemnitates institutas, pluraque ibi habet, quibus ostendit Crucem Christi magna veneratione habendam. Hos omnes sequitur Angelicus Praeceptor tum in 3. distinc: 9. s. Thom: quæst. 1. art 2. quæstiun 4. tum 2. 2. quæst. 103. art. 4. ad 3. tum demum 3. p. quæst. 25. art. 4. quod & docent omnes Catholici Scriptores.

Probatur rursus ex institutione festi Exaltationis Sanctæ crucis, quod in honorem Dominicæ crucis celebrabatur tum apud Latinos, tum apud Græcos, etiam ante insignem eam victoriam, quam Heraclius Imperator ex Chosroe Persarum Rege retulit. Quod animaduertit Eminentissimus Baronius in adnotationibus ad Romanum Martirologium sub die 14. Septemb: ut ibi videri potest. Id ipsum etiam efficaciter admodum probatur ex probatissima historia Inventionis Sanctæ Crucis, de qua historia dubitare temerarium esset, cum eius mentionem faciant plures Sancti Patres. Indè enim clare deducitur crucem Domini esse adorandam, alias superuacanea prorsus fuisset diligens adeò illius conquisitio.

2. Probatur deinde ratione de sumpta ex S. Tho: loco citato 3. p. Crux Christi repræsentat nobis Christum in ea extensem, & rursus fuit contactu membrorum ipsius, & sacri profusione crux sanctifica ta, ergo est adoranda. Antecedens est quoad vtramque partem S. Doctoris: & quoad primam breuiter suadetur, quia cum crux esset instrumentum, in quo homines extenso corpore moriebatur, vtique propriū illius est repræsentare munus illud, ad quod perficiendum fuit institutum: & quia Christus in illa eodem modo defunctus est, ideo hunc nobis quasi in ea extensem demon strat.

Phot. Pa.

Wicoll. P.

S. Ioa.
Damasc.

S. Ioa.
Chrysost.

S. Augus

strat. Quantum ad secundam probatur & explicatur, quia sicut purpura Regis ex regie contactu persona, participat aliquam eius dignitatem, ac excellentiam. Ita & multo magis crux Christi ex illius contactu membrorum, quae erant Sanctitati per essentiam unita, quoddam sanctificationis genus percipiebat. Eo ferè modo, quo aer ipse & terra ex contactu Christi Domini fuere sanctificata, ut dixit S. Ioa: Chrysostom: tomo 3, homil: de Cruce & Latrone, nō remotè à principio, expōnens illud Io: 3. Oportet exaltari filium hominis. Exaltari audiens (verba sunt aurei Doctoris) suspensōnem intelligas in altum, ut Sanctificaret aerem, qui Sanctificauerat terrā ambulando in ea. Consequentia liquet, nam sicut imagines ratione representationis Sanctorum exemplariū sunt adorabiles; ita & Crux Christi ex vi eius expressionis Christi in ea extensi. Tandem si ratione prædicti contactus fuit sanctificata, quemadmodum ostensum nunc est, vtiquè ex utroque hoc capite erit adoratione, & cultu digna.

3. Confirmatur & declaratur magis ratio adducta. Crucis lignum assumptum est à Christo Domino in eo moriente tanquam instrumentum Sanctissimi operis executium; ergo reuera est adoratione dignum. Antecedens constat cum in ligno crucis consummatum fuerit opus redēptionis humani generis, quod vtiquè maximam mundo intulit Sanctitatem. Consequentia suadetur, tum quia instrumenta à Deo assumpta ad operis alicuius executionem recipiunt ab illo virtutem & eleuationem ratione cuius reddantur idonea ad efficiendum id ad quod eliguntur: constat autē nihil magis esse idoneū ad eleūdum instrumentum Sanctissimi operis patrarium, quam eiusdem instrumenti

sanctificationem, ex qua vtiquè redditur adorabile. Et quidem crūcem Christi redditam fuisse adorabilem, ex eo quod fuerit passionis Christi instrumentum, perspicue satis præfigurauit quod habetur Genesis cap: 50. & quod referens Apostolus ad *Hebræos* cap: 11. ait. Fide Jacob moriens singulos filiorum Joseph benedixit, & adorauit fastigium virginis eius. Quæ verba exponens Angelicus Præceptor lec: 5. non longe à principio hęc habet, iuxta secundam expositionem. Velsi adorauit fastigium, idem est sensus, quia adorauit Christum significatum per virgam illam, sicut & nos adoramus Crucifixum, & crucem ratione Christi passi in ipsa. Vnde propriè non adoramus crucem, sed Christum crucifixum in ipsa. Quod ideo dicit S. Tho: quia tota ratio adorandi crucem est in Christo, ut melius ex dicendis dubio sequenti notum fieri.

S. Thom.
Adde Quod sicut in naturalibus agentibus eorum virtus non in distans, sed in propinquum diffunditur, & quanto magis aliquid fuit illis proximitate coniunctum tantò melius in illud eadem virtus derivatur. Non dissimiliter in ordine supernaturali, qui seruat, quantum illius conditio patitur, proprium modum naturalium agentium, maximè virtutem & perfectionem sanctificatiū communicabit ei, quod sibi per contactum fuerit propinquitate unitum; est enim eius vis sanctificatiua quo melior, eo magis sui diffusiuā, vndē supposito contactu vti prærequisita conditione se se dif. fūdet, iuxta capacitatē eius quod tangitur ab illa. Cruci ergo ex adhäsione ad membra sanctificatoris humani generis communicata est sanctificatio cuius erat capax, & consequenter reddita est adorabilis. Eō vel maximè quia ut docet S. Tho: p. p. quæst. 76. art: 5. Om-